

ACCADEMIA DI MEDICINA
DI
TORINO

BASSIANI CARMINATI

HYGIEN. THERAP. GENER. MATER. MED., ET CHIRURGIC. AC PHARMACIAE IN TICIN. GYMNAS. REG. PROF. NOSOCOMII MED. PRIMAR. ET REG. ACADEM. SCIENTIAR. NEAPOLIT. SENENS. MANTUAN., ELECTOR. MAGUNTIN. PATR. MEDIOLAN. ETC. SODALIS.

HYGIENE, THERAPEUTICE, ET MATERIA MEDICA

VOL. IV.



PAPIAE MDCCXCV.

Typis Balthassaris Comini.

Praesidibus rei litterariae permittentibus.

Cum haec per multa volumina, perque magnae contentionis disputationes a medicis saepe tractata sint, atque tractentur: subiiciendum est, quae proxima vero videri possint. Ea neque addicta alterutri opinioni sunt, neque ab utraque nimium abhorrentia; media quodammodo inter diversas sententias: quod in pluribus contentionibus deprehendere licet, sine ambitione verum scrutantibus.

A. Corn. Cels. pag. 11.

INDEX CAPITUM

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

CAPUT XI.

ERRATA CORRIGE

Pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
4	15	praesertim	deleatur
6	9	accomodatum	accommodatum
ibid.	11	id unum est	id unum non est
58	22	gangraene	gangraenae
309	5	*Alii sativi*	*Allii sativi*
340	16	avocat	advocat

HYGIENES, THERAPEUTICES, ET MATERIAE MEDICAE PARS ALTERA

SECTIO II.

DE AUXILIIS PHARMACEUTICIS, ET CHIRURGICIS, AC SPECIATIM DE EVACUANTIBUS.

CAPUT VII.

De iis, quae urinam movent.

1501. Ut sanitatem aegris corporibus, quam Evacuantium Auxiliorum usu Medicina promittit, certo adducat, rebus quoque, quae urinam movent, carere non potest. In morbis enim non paucis, quos copiosior, aut alienis, corruptisve onusta particulis effluens urina levat, et solvit; tum in iis etiam, in quibus huius sive secretio, sive fluxus imminuitur, retardatur, aut deficit, remedia, quae eam citent, saepe utilia esse, ac plerumque necessaria, scire cuique expeditissimum est, qui earum aegritudinum caussas, effectus, atque exitus scrutetur. Quare in adversa va-

letudine frequentis admodum usus sunt ista etiam Auxilia, quae a Medicis Diuretica vocari, atque in duo summa genera distingui iamdiu consueverunt.

1502. Horum porro alia, vera, aut propria Diuretica, alia notha, aut relativa vocanda esse plerique docent. Ad prima pertinere dicunt remedia, quae renum actionem, ex qua copiosior separetur urina, incitant, ac proprio quodam, aut generali stimulo augent; tum etiam, quae sanguinem eo speciatim modo afficiunt, aut resolvunt, quo uberiorem copiam humoris urinarum secretioni apti renum tubulis suppeditet. Ad altera vero Diuretica referunt res omnes, quae et humorum massam generatim augent, ac praesertim seri, aut lymphae rationem ad reliquas sanguinis partes maiorem efficiunt, et quibusque sublatis impedimentis urinae secretioni, itineri ad vesicam, atque excretioni oppositis eiusdem fluxum promovent.

1503. Quemadmodum vero experimentis Medici didicerunt sive ad incitandam renum urinam secernentium potestatem, sive ad aquae vim in sanguine augendam, non unum, alterumve remedii genus perpetuo requiri; ita tam multa, tamque virtute dissimilia remediorum genera in censum Diureticorum retulere, ut pene omnia Artis auxilia pro varia rerum conditione ad hoc Caput traducenda esse videantur. Quod quidem mirum cuique non erit reputanti ad alterutrum, quod dicebam, assequendum, oportere modo urinalia

organa multimode stimulare, modo renibus robur addere, modo istis, innexisque partibus nimiam rigiditatem, contractionemque, aut spasmum adimere, modo sanguinis motum per vasa accelerare, modo incitatum nimis cohibere, itemque calorem modo temperare, modo excutere, modo humores vel diluere, vel demulcere, vel contra acriores reddere, modo eos attenuare, resolvere, discutere, modo multiplici obnoxios vitio corrigere, modo denique aliis rationibus solidarum, fluidarumque partium conditionem immutare.

1504. Eo autem dum haec omnia tendunt medicamentorum genera, ut urinam moveant, atque humorum salutarem exinanitionem in morbis ex eo loco praestent, e quo in secunda etiam valetudine copia, aut qualitate alienae, ac nocuae fluidae, tenuioresque particulae provide secedunt, alios atque alios insignes effectus aegrorum commodo adducunt. Nam praeter eos, quos Diuretica habent cum caeteris Evacuantibus auxiliis communes, vel a singulari, ac varia eorum indole accipiunt, urinae organa diversimode percellunt, huius, vel imminutae, vel retentae caussas removent, tenuiores humorum particulas evacuant, sanguinis circuitum in aliis partibus moderantur, avocantque ad renes ea copia humores, ex qua aliis locis minori quantitate secerni, atque excerni necessario debeant, ac vasorum denique lymphaticorum, quae resorbtionis opus perficiunt, actionem excitant, ac magnopere intendunt,

sive sublatis impedimentis, sive novis viribus additis, sive utroque modo, eadem afficiant.

1505. Qui autem istis addat tum peculiaria illa commoda, quae aegris corporibus nonnulla Diuretica ex propria eorum natura, aliarumque virium coniunctione queunt afferre, tum ea saltem, quae singula urinam promoventia ideo queunt adducere, quia vel delatam in sanguinem morbi materiem, vel proxime in eo natum, atque adhuc haerens vitium aegritudinem inferens expedite ad salutem subtrahunt; is sane Diureticorum effectus, utilitatesque adhuc maiores habebit. Praesertim qui una animo reputet eum esse praesertim a Natura consensum inter cutis expirationem, atque urinae secretionem, ut in ea generatim ratione una intendatur, qua altera decrescit.

1506. Quas quidem ob caussas evenit, ut Diureticorum usus latius in morbis curandis nunc pateat, quam secus, multiplici eorum agendi ratione nondum satis perspecta, olim a Medicis traderetur. Docent quippe Recentiores non minus generatim indicari Diuretica a pituitoso, humidiorique corporis habitu, ab inertia, atque obtuso sensu solidarum partium, a consuetudine, quae copiosam effecerit constanter urinam, a morbi natura epidemica, atque a signis coctionis, et cryseos, quam a scorbutica, purulenta, ac scrophulosa constitutione, atque a variis exanthematum speciebus, quas persequi Clinicorum est. Quam ob rem haec remedia generatim con-

veniunt, ac plerumque magnopere prosunt pituitosis, obesis, obstructis, ictericis, cachecticis, hydropicis, cutis vitiis, atque inveteratis malis obnoxiis sive capitis, sive aliarum partium, quae copia nimis multus, impurus, crassus, lentusque humor concitarit, aut foveat; itemque iis, qui arenulis, ulcere, pure, atque aliena, viscosave materie vias urinae habent obsessas, ac renum, uretherum, et vesicae chronicis affectibus distinentur. Quibus sane aegris ex Medicorum sententia non quodvis diureticum opitulatur, at illud, quod caussae speciatim urinae separationem, exitumque praepedienti adversatur.

1507. Licet vero pro dissimili corporum constitutione, ac caussarum, morborumque discrimine Diureticorum actio insigniter discrepet, ac tam multiplex horum genus suppetat, ut quibusdam visum sit, vix casus incidere interdum posse, in quibus nocuum quodcumque debeat iudicari; suis nihilominus exceptionibus Diuretica non vacant. Nam et iis omnibus aegris, quorum conditiones illis plane contrariae sunt, quas paullo ante proposui, officiunt, ac nocent, et speciatim toties propinari non debent, quoties haemorrhagiam ex urethra, mictionem cruentam, renum, uretherum, et vesicae inflammationem, ac dolores, praesertim non leves, veremur, aut tumores, excrescentias, vel sanguinis grumos, maioresque calculos urinae iter obsidere coniicimus. Quod si calculosis convenire possint interdum Diuretica ex alio re-

mediorum fonte, quam ex Emollientium, et laxantium genere sumpta, tam prudenter, et caute sive deligenda, sive usurpanda esse nos monent Therapeutae, ut nunquam oblivisci videamur acrium, et stimulantium validiorum usui diram, ac lethalem inflammationem facile succedere.

1508. Sed aptum urinae citandae, ac singulari morbi, corporisve naturae accomodatum remedium invenisse, atque opportuna copia aegro propinasse id unum est, quo Artificis urinas molientis studium continetur. Ad eius quippe officium illae quoque cautiones pertinent, quae cum corpus ad remedii actionem praeparent, vel huius efficacitatem adiuvent, tam utiles, tamque necessariae generatim sunt, ut neglectae futurum secus urinarum fluxum prohibeant, vel saltem impediant, ne omne speratum ex eo beneficium aeger sentiat. Nisi enim plethora antea sublata, aut quodvis aliud impedimentum remotum, vel tenuis cibus, vel aliqua ab eo abstinentia, vel lenis corporis motus in aere frigido, vel frictio in lumbis, hypogastrio, pube, ac perinaeo instituta, vel impositum his locis nunc siccum fomentum, nunc ex emollientibus, laxantibusve herbis cataplasma, vel aliquod pro re nata dissimile medicamen aut illinitum, aut in alvum infusum, vel aliae denique rationes ita generatim cum remedii actione conspirent, ut haec proxime, aut remote in renibus, sive omnis, sive saltem praecipua, se exerat, eadem plerumque irrita

cedit, aut aegre se prodit, aut urinae loco in nonnullis sudorem prolicit, in aliis alvum ducit.

1509. Quod quidem postremum ob eas neglectas regulas iis praesertim accidit Diuretica usurpantibus, quorum corpora consuetudine, aut natura, aut tempestatis conditione cutis, vel alvi exinanitioni maxime patent; dum alterum iis potissimum occurrit, qui eadem medicamina usurpant, quin cum reliquis praeceptis illud servent, quod potionis ratio sibi vindicat. Praecipit nimirum experientia assumpti cuiusque medicamenti, quo urina citetur, efficacitatem non potus abstinentia tueri, atque intendi, quemadmodum complurium olim Medicorum ferebat opinio; at generatim hausta subfrigida copiosa potione, quae demulceat, diluat, laxet, et sitim fallat, aut restinguat, revera promoveri. Cuius sane praecepti opportunitatem ita alias constitui ex Bakerii, Milmanii, Quarinii, aliorumque nuperrimis observationibus (§. 419.), ut modo vix monendum credam, eiusmodi veritatem in Diureticorum usu etiam Cullenio perspectam fuisse, qui rursus dum eam invicte defendit, quo ad copiam potionis aegro elargiendae, docet utile, ac tutum esse toties huius voluptati indulgere, quoties urina illius vim aequet.

1510. Quae cum ita sint, plurimum vereor ne illa in agendo inconstantia, cui prae caeteris remediis obnoxia esse Diuretica Medici perhibent, saepius ab allatis cautionibus

omissis profluat, quam ab eorundem vitio. Me siquidem non latet eas plerumque ignobiles Artifices aegrorum, quos nutriunt, detrimento negligere. Caeterum, ut minoris vitium istud Diureticorum habeam, me praeterea admonent caussae, naturae, complicationesque morborum, in quibus eiusmodi solent remedia usurpari, quae tam crebro Artis vires excedunt, tamque validum urinae secretioni, aut libero itineri obicem ponunt, ut mirandum non sit, si saepe eorum usus non auspicato cedat, sitque proinde cum Ill. GREGORYO dolendum (*a*), „ eorum effectus adeo esse „ incertos, ut nemo Medicus polliceri possit „ se aegro cuiquam per ulla medicamenta „ urinam esse moturum; saepe enim quae „ iure validissima habentur, urinam ne mini„ mum quidem movent.

1511. Quare sedulo curandum erit, ne per se iam anceps horum medicaminum effectus, magis adhuc dubius, atque incertus ab Artifice reddatur, qui sin minus adductas animadversiones posthabeat, saltem nesciat morborum, aegrorumque rationibus deligere ad citandam in quovis casu urinam accomodatum remedium inter tot, ac tanta Diuretica, quae ex Vegetabilibus, Animalibus, ac Fossilibus deprompta Materiae medicae Scriptores ad usus Clinices exhibent. Maxime vero quod neminem vel mediocriter in me-

(*a*) Conspect. Med. §. 1448.

dicina facienda versatum haud possit hodie latere, ex iisdem numero quam plurimis perpauca esse, quemadmodum nuper susceptis experimentis innotuit, quae sive Vulgi opinionibus, sive Scriptorum laudibus respondeant. Nam si illa etiam excipimus, quae nonnisi certis sub conditionibus sive aegri, sive morbi ad urinam ciendam valent, quaeque propria, ac generali diuretica virtute destituta vix interdum expediunt, quemadmodum deinceps ostendam, pleraque eorum in libris exposita veluti aptissima movendae generatim urinae, vel parum, aut nihil eam movent, vel summopere ambigua sunt, vel aequiori iure aliis exinanitionibus promovendis inserviunt.

1512. Nempe cum persequor singula Vegetabilia, tamquam Diuretica ab Auctoribus fidenter proposita, eorumque pretium non ex laudibus, sed ex tutioribus nuperiorum Clinicorum observationibus studeo constituere, non possum sane non magnam partem eorum, quae ex tot, tantisque naturalibus Stirpium Classibus, sive Ordinibus, generibusque ducta proferuntur, ob evidentem inefficacitatem, aut nimis exiguam vim ab omni usu proscribere. Etenim, ubi praesertim mittam Coniferas, Amentaceas, Umbellatas, Cymosas, Solanaceas, Siliquosas, Multisiliquas, et Liliaceas, e quibus praestantiora, usitatioraque Diuretica peti a nobilioribus, exercitatioribusque Medicis solent, vix in caeteris Stirpibus aliquot reperio, quibus in-

terdum uti rationalis Artifex queat in morbis, quos vel mediocriter prolicitae urinae non aegre abstergunt. Quamobrem eos admodum soleo probare ingenio, et doctrina insignes Viros, qui, susceptis cum Vegetabilibus, quae antehac nondum erant ad medendum adhibita, accuratissime periculis, nova tentant Diuretica nobis aperire, quae validioribus iam notis non cedant virtute, imo, utpote minus ambigua, omnique discrimine vacua, etiam antecellant.

1513. Porro si volumus Diureticorum omnium ad Vegetabilia pertinentium ex multorum iudicio utilium recensionem exordiri a Compositis Stirpibus, reperiemus profecto earum diversis generibus, ac speciebus, urinae ciendae caussa, plus, quam oportebat, tributum fuisse. Nam *Arctii lappae* seu Bardanae radix, quae saporem initio paullum dulcem, dein lenissime amarum, ac postea austerum prodit, ab aliquot drachmis ad unam, alteramve unciam, in aqua diu cocta potionem licet praestet, leniter resolventem, ex qua interdum sudor, interdum urina cieatur, neque tam copiose urinam movet, aut prae sudore generatim elicit, ut multi fiat ad urinam incitandam, imo pluris habetur in rheumaticis, arthriticisve affectibus, si perspirationem usque ad sudorem sollicitet. Nec *Cardui mariani* seu Cardui mariae alibi indicati (§. 791.) expressus ex foliis succus, vel ex iisdem praestitus cum aqua infusus ad hydropicorum aquas educendas, ut alias

tradebatur, satis valet utpote qui nec mediocriter plerumque urinas eliciat.

1514. Nec diureticum, quod vel satis efficax, vel raro ambiguum sit, remedium largiri mihi videtur sive succus e foliis *Cynarae scolymi* seu Cynare elicitus, qui ad tres, aut quatuor uncias cum pari copia vini multarum virium epotus hydropicis ex cachexia, aut scorbuto insigni auxilio fuisse ab Aaskowio, aliisque traditur; sive infusus ex vino radicis *Carlinae acaulis* seu Carlinae, aut Cardopatiae, quae ob aromaticam, acrem, ac leviter amaram qualitatem ab aethereo oleo profectam adversus pestem, et malignos morbos multi olim habebatur; sive infusio florum *Carthami tinctorii* seu Carthami, quos ex Aegypto advectos, vel in Europa excultos Indorum testimonio hepaticis, ictericis, atque hydropicis ob copiose excitam urinam valde proficuos quidam perhibent. Etenim iam mihi abunde constat Cynarae succum, ubi per se detur, urinam perraro, et quidem vix mediocriter, incitare; Carlinae radicem interdum sudorem, non urinam ciere; ac denique Carthami flores diuretica facultate destitui, qua etiam carent eius semina oleosa, amara, et subacria, quae alias ad alvum ducendam emulsionis forma adhibita cum plerumque fallant, et stomacho ob rancorem officiant, nunc cum ipsis floribus recte exoleverunt.

1515. Non possum pariter Diureticis, quae usurpari mereantur, medicamentis ac-

censere vel cum HOFFMANNO (a) ex *Centaureae Cyani* seu Cyani sive floribus, sive herba, praeparatum decoctum, quia non huius, sed additorum virtute urinarum incrementum accidit, vel cum LINNEO herbam *Centaureae benedictae* seu Cardui benedicti, quia eadem alia potius ratione (§. 792.), ac speciatim sudore elicito, quam urina avocata, aegris prodesse solet. Non possum item ex quorundam sententia ad hoc Remediorum caput revocare *Cichorei* tum *intybi* seu vulgaris, tum *endiviae* seu Endiviae (§. 1010.) herbas, et semina, cum ab istis nequeat in ciendis urinis plus effici, quam possint generatim remedia, quae leniter resolvunt, atque aperiunt. Non possum demum *Leontodonis taraxaci* seu Taraxaci (§. 1010.) vires diureticas, quae vel radici, vel herbae, vel succo, vel extracto competant, ultra eos limites extendere, quos cognita similium medicaminum tenuantium, ac solventium, etiam in hydropisi quandoque perutilis, efficacitas praefinit.

1516. Verum una ex Compositis stirpibus adeo coepit nuper celebrari ob compertam in ea eximiam vim crassa, et glutinosa solventem, quae, urinarum fluxu potenter avocato, hydropicis maxime subveniret, nempe herba *Lactucae virosae* seu Sylvestris, seu nobis Lactucae odore opii, ut ea quibusdam Scriptoribus visa sit abunde repen-

---

(a) De remed. dom. p. 35.

dere, quod reliquae Compositae ad ciendas urinas praestare haud possunt. Ea quidem viroso halitu praedita, atque acri, amaro, lacteo succo scatens, cum Opii qualitates, atque effectus aemulari vel antiquitus innotuisset, remedium Veteribus praestitit, quod ad consopiendos dolores, ad ulcera curanda, atque ad reliqua commoda consequenda usurpabant, quae Opium affert. Sed nostra aetate neque externus, neque internus eiusdem Lactucae usus ullus apud Medicos erat, cum ille anceps, alter nocuus ob manifeste narcoticum virus haberetur, quando HENRICUS COLLINIUS (*a*) paucos ante annos primus docuit Extractum ex hac specie Lactucae, vel ex affini Scariola, succi ex recenti herba expressione, aliisve operibus rite paratum a paucis granis usque ad quindecim, viginti, dein ultra, quavis die, aegris propinatum, imo iamdiu assuetis ad unam, alteramve drachmam, atque amplius exhibitum noxa carere, atque in morbis quibusdam, maximeque in hydropisi, insigni potissimum urinarum incitamento, mirifice prodesse.

1517. Constituit nimirum COLLINIUS ideo plurimi faciendum esse istud L a c t u c a e e x t r a c t u m, quia excitis plerumque urinis, interdum etiam moto sudore, nec cohibita generatim alvo, salutem iis non solum aegris attulit, qui ex crasso, viscoso, et tenaci

---

(*a*) Observat. circa morb. P. 6.

quovis humore, vasorumque obstructione in viscerum oppilationes, icterum, atque hydropem inciderant, sed etiam reliquis, qui ex solidarum partium laxitate, fluidarumque nimis tenui, ac solutioni quam proxima constitutione iisdem morbis laborabant. Id igitur constituit Auctor de viribus, usibusque Lactucae virosae, quod magnam revera huius Extracto potuisset famam apud nos conciliare, nisi duodecim abhinc annis a me hic loci suscepta in Valetudinario, quorum exitus cum Cl. Viris tunc communicaveram, pericula, aliter rem se habere luculenter ostendissent. Diu quippe datum eiusmodi Extractum sive hic COLLINII methodo diligentissime ex *Lactuca* nunc *virosa*, nunc *scariola* confectum, sive e Vindobona huc deportatum, aegris non paucis hydropisi, quae non minus specie, quam natura caussarum dissimilis erat, exhibitumque praeterea non raro intra diem ad unum, alterumve scriptulum, imo sumere solitis ad drachmam, aut sesquidrachmam, nec urinae copiam unquam fecit, nec unquam vel alvo soluta, vel sudore largiter propulso, morbum lenivit.

1518. Tantum vero abest, ut istud medicamen omni noxa destituatur, ut viderim plerumque, non maiori licet propinatum dosi, illato nimis profundo, nimisque protracto somno, qui semel et iterum in gravem abiit soporem, sudore interdum inopportune elicito, interdum capitis dolore, non sine levi idearum confusione, aut rerum oblivione, ac-

cersito, interdum nausea concitata, atque interdum virium languore inducto, virosam qualitatem Opio simillimam adhuc retinere, ac facile explicare. Quae cum acciderint etiam sub largo usu potionis, qua plane innoxium, atque efficacius remedium reddi dicebatur, ac sub exigua simul eius copia propinata, num cum Cl. DURANDIO censendum sit, hocce extractum, quod nullam opem hydropicis praestitisse ipse fatetur, (*a*) magnopere profuturum in morbis nervorum, ubi resolvere, atque una dolores ex spasmo, aut convulsione oporteat consopire, alii dispiciant. Ego enim cum ex allatis cognoverim, succum Lactucae virosae non diureticam possidere virtutem, quam ob admixtum Scillae extractum solummodo retulisse Ill. QUARINIUS nuper monuit (*b*), at Opii vim, atque agendi rationem sequi, supervacaneum duxi pericula DURANDII iterare, qui in iis affectibus adhibuit, probavitque Extractum, quibus iamdiu compertum est Opium efficaciter mederi.

1519. Caeteras autem quod spectat Compositas Stirpes veluti diureticas a quibusdam habitas, scire expedit *Eupatorii cannabini* seu Eupatorii, sive herbam, sive radicem, utramque in succo, infusu, aut decoctu olim ad proritandas urinas non parvi factam, dubiae nunc virtutis censeri, nec folia sive contusa, sive cocta, instar cataplasmatis ad discutienda

---

(*a*) Tom. 2. p. 297. (*b*) Animad. Pract. p. 188.

oedemata apud nos imponi; tum herbam *Chrysanthemi Leucanthemi* seu Bellidis maioris parum, aut nihil urinam citare, nec plus efficere *Bellidis perennis*, seu Bellidis minoris folia cum floribus, quibus etiam nulla potest aut vulneraria, aut resolvens virtus concedi; tum denique *Arnicam montanam* seu Arnicam, cuius vires fuse alibi proposui, ideo tantum inter Diuretica venire, quia eiusdem sive floribus, sive radicibus uti licet quando valide resolventibus, stimulantibusque urina proritanda videatur.

1520. Ex Aggregatis vero, inter quas etiam diuretica virtute nonnullae donari dicuntur, quid incrementi Diureticorum suppellex accipiat, non arduum erit cuique constituere, qui animo reputet non foliis, et floribus *Scabiosae arvensis* seu Scabiosae, aut herba, et radice *Scabiosae succisae* seu Morsus diaboli, aut Succisae renum, aliarumve partium ulcera abstersa, iocinoris indurationes reseratas, atque hydropicorum aquas eductas fuisse, ut quidam narrant, at vi aliorum medicaminum, quae una aegri sumebant; qui pariter mecum observet folia *Globulariae alypi*, seu Alypi, alias ob vim valide purgantem Sennae succedanea iudicata, ac quandoque eius loco duarum, aut trium drachmarum pondere ex aqua infusa olim in Italia adhibita, sicuti in Gallia Narbonensi nunc etiam adhibentur, nimis acri stimulo pollere, ac nimis valide alvum moliri, ut velim ex Cl. RAMELII sententia

tia (a) non minus in febribus intermittentibus, quam in iis probare hydropisis speciebus, quae a fibrarum laxitate, ac serosarum partium excessu originem ducunt; quique denique animadvertat *Valerianae officinalis*, aliarumve specierum radices, (§. 913, et seq.) ob multiplices, quibus donantur, facultates urinam certis sub conditionibus movere, at nunquam ea copia, ac constantia movere, ut uno huius exinanitionis fine propinari nunc soleant.

1521. Inter Conglomeratas stirpes nullam item reperio, quae suo quodam iure ad Diuretica pertineat. Etenim qui Semina *Plantaginis psylii* seu Psylii (§. 980) parva, fusca, nitida, oblonga, uno ex latere convexa, ex altero concava, ac cum levi nausea, atque acritudine mucilaginea alias ad emulsionem, mucilaginemque parandam crebro usurpata, ad hoc quoque remediorum genus ideo revocant, quod in retenta, aut imminuta urina ex renum, et vesicae irritatione, atque ardore ea, quae demulcent, obtundunt, atque involvunt, speciatim conveniant, videntur oblivisci alia nobis suppetere (§. 324, e 980) quae obsoletis Psyllii seminibus ex eo praestantiora, atque in adducto praesertim casu anteponenda esse censentur, quod nauseante, atque acri qualitate expertem mucilaginem erogent. Qui autem ex Veterum placitis huc quoque

(a) Iournal. de Medecin. 1784.

traducunt usum herbae vel e *Cuscuta europea* seu Cuscuta, vel e *Cuscuta epithymo* seu Epithymo petitae, quatenus ad expellendam urinam antiquitus varia forma praescribi consueverat, videntur pariter ignorare, nisi falsa, saltem dubia, esse omnia, quae de medicatis utriusque Cuscutae facultatibus in Priscorum libris occurrunt.

1522. Itaque Umbellatae potius, cum nec plane inefficacia, nec prorsus inusitata sistant Diuretica, horum numerum augent. Porro *Eringii campestris* seu Eryngii radix, una ex quinque radicibus aperientibus minoribus, levibus obstructionibus reserandis, ac mediocriter urinis ciendis par adhuc habetur. Semina item Dauci fragrantia, aromatica, acriuscula, quatuor seminibus calidis minoribus alias adscripta, ex ea sumpta *Dauci carotae* varietate, quae *Sylvestris* dicitur, non secus ac semina *Tordilii officinalis* seu Seseli cretici, *Athamanthae cretensis* seu Dauci cretici, *Athamanthae oreoselini* seu Oreoselini, *Laserpitii sileris* seu Sileris montani, *Ligustici levistici* seu Levistici, ac similium, non minus ad discutiendos flatus, quam ad leniter proritandas urinas, ubi stimulantibus locus est, valere dicuntur. Ipsi vero *Conio maculato* seu Cicutae (§. 960) vim quoque detrahendam non esse, qua, elicitis, auctisque urinis, interdum ischuria, cachexia, atque hydrope detentis mirifice subvenerit, Ill. Störkii, aliorumque observationes, ne proprias afferam, iam satis evicerunt.

1523. Istis accedunt aliae Umbellatae, quas non minoris Vulgus habet, quamquam ad urinam ciendam nuperiores Medici parvi faciant. Sunt huius generis *Phellandrii aquatici* seu Foeniculi aquatici semina aromatica, acria, oleum aethereum destillatione praebentia, quae contusa ad unum, alterumve scriptulum, bis, ter, quaterve die assumpta in renum, et vesicae morbis, in tumoribus, ulceribus, vulneribusque internarum, externarumque partium, in scorbuto, et gangraena, in phthisi, in asthmate, atque in herniis, aliisque malis plurimum prodesse dicebantur. Sunt pariter eiusmodi *Aethusae mei* seu Mei radices, et semina, quorum incidentes, ac stimulantes facultates neque ea vi movent urinas, neque ita generatim se exerunt, ut olim tradebatur; herba *Scandicis cerefolii* seu Cerefolii educendis hydropicorum aquis ex RIVERII potissimum auctoritate (*a*) perquam idonea iudicata, ac radix, et semina *Pastinacae sativae* seu Pastinacae, quibus olim efficacem in renes actionem nonnulli retulerunt.

1524. Siquidem cum ex Cerefolii succo quotidie unciatim epoto vix paullum, nec perpetuo, auctas urinas post LANGEUM alii viderint, potius eum veluti abstergens, ac resolvens remedium in cutis morbis, scrofulis, haemorrhoidibus, glandularum obstruc-

(*a*) Prax. M. lib. 2. C. 6.

ctionibus, atque in mammarum indurationibus ex lacte coacto Nuperiores probant, atque extrinsecus etiam concisam, et fervefactam recentem herbam instar cataplasmatis imponendam esse suadent dolentibus haemorrhoidibus, tumidis ex arthritide artubus, ac praesertim mammis, postquam MURRAYUS (a) experimentis innixus eam eximiam dixit in » lacte puerperarum, lactationem post partum » repudiantium, dissipando; et nodis, ex » coagulis lactis ortis, resolvendis; praeprimis in connubio foliorum Alni recentium ». Quod vero ad Pastinacam attinet compertum nunc est, tum radicem, veluti alimentum alio loco indicatam, sive in decoctu a media uncia ad sesquiunciam usurpetur, sive eius succus a duabus unciis ad quatuor hauriatur, tum semen aromaticum, cuius dosis a binis scriptulis ad tres drachmas statuitur, non eam resolvendi, atque urinam avocandi efficacitatem edere, qua arbitrandum sit, huius, non aliorum, quae simul adhibebantur, medicaminum viribus recreatos, ac saluti redditos aegros interdum fuisse, qui tussi, ac pituitosis pectoris affectibus, ischuria, calculo, atque ulceribus renum, et vesicae laborabant.

1525 Ex iis demum, quae Medicinae usibus dicatae supersunt, Umbellatis *Anethum foeniculum* seu Foeniculum quamquam mediocriter citare queat urinas, attamen eius radix,

---

(a) Apparat. Med. V. 1. p. 282.

herba, et semen ad lac nutricum augendum, aut revocandum Veterum more crebrius inserviunt, atque Aqua Foeniculi, quae e seminibus parata halitu, ac virtute praestantior est, ad discutiendas potius ventris inflationes ex aere, atque ad medicamenta diuretica solvenda adhibetur: *Pimpinella magna* seu Pimpinella alba, vel nigra usu apud nos caret, qui neque radicem, neque essentiam ex HARNISCHII consilio paratam, utramque diureticam habitam, usurpamus: *Apii* denique tum *Petroselini* seu Petroselini, tum *graveolentis* seu Apii (§. 180. 995.) seminibus, maximeque radicibus, ad Radices quinque Aperientes pertinentibus, licet aliqua revera insit virtus, vix interdum iisdem utimur radicibus ad decoctum conficiendum aegris idoneam praestans potionem dum alia efficaciora diuretica sumunt; quin caeterum inde arbitremur in Medicamentariis Insubriae officinis Aquam Petroselini servandam esse, itemque retinendum duplicem Syrupum, quorum unus Syrupus duarum Radicum Aperientium, alter Syrupus Radicum quinque Aperientium maiorum vocatur. Illa enim Aqua, ubi e Feniculo elicita suppetit, inutilis est, atque uterque syrupus supervacaneus plerisque videtur.

1526. Hisce de Umbellatis traditis non est quod Hederaceis immorer, quae nullam hactenus vere diureticam stirpem Medicinae obtulerunt, nisi forte *Vitis viniferae* ideo ex-

pediat meminisse, quia Vinum ex uvis, Acetum paratur ex Vino, utrumque revera idoneas proprietates ubi habeat, riteque administretur, ad ciendam interdum urinam efficax, expeditumque auxilium. Porro Vini generatim illud genus, in quo cum partium tenuitate acidum principium abundat, ac proinde acor supra reliquas qualitates eminet, tam facile, efficaciterque movet urinas, ut eius species omnes alibi traditae, (§. 313.) non minus exocticae, quam Insubriae propriae, ipsae quoque grate acidulo, ac quodammodo salso donatae sapore, quae, vel per se, ubi parum vehant alcoholis, vel secus aqua dilutae, cito transeunt, medicinae caussa adhibitae non raro, prompte revocatis, aut largiter excitis urinis, cachexiam, aut hydropisim (quod non semel vidi) penitus discusserint. Quam quidem facultatem iis etiam Cerevisiae, aut Zythi speciebus Therapeutae concedunt, quae tenuiores parum nutriunt, lentore haud officiunt, imo vias urinae confestim petunt. Acetum vero apte dilutum aqua saepe mitis diuretici remedii vices gerere non modo notum est, verum etiam hac praesertim aetate perspectum, sive ore haustum, sive tumentibus ex aqua inter cutim membris subinde impositum, sive in alvum cum tepida aqua infusum, salutari concitato urinarum profluvio, hydropicos tumores interdum discussisse.

1527. Sarmentacearum vero quaedam inter Diuretica vegetabilia celebrantur, quam-

quam non omnes vel pari iure, vel ex eo, quod urinarum potissimum fluxu aegris auxilientur. Quandoquidem radix *Rusci aculeati* seu Rusci vulgaris, (cui herba *Rusci hypoglossi* seu Uvulariae, aut Hypoglossi succedanea dicitur), una ex Radicibus quinque Aperientibus maioribus, quae primum dulcicula, validam deinde amaritiem explicat, non tantam a Nuperioribus adhibita patefacere visa est resolventem, atque urinas avocantem potentiam, ut ipsi velint huic, non aliis remediis, curationes hydropicorum tribuere, quarum RIVERIUS, et BAVHINIUS meminerunt. Variae *Aristolochiae* species, ac *serpentaria* potissimum cuius iam memini (§. 1024) *longa*, *rotunda*, et *clematitis* radices praebent, quae ad ea remedia referri solent, de quibus suo loco disseram, quorum usu vires incitare, sudoremque utiliter elicere Clinici student. Ipsa vero *Paris quadrifolia* seu herba paris, aut paridis, cuius baccae virus suspicione non carent, ciendae urinae non inservit, quae caeterum, e siccis foliis et tritis, atque ad unum scriptulum vespere usurpatis, remedium alvum leniter movens, atque una egregie antispasticum, atque anodynum Ill. BERGIO obtulit (*a*), quod pueris pertussi vexatis subvenit, tum ex radice a scriptulo uno ad duo data, LINNEO, WILLEMETO (*b*), aliisque medi-

(*a*) Mat. Med. p. 313.
(*b*) Essays sur quelq. plant. indig. p. 12.

men vomitum movens, quod suffici Ipecacuanhae posset, nuper praestitit.

1528. Magnam contra celebritatem nacta est statim ac ex Brasilia allata fuisset *Cissampelos pareirae* seu Pareirae bravae radix lignosa, pollicem et ultra crassa, cylindrica, extus rugosa, ex gryseo fusca, intus lutescens, quatuor, aut pluribus concentricis annulis distincta, inodora, atque amara. In omnibus quippe morbis renum, et vesicae, in quavis hydropisis specie, in tympanitide, in ictero, in viscerum obstructionibus, in asthmate, in fluore albo, atque in arthritide ob potenter resolutos crassos, pituitosos, et tenaces humores, ac cum urina facile eductos, multis aliis medicamentis longe efficacior illico habita est. Et re quidem vera quae ab HELVETIO, GEOFFROYO, LOKERO, aliisque prolata fuerunt insigne prorsus pharmacum declararent, nisi contrariae aliorum observationes praesto essent, quae Pareirae bravae sive solventem, sive diureticam facultatem non parum limitant. „Certe vidi ego, inquit Vir „gravissimi iudicii BERGIUS (*a*), calculosos, „arthriticos, et rheumaticos plures, qui satis „diu usum eius absque successu continua„runt"; quemadmodum ipse pariter vidi hydropicos ex retentis excretionibus, obstructisque visceribus, ac pectore ob pituitam laborantes, quibus Pareiram in pulverem tri-

(*a*) Op. cit. pag. 815.

tam a scriptulo uno ad drachmam pluries die, vel infusam nunc ex vino, nunc ex alcohole aqueo a quatuor scriptulis usque ad drachmas sex intra diem propinaveram, rarissime levatos, nunquam vero sanitati redditos fuisse.

1529. Quod si vero Diureticas persequens Stirpes praetereo Stellatas, ad quas tamen pertinet radix *Rubiae tinctorum* (§. 732) ob aperiendi, atque urinam concitandi facultatem Priscis, et Recentioribus quibusdam acceptissima, ne quaeso id a me inconsiderate fieri quisquam arbitretur. Nam eiusmodi radice vel novissime usus in icteri, atque hydropis iis speciebus, quibus insigniter opitulari copioso fluxu urinarum Cl. MARXIUS inprimis tradidit, (*a*) non possum sane ab ea sententia recedere, quam de eiusdem radicis viribus alio loco (§. 732) posui; praesertim qui probe sciam a Summis medicis tum olim, tum nuper in illis morbis usurpatam diu, multumque, ut ipse perpetuo feceram, aegritudinem nunquam sanasse, quam alia potiora resolventia, ac diuretica dein adhibita, excitis et certius, et copiosius urinis, perbelle sustulerunt.

1530. Rectius idcirco ducam sermonem ad Cymosas, non eo quidem fine, ut nobis usitatas, aut efficacioribus revera diureticis

---

(*a*) Verm. Beobachtungen. 3. Samml. p. 54. et sequent.

pares Stirpes exhibeam, sed ut duas indicem, quarum vires melius a Medicis vellem explorari, nimirum *Linneam borealem*, et *Loniceram diervillam*. Etenim herba Linneae amaro, ac leniter adstrictorio praedita sapore in Svecia, aliisque regionibus cataplasmatis instar imposita, aut cum lacte in modum infusionis assumpta, resolutis humoribus, ac motis potissimum urinis, rheumaticis, arthriticis, atque ischiadicis egregie subvenisse traditur. Stipites autem Diervillae Americae septentrionalis Incolae, ut quidam perhibent, blennorrhae, atque urinarum suppressioni mirifice mederi arbitrantur, quin tamen species morbi, quam iuvant, atque administrationis commodior ratio hactenus innotescant.

1531. Sed iam longe meliora, certioraque diuretica medicamenta, ut initio dicebam, (§. 1512) Solanaceae stirpes nobis largiuntur. Nolo siquidem ea fuse adducere, quae de Cucurbitaceis hinc, illinc tradunt Materiae medicae Scriptores, quatenus ex quarundam seminibus alibi indicatis (§. 324 980) fiunt emulsiones, quae oppositum secretioni, atque itineri urinarum impedimentum possunt removere; vel succus *Cucumeris sativi* seu Cucumeris (§. 182) natum ex phthisi hydropem potuit interdum discutere; vel radix *Bryoniae albae* seu Bryoniae (§. 1463) in succo, aut decoctu cautissime data, ab una pedetentim drachma ad alteram, et ultra dosim ducendo, pertinaciores interdum hydropes sanaverit, in taleolas secta, aut con-

tusa oedematosis tumoribus admota, ob eductam aquam interdum discusserit; vel remedia ex *Cucumis colocynthidis* seu Colocynthidis pulpa desumpta iam satis alibi tradita (§. 1459, et seq.) validissimi interdum diuretici, atque utilis etiam remedii loco fuisse, quando aegrorum, morborumque rationes eiusmodi hydragoga medicamenta admittebant. Haec enim e vestigio attigisse mihi satis est, cui praeterea non occurrit quidquam hic tradere de diureticis facultatibus, quas Extractum *Momordicae elaterii* seu Cucumeris asinini habet, post ea, quae ad rectum eius usum constituendum, ut citra omne discrimen, utilissimeque interdum queat valentissimum hocce pharmacum propinari (§. 1462), iam adducta fuerunt.

1532. Veniam igitur nunc ad Solanaceas, ac primum monebo *Solani dulcamarae* seu Dulcamarae stipites, aut caules, de quibus alio loco iterum dicturus sum, dum egregie resolvunt, stimulant, ac spasmos discutiunt, urinas toties ex quorundam opinione generatim incitare, quoties eorum vis ad cutim non contendit; ad quam tamen apud nos solet plerumque humores amandare, ut alieni, aut nocui per eiusdem spiracula utiliter e corpore secedant. Hinc ex Dulcamarae Stipitibus illud commodum in hydropicorum curationibus se non raro consequutos fuisse Recentiorum quidam testati sunt, quod ex eiusdem stirpis radice in eodem morbi genere suis aegris Antiquiores pollicebantur. Verum

diureticam Dulcamarae potentiam non tanti faciendam esse arbitror qui viderim saepe, quando etiam nullam aliam praestat exinanitionem, vix percipiendum urinarum incrementum afferre, atque insuper observem CULLENIUM fatentem se nunquam fere ex eiusmodi Stipitibus diuretici medicamenti actionem assequi potuisse.

1533. Inusitatae autem nobis sunt baccae *Physali alkekengi* seu Alkekengi initio acidulae, postea leviter amarae, quamquam alias sive integrae, aut contusae tres, aut quatuor, aut plures numero, sive in pulverem redactae a scriptulis duobus ad drachmas duas, tresve, sive in decoctu a tribus drachmis ad sesquiunciam, sive in succo expresso, atque inspissato ab una drachma ad unciam aegris, ut urina potenter avocaretur, saepe propinari solerent, ac magnopere celebrarentur. Nam praeterquamquod Alkekengi, utpote ductum ex Stirpium ordine, ad quem venenatissimae pertinent, non adeo innoxium visum est Nuperioribus, ut Priscorum opinio ferebat, ob diureticam virtutem non tanti existimandum esse apparuit, quanti olim habebatur. In hydrope enim, in arthritide, in visceribus pituita farctis, atque in renum, et vesicae calculis, aliisque affectibus, in quibus resolvendi humoris, ac valide ciendae urinae necessitas erat, novissime adhibitae baccae fefellerunt.

1534. Sicuti vero nonnulli existimant ob valide stimulantem vim *Capsici annui* seu Pi-

peris indici, aut Capsici (§. 885) semina, et capsulas saepe utile remedium ad alvum ducendam largiri, quo apud nos etiam Iamaicensium more uti Medici deberent; sic alii non desunt, qui ab iisdem Capsici partibus diureticum desumi posse coniiciant, quod, ubi stimulus non levis requiritur, ciendis urinis commodissimum futurum sit. Verum ista experimentis constituenda sunt, antequam iisdem rationalis Medicus possit subscribere, maxime qui non ignoret validiores etiam aegros Capsici usum prudenter institutum non sustinere, quin stomachi molestiam sentiant, imo, animadvertente MURRAYO (*a*), tenesmum, atque ani ardorem patiantur.

1535. Sed ex uno Solanacearum genere, cui *Digitalis* nomen est, urinae ciendae aptissimum auxilium sibi comparare Medicina nuperrime studuit. Nimium *Digitalis purpureae* seu Digitalis foliis amaris, ingratis, atque ita acribus, ut linguam, et fauces valde irritent, atque exulcerent, imo ingesta vomitum, atque alvum vehementer moveant, arteriarum ictus raros admodum, exilesque reddant, pluribusque convulsivis, spasticisve affectibus illatis vitam hominis in discrimen adducant, atque interdum, nisi lac, mucilago, aliaque subveniant acribus venenis contraria, extinguant, foliis, inquam, quibus Ars salutaris

(*a*) Op. et Vol. cit. p. 476.

multopridem usa erat, ut eorum decoctu, aut succo intus dato, epilepsia, maximeque strumis, ac scrofulis laborantes sanaret, tum parato ex iisdem, vel ex floribus cum pinguedine unguento extrinsecus adhibito, scrophulis humidis, pureque manantibus mederetur, hodie hydropicis insigni auxilio esse contendit. Vulgi enim opinione, atque usu apud quasdam Gentes solummodo probatum istud remedii genus adversus hydropisim, cum ad singulas eius species egregie valere Ill. WITHERINGIUS experimentis innixus affirmasset, ac dein aliorum etiam Clinicorum auctoritate inclaruisset; plerisque iam videtur Digitalis pulvere nullum fere ad resolvendum crassum humorem efficacius, atque ad ciendam urinam promptius, ac validius in Diureticorum censu occurrere.

1536. Quare ubique locorum Digitalis purpurea in succo, decoctu, atque infusu, tum praesertim pulveris forma, qui quidem caute ad unum granum, deinde ad duo, vel tria, semel et iterum quotidie exhiberi debet, opportune usurpata, ubi debilitas, et laxitas praesto sunt, in tantam venit celebritatem in adductis morbis, atque in asthmate humido, ictero, viscerum indurationibus, aliisque affectibus, quibus resolventia, et stimulantia Diuretica opitulantur, ut quidam nolint putare aliquid non incelebrium Medicorum contrarias observationes. Quae nimirum luculenter evincunt eorum expectationem saepe, et tunc quoque fefelisse Digitalem, quan-

do non aegre solubilis morbus erat, cessitque revera administratis postea iis rebus, quae mediocriter tum resolvunt, tum urinas proliciunt. Quare merito vereor, ne usus Digitalis purpureae ad explendas hydropicorum curationes intra eos aequos limites hactenus concludi possit, quos experientia sepius a me, aliisque consulta omnino constituendos esse indicavit. Docuit siquidem Digitalem in hydrope ab excretis retentis, viscerumque obstructionibus nato, nec antiquo, nec complicato, nec magno, nec curatu difficili, quidem prodesse, at generatim ita prodesse, ut saepe fallat, ac plerumque aliis indigeat remediis, ut post eductas aquas morbum radicitus evellat.

1537. Maxime vero circumscribenda Digitalis efficacitas videtur cum votis interdum non responderit, licet ad scriptulum usque intra diem insumeretur; cum interdum unius tantum grani pondere bis, terve data, subinde saccharo, gummi, aliisve temperantibus involventibusque admixta, pulsus celeritatem, et robur nimium fregerit, aut anxietatem, visus obnubilationem, vertiginem, cardialgiam, et vomitum in sensilioribus concitarit; cumque etiam ex Anglia, et Germania advecta, ut probatissimae notae esset, ac nullis neglectis cautionibus, quas WITHERINGIUS indicavit, diu exhibita parum utilis cesserit. Caeterum non eo animo haec profero, ut velim cum quibusdam evincere, Purpurae sufficiendam esse *Digitalem luteam*, quam illi

viribus supparem, atque interim actione leniorem, tutioremque arbitrantur. Neutrum enim admitti posse perspicue didici eam in Alpibus Helvetiae collectam, atque exsiccatam pulveris forma ad multa etiam grana adhibens in iis morborum speciebus, in quibus utiliter Purpuream usurpaveram. Quam ob rem, etsi concedam Cl. VITETO (*a*) Luteam digitalem abunde tantum ingestam vomitum, atque alvum concitare, atque impune dosim eius intra diem ad plurima grana auxerim, a Purpureae tamen actione existimo longe abesse.

1538. Num interim Purpuream inter, ac Luteam, quo ad virtutem, media quodammodo esset illa, quae *Digitalis ambigua* dicitur, ad medicos usus nondum recepta, ego forte primus eam hydrope implicatis propinans diligenter exploravi. Nec quidem experimentum irritum cessit, quoniam Vir leucophlegmatia detentus quatuor pulveris granis bis, quater, sexies quotidie sumptis brevvi recreatus duodecima die feliciter convaluit revocatis primum sine ulla eius molestia, dein largiter urinis effusis. Quare sex Foeminis, quarum aliae anasarca, aliae etiam ascite laborabant ex viscerum oppilationibus, cachexia, ac male iudicatis febribus intermittentibus, similiter Digitalis ambigua data est; atque

(*a*) Farmacop. de Lyon. pag. 35.

atque eo sane eventu, ut quatuor penitus convalescerent, ac reliquae gravius aegrotantes manifeste a morbo levarentur, auctis pariter urinis.

1539. Quapropter etiam si ista iusto pauciora habeam ad aliquid certi de Ambiguae digitalis viribus, usibusque statuendum, satis tamen esse puto ad excitandos Artifices, qui Therapeutices incrementis student, ut, apta investigatione suscepta, eruant quid revera commodi queat sive resolventis, sive diuretici remedii loco usurpata haec quoque Digitalis species nobis afferre. Nec alienum mihi videtur eadem pericula ad reliquas Digitalis species, quarum nulla hactenus ad medendum traducta est, ac praesertim ad *thapsi*, atque ad *ferrugineam* extendere, cum id agere utriusque copia in finitimis Insubriae montibus obvia cuique permittat.

1540. E Campanaceis etiam Diuretica nos posse desumere, quae interdum proficiant, quorundam opinio est. Ut siquidem eos mittam Scriptores, qui ex utilitate hydropicis quandoque allata ab acribus resinosis *Convolvuli*, sive *ialappae*, sive *scamonii*, sive *sepium* inspissatis succis, horum diureticam vim perperam arguunt, cum omne, aut maius emolumentum ab aquoso humore largiter ex alvo educto manaverit. (§. 1449, et seq.) occurrunt, qui duas *Violae* species urinae ciendae caussa nobis fidenter proponant. Sunt nimirum, qui, etiamsi mecum sentiant semina *Violae odoratae* seu Violae (§. 1392.) in

calculos singulari virtute non agere, velint nihilominus eadem ciendis valide urinis idonea esse; dum alii pariter Auctores perhibent herbam *Violae tricoloris* seu Floris Trinitatis, aut Violae tricoloris, quae in pectoris, ac cutis chronicis affectibus alias probata, nunc cura Ill. STRAKII in crusta lactea veluti efficacissima crebro adhibetur, vel uno urinae proliciendae fine aliis in morbis admodum utilem futuram.

1541. Verum herbam eiusmodi ad manipulum in lactis sesquilibra, vel in aquae libris duabus decoctam, aut eius pulverem ab una drachma ad quatuor, et ultra incoctum pariter vel lacte, vel aqua, aut minori dosi partite cum saccharo, vel gummi in pilulas convolutum eundem pulverem, aut recentis herbae succum ab aliquot drachmis ad sesquiunciam, ubi quotidie, recteque Infantes, et Pueri lacteae crustae, aut natis inde malis obnoxii assumant, illi nempe minori, hi maiori dosi tamdiu usurpent, donec crustae, quae sub usu remedii magis erumpunt, decidant, atque ab omni labe, aut tumore ubique cutis immunis fiat, eos quidem saepe, nec aegre sanari lubens, expertusque Summis Viris STRAKIO (*a*), atque HAASIO (*b*) concedo. Huic item, aliisque Auctoribus subscribo, dum eiusmodi herbam diu usurpatam

(*a*) De crust. lact. Infant. Dissert.
(*b*) Dissert. De Viol. Tricolor.

aegris, quos tinea, achores, pustulae, serpigines, aut reliquae exanthematum, atque impertiginum species detinebant, insigni auxilio, imo saluti fuisse testantur. Non enim ea, quae vel alibi, vel apud nos observata dicuntur, ac solent a quibusdam narrari, ut Violae tricoloris in adductis malis efficacitas nulla, aut saltem exigua, hic loci videatur, tanti habeo, ut non debeam cum aliis irritas curationis caussas modo in nimis propere relicto remedii usu, modo in minus recta eius administratione, modo in morbi iam immedicabilis facti indole, modo in huius cum aliis affectibus complicatione iure constituere; etiam si velim ingenue fateri, nunquam ita remedium prodesse, ut quandoque non fallat, aut aliorum remediorum auxilium non requirat. Sed dum ista admitto longe absum, ut arbitrer sive in adductis morborum generibus proficuam esse, sive in aliis, maximeque pectoris, chronicis affectibus vim insignem polliceri ex eo quod singulari halitu, quem felinum dicunt, aegri urinam plerumque imbuat, ac saepius eam citet. Etenim profuisse Violam tricolorem interdum vidi, licet neque urinae odorem ullum tribuisset, neque eius copiam auxisset. Cum autem quoties auxit, toties mediocriter, nec ita constanter auxerit, ut vere, atque efficaciter Diuretica solent, ad hoc remediorum genus Violam tricolorem non possum fidenter revocare.

1542. Ab istis Stirpibus vix accedere oportet ad Contortas, Rotaceas, Bicornes,

atque Asperifolias cum parum, aut nihil ad Therapeuticen Diureticis locupletandam hactenus contulerint. Primae enim dum sistunt radicem *Asclepiadis vincetoxici* seu Vincetoxici, aut Hirundinariae alias hydropicis, ac viscerum obstructioni obnoxiis veluti apprime utilem a medio scriptulo ad duo in pulvere, vel a duabus drachmis ad quatuor in modum infusus crebro propinatam, sistunt utique remedium, quod neque ita aperit, neque ita urinas abunde, aut perpetuo citat, ut illis aegris per se sanandis par debeat existimari. Secundae exhibent herbam, de qua alibi dixi (§. 1236, et 1288) *Anagallidis arvensis* seu Anagallidis, utpote olim in hydrope etiam celebratam ob vim diureticam; cui sane non multum favent experimenta novissime cum herba nunc sicca, nunc recenti a me instituta in aegris febre intermittente legitima, subinde cum cachexia, aut incipiente hydropisi coniuncta occupatis, quibus fere instar Corticis peruviani mederi (quod mihi non accidit) non ignobilis Clinicus Regiae Facultati Medicae Ticinensi ante annum retulit. Ad Bicornes vero quod attinet, utrum *Tamaricis gallicae* seu Tamarisci cortici, et ligno, aliisve partibus hodie apud nos plane exoletis aperiens, sicuti olim tradebatur, atque ictero, rachitidi, viscerum tumoribus, aliisque chronicis passionibus vincendis par sit facultas, nuperiores Therapeutae mecum vehementer dubitant. Nec minori iure ex Asperifoliis crebro olim petitum semen

Lithospermi officinalis seu Lithospermi dubiae virtutis diureticum hac aetate censetur.

1543. Nec quae proxime sequuntur, Stirpes plura, maioraque Diuretica nobis attulerunt. Verticillatas profecto, quae in renes speciatim agere non videntur, vix posse interdum ad urinam augendam leni stimulo suo, quo fibras percellunt, ac stimulando humores paullo resolvunt, aliquid conferre quidam coniiciunt. Personatas vero, cum *Antirrhini linariae* seu Linariae herba, utpote non satis innocue, nec constanter movens urinas, exoleta sit, quae nec Unguentum de Linaria ad dolentes haemorrhoides nobis suppeditat, cumque *Gratiola officinalis*, cuius iam memini (§. 1345.), etsi efficaciter moveat interdum urinas, ob alias caussas ad id non probetur, ad Diureticorum genus Recentiores non referunt. Rheades quoque isti praetereunt, cum probe sciant Opium per se diureticum non esse, atque urinarum sive secretioni, sive excretioni, tunc solum prospicere, quando alterutra nervorum passione praepeditur, aut deficit, nec ignorent *Chelidonii maioris* seu Chelidonii vulgaris herbae, et radici nullam diureticam vim a plerisque concedi. Putamineas demum ii solum probare possunt, qui *Capparidis spinosae* seu Capparidis flores nondum expansos, vulgo gemmas aceto apte conditas, ac subinde sale leviter inspersas non modo condimentum praestare, quod plurium palato arridet, ciborum desiderium facit, ac digestio-

nem adiuvat, (§. 290) mecum affirmant, sed praeterea certis observationibus licet destituti eas, itemque folia, radicem, et corticem, nephritidi ex calculo mederi, hydropisim discutere, viscerum, quae abdomine continentur, obstructiones, ac tumores solvere, atque arthritidis affectibus auxiliari tam fidenter tradunt, ut videantur credulitate eos fere aemulare, qui olim contendebant Oleum capparidum illinitum glandularum, viscerumque indurationes radicitus resolvere.

1544. Prae istis proinde stirpibus ad urinam ciendam valere Siliquosas Medicinae Scriptores communiter tradunt. Nec quidem immerito eas tum generatim, tum nonnullas speciatim diureticas censent. Cum enim in omnibus singulare insit principium volatile, atque acre, alibi indicatum (§. 868, et 869) quod plus, minusque stimulat, ac stimulando discutit, tenuat, ac resolvit, id quoque inest, quod vel ad uberiorem urinae separationem efficiendam, vel ad eius fluxum expediendum saepe requiritur. Maxime vero quod istud Siliquosis proprium actionis principium plerisque videtur, non solum corpus humanum eo, quem dicebam, modo in universum afficere, qui interdum urinae movendae sufficiat, verum etiam peculiari prorsus ratione renes aggredi, potioremque suam vim in eos exerere. Hinc, ubi illius principii actio corporis, aut renum conditioni utiliter immutandae, ut retenta redeat, aut copiosior effluat urina, idonea, aut necessaria iudicatur, et

non sine effectu administrantur illae omnes Siliquosae, quas alibi exposui (§. 864 et seq.) et praesertim illae, quas (§. 865 et 867) dixi efficaciores, atque usitatiores esse.

1545. Interea reticendum non est Siliquosarum usum urinae tantum ciendae caussa perraro a Nuperioribus institui, nec ubi privatim ob morbi indolem indicetur, ei solum futuri urinarum fluxus fiduciam committi. In hoc quippe casu alia Clinici una usurpant auxilia, quorum qualitates, et vires cum Siliquosarum proprietatibus ita conspirant, ut istis virtute diuretica longe antecellant. Quod profecto recte fieri complurium opinio est. Etenim sive harum stirpium pleraeque volatili acri principiò inopes sint, sive quae abundant, ad renes non omne deferant, aut non sine gravi stomachi damno queant, ut CULLENIUS apposite observat, deducere, Siliquosarum illae etiam parum efficaces, vel ancipites, vel periculosae hodie videntur, quae olim ad urinam ciendam fidentius proponi consueverant. Nempe radices *Cochleariae armoraceae* seu Raphani rusticani, ac semina *Erysimi officinalis* seu Erysimi, *Brassicae erucae* seu Erucae, *Lepidii sativi* seu Nasturtii hortensis, *Thlaspi arvensis* seu Thlaspeos, et *Sinapis* sive *nigrae*, sive *albae*, quibus hydropicorum curationes ob natum urinarum profluvium non raro absolutas fuisse quidam narrant.

1546. Unum autem ex Papilionaceis affertur Recentiorum etiam quorundam opinione valde diureticum, nempe radix Ononidis spi-

nosae, quae a nonnullis ex *Ononidis arvensis* varietate, ab aliis ex distincta specie desumi dicitur. Huic nimirum radici, ac praesertim eiusdem cortici, cum ad drachmam in pulvere, ad duas in decoctu exhibuissent BERGIUS, ACRELIUS, aliique magni nominis Viri, subinde etiam exterius imposuissent, tantum tribuerunt, ut eam calculorum cruciatus lenire, hydrocelen, atque hydrosarcocelen interdum resolvere, viscerum obstructiones, tumoresque discutere, et cachexiae, atque hydropis variis specibus mederi dixerint. Sed cum a me saepe in hisce morbis et diu, et liberaliter adhibita Ononidis radix tantae, sive resolventis, sive diureticae, facultatis testimonia nunquam ediderit, a Clinicis enixe peto, ut sine ulla praeconcepta opinione querant, utrum illis, qui Ononidem insigniter urinas prolicere existimant, an mihi potius, qui vix paullum augere observavi, experientia respondeat.

1547 Studeant item Clinici eruere, num reliquae Papilionaceae, quarum usus, ubi urinam citare oporteret, creber olim erat, nunc iure exoleverint. Nam quidam dum recte eos sentire decernunt, qui earundem Stirpium cineres supervacaneos existimant, utpote a reliquarum cinere, qui pariter ab alkali fixo eiusdem plane indolis parem vim habet, nullo modo dissimiles, negant Stirpes ipsas merito nobis inusitatas esse. Quandoquidem animadvertunt caulibus, foliis, et summitatibus floridis *Spartii scoparii* seu Genistae vulgaris,

aut huius loco usurpatis foliis, floribusque *Genistae tinctoriae* (etiamsi ad *Genistam canariensem* forte pertinens lignosa radix negligatur, quae lignum Rhodium, olim Nephritico suppar habitum, nunc obsoletum, in Officinis audit) non parum resolventes, ac valde diureticas facultates ab iis Auctoribus tribui, qui ab eorum utilitate in obstructis, atque hydropicis eas se deduxisse testantur.

1548. Quam efficaces praeterea sint, quibusque praesertim aegris idoneae sua diuretica virtute inter Lomentaceas stirpes *Polygalae* variae species, ac maxime *Seneka*, hic tradere non vacat post ea, quae fuse de singularum viribus, usibusque (§. 1292, et seq.) iam prolata fuerunt. Eximia quippe illa vis, qua Seneka inprimis resolvit, apteque attenuatos, morbidosque humores per varia loca facile eliminat, tam saepe in morbis se prodit, qui resolventibus, incitantibusque Diureticis indigent, tamque copiosam tunc reddit urinam, ut ad potiora diuretica medicamenta Polygalae Senekae radix pertineat. Non enim solum, validiorum instar urinam solventium medicaminum, huius profluvium saepe concitasse Polygalam, quo anasarca, ascites, ac pectoris hydrops tuto imminui, ac discuti potuerint, Clinici observarunt, verum etiam in bronchiorum glandulas, atque in alias, sive pectoris, sive reliquorum viscerum, partes ea interdum ratione egisse, sine qua vel initio excitus urinarum fluxus perseverare, vel morbus radicitus tolli haud potuisset.

1549. Multisiliquas etiam, tamquam diureticas, saltem aliquas, Therapeutae magnificant. Harum princeps usus antiquitate, virium praestantia, ac constanti apud Medicos fama radix *Hellebori nigri* seu Hellebori ab iis potissimum habetur, qui Graecorum Melampodion, aut DIOSCORIDIS Helleborum, ad hanc speciem pertinere arbitrantur. Sed „ an „ nostra planta, inquit apposite Cl. IASKIE„ WICZIUS (*a*), Helleborus Antiquorum sit, „ necdum liquido patet: imo si DIOSCORIDIS „ descriptionem perpendamus, eam plantae „ nostrae minime convenire animadvertemus. „ Nam primo folia Platano similia DIOSCO„ RIDES dicit, aspera, scabra, ubi in hoc „ glaberrima sunt; flores in caule colligi in „ racemos; radiculas longas atras prodire ex „ uno, eodemque capite; quae omnia, quoad „ maximam partem de nostro Helleboro dici „ nequeunt. Hanc DIOSCORIDIS descripitio„ nem, postquam Cel. Professor de IACQUIN „ cum nostro Helleboro diligentissime contu„ lerit; et ex manuscripto DIOSCORIDIS in „ Bibliotheca Caesarea asservato DIOSCORI„ DIS Helleborum in Olimpo crescere didi„ cerit; ab Amico suo, tunc temporis Con„ stantinopoli degente, plantam hanc DIO„ SCORIDIS petiit, et obtinuit, sed absque „ foliis: radix nullo pacto distingui poterat „ a radice Hellebori nostratis, nisi solo acriori

---

(*a*) Pharmac. Regni Vegetab. pag. 181.

„ sapore; hinc dubium semper adhuc manet, „ quaenam sit DIOSCORIDIS planta". Caeterum speciem Hellebori, quam cum LINNEO *nigram* dicimus, in Olimpo, atque Antycira Insula, e quibus Veteres petere Helleborum consueverant, crescentem BELLONIUM, TOURNEFORTIUM, aliosque invenisse opportune MURRAYUS animadvertit.

1550. Ex hisce proinde, aliisque non paucis, quae utrinque pugnantia afferri possent, qui concludunt satius esse, quaestione in medio relicta, proprias huic nostratis Hellebori radici facultates persequi, prudentissime se gerere mihi videntur. Quos quidem ita probare soleo, ut neque Veterum observata de Melampodio ei plane referam, neque illa ei tribuam, quae radicibus *Hellebori viridis*, aliarumque acrium, ac venenatarum stirpium errore, aliave caussa nigrae suffectis aequiori iure debentur. Interea non inde cum quibusdam deduco hanc radicem omni nocendi potestate carere. Quamquam enim verum sit, eam pro soli, ac regionis varietate plus, minusve acrem esse, exsiccatione tenuioribus, ac fugacibus particulis, quibus potior virtus adhaerere videtur, privatam, aut aetate, vel protracta coctione iisdem destitutam, propriam vim, ob quam exigua dosi data remedio est, maiori vero nocet, facile exuere; verissimum quoque est, nunquam adeo amittere, nisi omnis acritatis expers prorus effoeta appareat, ut probe, et recens exsiccata, ac praesertim e terra vix evulsa vene-

natae potentiae manifesta indicia non praebeat. Porro, etsi concedam, nimium semper esse quod nocet, ne multum radicis perpetuo requiri existimem, ut infensa usque ad necem evadat, unum mihi satis est exemplum, caeteris missis, quod affert MORGAGNUS (a) nempe Viri, qui Extracto recentis Hellebori radicis, drachmae dimidiae pondere, assumpto, ventriculi, intestinorumque inflammatione periit.

1551. Quamobrem non omittunt Therapeutae huius quoque virus antidota proponere, cuiusmodi habent lac, eius serum, oleum, et diluentes affatim haustas potiones, tum sedulo monere, ne ultra exiguam admodum dosim Helleborum inter initia Medicus usurpet. Quod profecto eo studiosius fieri debet, quod ob variam acrimoniam radicis, aut dissimilem aegrorum constitutionem leves etiam doses officere interdum viderim, nempe tormina saepe inferre, alvumque intempestive resolvere, atque a Recentioribus animadversum sit coctione, melle, oxymelite, aliisve modis a Veteribus prolatis acre Hellebori principium non enervari quin simul medicata vis pereat, sitque demum iam perspectum, idem virus, sive validum, sive mite putetur, neque acidum, neque alcalicum esse, sicuti quorundam fuit coniectura, quia RUTTYO auctore (b)

(a) De Sed. et Caus. Morb. Epist. 59. art. 15.
(b) Mat. Med. Antiq. et Nov. p. 177.

praedominantis sive acidi, sive alcali notas non ostendit.

1552. Quaecumque tamen sit principii natura, ex qua Hellebori radix suae actionis caussam agnoscit, cum saepe cum aliis specie similibus radicibus fuerit confusa, cumque, germana etiam ubi sit, qualitatum suarum, atque una virium detrimentum facile subeat, tum apposite suadet MURRAYUS (*a*), » ut pharmacopolae Hellebori nigri radicem » non ex peregrinis aromatariis, sed ipsi eandem suis in hortis alant «; tum prudens quisque sedulo monet, ut ea tantum, quae optimae notae sit, aegris offeratur. Eiusmodi censetur radix, quae tuberosa, subcylindrica, hinc illinc admodum brevibus obsita ramis, emittentibus pariter complures fibras, glabras, et teretes, quarum longitudo, itemque crassities varia est, intus albida, extus fusca, atque exsiccatione nigricans levem amaritiem prodit cum acredine coniunctam, ex qua diutius inhaerente lingua quodam torpore corripitur, quae olfacta acri nauseoso stimulo vellicat nares, quaeque cuti diu adhaerens, ex parte praesertim corticis, cuius, fibrarumqne acritudo maior est, eam rubore perfundit, atque, ut quidam perhibent, etiam exulcerat. Quae quidem qualitates recenti radici propriae, quo magis in exsiccata supersunt, eo aptiorem reddunt radicem iis praestandis effecti-

(*a*) Op. cit. Vol. III.

bus, quos a volatilibus eius partibus plerique nunc deducunt, dum quidam ita alias derivarent a resinosis, et gummeis particulis, ut ab illis ventrem solvi, ab istis urinam cieri dicerent; etsi moneat SPIELMANNUS (*a*) ob arctum inter se nexum, tam ab alcohole, quam ab aqua utrasque coniunctim extrahi.

1553. Ex hisce autem radicis Hellebori nigri proprietatibus, pronum iam fuit Medicis coniicere stimulando, atque efficaciter resolvendo parem eam futuram quibusdam non levibus affectibus vincendis, imo quibusdam etiam, sive mitigandis, sive discutiendis, quorum curationem Melampodio Veteres committebant. Et re quidem vera eos recte sensisse complures aegri chronicis morbis detenti ostenderunt, quos huius pharmaci usu sanitati redditos Clinices Scriptores iamdiu commemorarunt, ac luculentius adhuc Nuperiorum experientia evicit. Hac quippe edocemur radicem recentem, aut non diu servatam a dimidia drachma ad unam, alteramve, vix ultra, ex aqua, interdum ex vino infusam, eiusque inprimis Extractum ab aliquot granis ad decem, ad quindecim, imo deinde ad viginti usque, intra diem utilissime usurpasse qui laborabant inveteratis obstructionibus viscerum, qui ob copiam crassi humoris aegre spirabant, qui rheumaticis, ac pituitosis affectibus detinebantur, qui ob pravum corporis

(*a*) Mat. Med. pag. 634.

habitum, aut ob nimiam humorum iacturam, aut ob neglectam intermittentis febris, atque inprimis quartanae, curationem in hydropem inciderant, qui melancholici, aut maniaci erant, quique demum vario impetiginum genere cutim obsitam, aut instar leprae foedam exhibebant. Istis nimirum Hellebori usus rite institutus, ac diu continuatus remedio non raro fuit, quatenus tuto stimulando, atque efficaciter resolvendo mali caussam emendavit, et sustulit, atque id omne, quod foras erat ad salutem eliminandum, reserata alvo, atque urinarum fluxu incitato, apteque protracto, provide eduxit.

1554. Neque minori cum effectu Extractum ex radice hic culti Hellebori nigri probe confectum, qua una forma eum soleo usurpare, apud nos datum superioribus annis fuit aegris, qui ex paullo ante allatis caussis hydrope, sive ventris, sive totius corporis, laborabant. Quod potissimum monendum erat, ne cum dico nuper celebratissimas in Gallia adversus hoc morbi genus Pilulas tonicas BAKERII (quae ex uncia Extracti radicis exsiccatae, tritae, cum alkoole alkalico, dein vino acidulo maceratae, coctae, atque cum aqua iterum igni expositae, apteque post additum alcohol inspissatae, atque ex pari quantitate Extracti Myrrhae aqua solutae, ac decem scriptulis pulveris Cardui benedicti compositae in pilulas, quarum quaelibet dimidium granum pondere non excedat, dividuntur) hydropicis parum idoneas, ac raro

proficuas hic loci fuisse, minoris commodi, aut tam rarae efficacitatis caussa in Hellebori nostratis inertia, aut quovis alio vitio fortasse queratur. Id enim vero praeparationi minus recte peractae, aut dissimili methodo susceptae tribui nullo modo potest cum nihil eorum, quae ex BAKERII praescriptione iussit (*a*) Ill. RICHARDIUS, neglectum unquam fuerit.

1555. Porro hae pilulae, modo sex, modo octo, aegris oblatae, dein post unam, alteramve horam totidem exhibitae, quandoque etiam tertio intra diem propinatae, (quoniam inter horae spatium triginta, aut quadraginta, sicuti Auctor praecipit, ob molestiam praebere, quam stomacho pauciores attulerant, nobis non licuit), generatim visae sunt resolventi, ac diuretica facultate Extracto, cuius memini, in hydropicorum curatione concedere. Tardius siquidem, ac parcius urinae fluxerunt, alvus post ventris irritationes saepius soluta non est, ac sitis, oris ariditas, atque alia aegritudinis incommoda difficilius, ac rarius mitigata fuerunt, etiamsi remedii actio perpetuo adiuvaretur tum copiosa potione, quam cum Ill. BAKERO (*b*) plerique utilem, ac necessariam iudicant, tum eiusdem me-

---

(*a*) Recuil des observat. fait. dans les Hopit. Milit. (*b*) Exposition des differ. moyens usités dans les Hydropisies.

medicaminis usu ad plures dies continuato. Tam raro profecto Pilulae eiusmodi ad hydropisim, solutu caeterum non difficilem, aliisque postea rebus sublatam, cito, perfecteque curandam valuerunt, ut iis subscribendum esse, apud nos saltem, Auctoribus videatur, qui ita cum Ill. QUARINIO censent (*a*), easdem convenire in hydropisis speciebus, quae a nimiis exinanitionibus, ac male iudicatis febribus intermittentibus originem ducunt, ut insuper tradant etiam in hisce plerumque omnem Medici expectationem non explere.

1556. Post Helleborum nigrum inter Multisiliquas nullam stirpem reperio, quae urinae movendae caussa in usum veniat, licet aliquas earum, resolvendi virtute praeditas, non raro eam concitasse Medicinae Scriptores moneant. Id saltem de Extracto tum *Hellebori viridis*, tum *Anemonis pratensis* seu Pulsaillae nigricantis (§. 885.) utroque ad paucissima grana adhibito, testantur. Nec inter Senticosas ullam invenio, cuius possim usum proponere. Scio enim *Fragariae vescae* seu Fragariae (§. 190.) radices perperam diureticas vulgo dici, et *Rosae caninae* seu Rosae Sylvestris fructus, quos Cynosbatos vocant (§. 728.), nec perpetuo, nec ea copia urinas ciere, ut hodie probentur, sicuti alias credebatur, ad hydropisim profluvio urina-

---

(*a*) Animad. Pract. p. 149.

rum discutiendam. Nec demum inter Succulentas ullam diureticam reperio, nisi velim cum Viro immortalis memoriae MURRAYO (a), utpote experimentis dignam Medicorum, herbam *Mesembryanthemi crystallini* subsalso, ac refrigeranti sapore donatam proponere. Ideo enim videtur in vaporariis eiusmodi Stirps excolenda, atque in aegris periclitanda, quia expressum ex ea succum ad unum cochleare Adultis, ad medium Pueris propinatum urinae suppressione, aut difficultate ex pituita, aut spasmo vesicae laborantibus, aliisque malis ex bilis vitio obnoxiis mirifice auxiliari Cl. LIEBIUS inprimis nuperrime tradidit.

1557. Nunc autem de Oleraceis dicturus, quarum etiam nonnullae a Materiae medicae Scriptoribus veluti diureticae spectantur, vix non alienum duco e vestigio monuisse, herbam *Chenopodii boni henrici* seu Boni henrici, quae exterius imposita ulcera sordida abstergere, utiliter digerere, oedematosos tumores discutere, atque herpeti, aliisve cutis vitiis auxiliari non raro visa est, diureticam ex manifesta potius eius discutiendi facultate, quam ex instituta hactenus observatione iudicari; herbam item *Chenopodii* sive *botrytis*, seu Botritis mexicanae incidentem, atque aperientem virtutem, qua levibus pectoris affectibus quandoque subvenit, vix ullam in renes exerere; *Salsolam sodam*, nobis Kali, alias in decoctu

---

(a) Op. cit. Vol. VI. pag. 128.

urinae ciendae caussa adhibitam, exoletam plane esse, ac *Sodae* tantum parandae inservire; ac nondum posse constitui quid apud nos praestare queat sive herba *Camphorosmi monspeliensis* seu Camphoratae (§. 1290) sive *Herniariae glabrae*, seu Herniariae in hydropisi, cuius curationi, motis urinis, prospicere a quibusdam traditur.

1558. Illa vero duo remedia, quae ad renes actionem suam tam manifeste deducere Medicorum quidam observant, ut inde non leve diureticum auxilium afferre decernant, nempe radicem Rhabarbari (§. 1424, et seq.) et lignum *Lauri sassafras* seu Sassafras, cuius vires, atque usus alibi fuse tradam, non tanti puto facienda, ut hi arbitrantur. Quandoquidem licet Rheum colore suo inficiat urinam, atque hanc paullum augeat, ac cum salibus mediae indolis apte coniunctum magis sollicitet, tuncque aegris ex bilis vitio, atque obstructionibus iecuris, aliorumque viscerum hydropicis egregie subveniat, per se generatim tam copiose avocare, vel initio aliquatenus auctam tam uberem dein reddere non solet urinam, ut tamquam praestans diureticum pharmacum a Therapeutis spectetur. Quod vero ex VALLISNERII, KALMII, aliiorumque fide, qui hydropisis decoctu ligni Sassafras discussae, profluvio urinarum, meminerunt, ad diureticam eiusdem constituendam potentiam in medium adduxit MURRAYUS, non omnibus adhuc satis firmum videtur.

1559. Num igitur certius id erit, quod de diureticis Scabridarum quarundam facultatibus a LINNEO, aliisque Auctoribus traditur? Ego sane non dixerim, qui animadverto herbam *Parietariae officinalis* seu Parietariae nimis exiguam, nec forte satis demonstratam possidere cuiusque humoris resolvendi vim, ut per se urinae largiter ciendae idonea sit, atque etiam considero certis fundamentis non inniti parem virtutem iamdiu concessam hodie inusitatis Seminibus tum *Urticae piluliferae* seu Urticae Romanae, tum *Urticae dioicae* seu Urticae vulgaris; ex cuius herba succum expressum tamquam eximium ad internas haemorrhagias sistendas, ac praesertim ad sanguinis e pulmonibus sputum cohibendum Vulgus adhibet: remedium sane quod Medici pene omnes adhuc laudant, quam paucissimi vero nostra aetate usurpant.

1560. At iam nimis multae indicatae fuerunt earum Stirpium, quae vel parvi, vel nihili habendae mihi videntur ad ciendas urinas, quamquam alicubi usitatae adhuc sint, aut a plerisque Materiae medicae Scriptoribus laudari adhuc soleant. Quam ob rem, ut proferam tandem potiora, quae non minus usu, quam actionis efficacitate suppetunt nobis Diuretica Vegetabilia, sermonem converto ad Liliaceas stirpes; quae diuretica virtute ita supra reliquas eminent, ut eadem pleraeque prorsus non careant, imo quaedam vere insignem, atque aegris plerumque idoneam secum vehant, ac parem discutiendis chroni-

cis plurium morborum speciebus, quibus urinarum fluxus restitutus, aut cito, et tuto, atque abunde auctus mederi solet. Non interim denego Liliacearum quarundam Medicinae Scriptores ob vim urinae ciendae meminisse, in quibus sane vel nulla, vel admodum exigua est. Ea quidem non pollet *Lilii candidi* seu Lilii albi bulbosa mucilaginea radix, quae sub cinere cocta, et cum oleo olivarum, aut nucum mixta ad ambusta probatur; non tinctura florum, qui halitu suo epilepticis non subveniunt, imo nocui potius videntur; non Aqua ex floribus distillata, quae ex utero non avocat; non extrinsecus illinitum oedematosis tumoribus Oleum florum per insolatione paratum, seu Lirinum, quod virtute a communi oleo non discrepat. Alias praeterea, si quae sunt vires, *Convallariae* sive *maialis* seu Lilii convallium floribus, et foliis, sive *polygonati* seu Sigilli Salomonis radicibus, quibus singulis non utimur, non diureticas Nuperiores tribuunt.

1561. Exiguam pariter *Asparagi officinalis* seu Asparagi sive Sylvestris, sive Sativi turionibus, quorum alibi memini, (§. 181) ac radicibus, quae validiores censentur; diureticam facultatem competere quocumque modo conditi illi sumantur, hae vero qualibet dosi in decoctu usurpentur, dubio procul existimo. Ne enim ex foetore, quem turiones paullo post ac fuerint assumpti, tum ipsae radices, e quibus nondum turiones eruperint, urinae conciliant, vel ex promptitudine, qua

alterutra Asparagi pars ingesta mingendi necessitatem facit, vel ex eorum exemplo, qui dicuntur post largum turionum esum cruentam urinam reddidisse, ad magnam Asparagi diureticam potentiam concludam, vetant experimenta, quae saepe ad eam eruendam, recteque aestimandam suscepta fuerunt. Namque haec luculenter monstrarunt turiones instar alimenti usurpatos, ac radicem, unam ex Radicibus quinque aperientibus maioribus, liberaliter forma decocti propinatam mediocriter, nec perpetuo, urinas prolicere, ac levem etiam aegritudinem, quam earum fluxus sanat, per se nunquam removere. Ictericis quippe, obstructis, pituitosis, atque hydropicis non plus auxilii attulit, quam quodvis non multae efficacitatis diureticum medicamen praestitisset. Quare tum huius periclitationis eventu permotus, tum CULLENII auctoritate suffultus nullam morbi curationem Asparago credere soleo, in qua oporteat humores cito attenuare, et discutere, ac solutos, et mobiles factos ad renes dirigere, atque expedite propellere.

1562. Nullius autem usus tres Allii species ad urinas proliciendas hodie apud Medicos esse solent. Censent enim, licet aliqua virtute non destituantur, impares copioso fluxui proritando, atque ob alias caussas aegris generatim non idoneas. Et revera radix *Allii sativi* seu Allii (§. 291) saporis acris, et fervidi, atque odoris vehementer aromatici, tetri, ac tam penetrantis, ut ingesta cunctos

humores halitu suo inficiat, ac spiritum foedet, etsi a media uncia ad duas infusa, vel in succo a drachma ad unciam epota urinam moveat, ac stimulando, et resolvendo hydropicis, et pituitosis auxilio interdum fuerit, odore suo multis non parum officit, caput tentat in aliis, irritatione sua stomachi molestias, aliasve turbas, ea maxime dosi adhibita, qua diuretica fit, nimis crebro suscitat, ac nimis facile loco urinae calfaciendo, atque excitando sudorem pellit, ut generatim innoxium, raro fallax, ac plerisque conveniens diureticum medicamentum queat Clinicis erogare.

1563. Neque medicamenti instar usurpata, aut abunde cibis addita, ut incitetur, copioseque moveatur urina, aegris idonea *Allii cepae* seu Cepae radix a Therapeutis hodie censetur. Hi profecto non ignorant istam Allii speciem ad ciborum praeparationem receptam (§. 291) condimentum afferre, quod evidenter urinam sollicitat, atque a scorbuto corpus, non secus ac Allium sativum, egregie tuetur; tum coctam, conditamve in modum acetarii, sicuti passim apud nos fieri solet, aut decocti forma assumptam, aut eius maxime succum recens expressum unciatim cum saccharo epotum, aut vinum denique ex Cepa, sicuti e Scilla paratum, urinam generatim ciere, atque interdum ea copia citasse, qua pituitosis, atque hydropicis Cepa remedio quandoque fuerit. Neque Medici denegant a contusis Cepis pedum plantis,

ventri, aliisve partibus admotis oedematosos tumores discussos, atque ascitim, aut anasarcam solutam interdum fuisse. Similem enim opem Rusticis, Pauperibusque hydrope implicatis apud nos Ceparum usum aliquando praestasse certum est.

1564. Verum, dum haec Therapeutae admittunt, apposite observant utplurimum Cepas ea dosi aegros non sustinere, quae ad certius citandam urinam, atque ad eius iam avocatae fluxum satis uberem reddendum, apteque perennandum necessaria est; non ita culturae beneficio Cepae acritatem mitescere, ut dum ea volatilium particularum indole, ex qua inter secandum oculi illacrymant, Allio sativo praestat, huic cedat fervore, ac reliquis qualitatibus, unde Cepa liberaliter veluti medicamentum assumpta vitiis careat, quibus Allium copiose sumentes obnoxii evadunt; eos praeterea, qui possunt sine maiori molestia ferre Ceparum remedium, quam rarissime solo earum usu a pituitosis morbis, atque ab hydrope convalescere; ac demum continuationem huius medicaminis, quae requiritur, tutiori, atque innocuae medendi rationi parum consentaneam videri postquam HALLERUS (*a*) plurimum virus Cepis tribuens SPIGELIO facilius credidit, qui a diuturniore usu mentem turbari monuit.

(*a*) Hist. inchoat. Stirp. Helv. T. II. p. 109.

1565. Illa autem, quae apud Medicinae Scriptores occurrunt de diureticis, ac reliquis facultatibus *Allii porri* seu Porri (§. 291) radicis, et seminum nunc prorsus negliguntur. Quisque enim iam arbitratur coniectura potius ex generis convenientia petita, quam experientia ductos eos fuisse, qui olim Porro vires Allii, et Cepae detulerunt. Praesertim vero quod manifestum sit, hanc Speciem Allii sibi proprio odore a reliquis non parum distingui, iisdemque longe minorem, atque aliquatenus dissimilem acritudinem habere. Hinc neque radices, quarum succum, ut suo loco dicam, quidam calculosis summopere proficuum dixerunt, neque semina, quae alias tusa, atque ex vini albi cyatho ad drachmam unam hydropicis, atque obstructis idonea plerique censebant, nostra aetate in usum veniunt. Neque nobis usitatae amplius sunt ob exiguam ad urinam ciendam, ac plerumque fallacem, nec quidquam proprii habentem vim radix *Allii victorialis* seu Victorialis longae, quae levem Allii odorem, saporemve exsiccatione amittit, et *Gladioli communis* bulbosa radix, quae pariter ad resolvendum, atque ad aperiendum, prout olim tradebatur, non valet, aut saltem utrumque ea nunquam potentia efficit, ut utilibus, tutioribusque Artis auxiliis addenda sit.

1566. Istae caeterum, aliaeve Liliaceae urinam cieant, aegrisque conferant, nec ne, quid refert, quando duo earundem genera, nempe *Scilla*, et *Colchicum* duas pariter species

Medicis afferunt, quae tum huius ordinis Stirpibus, tum reliquis omnibus ad medendum hactenus traductis Vegetabilibus iure optimo antecellunt? Nostra sane retulisse videretur, si ex istis, maximeque e Scilla, de qua primum dicam, nondum sumpsisset Medicina insigne illud, efficacissimumque urinae movendae praesidium, quod radicis *Scillae maritimae* seu Scillae, aut Squillae vis ante HIPPOCRATEM ab EPIMENIDE, vel a PYTHAGORA revelata iamdudum attulit. Quandoquidem huius pharmaci usus in morbis, in quibus urinarum profluvium movere Artis est, apud vetutissimos Medicos cum summopere inclaruisset, sedulo dein studio, atque observatione accuratiori Clinicorum, qui insequentibus aetatibus, ac praesertim nostris diebus floruerunt, ita est constitutus, ut omnium consensu praestantissimus generatim habeatur.

1567. Et re quidem vera ubi velim cum CULLENIO, aliisque arbitrari Scillae maritimae radicem nulla singulari, sibique propria, seu, ut dicunt, specifica virtute urinam ciere, at eo tantum generali stimulo, quo sensiles partes, ac ductus excretionem quamlibet expedientes afficit, quibus admovetur, aliquid ne de diureticis eximiis viribus Scillae detraham? Neutiquam sane. Nam ex eo quod Scilla vomitum moveat (§. 1342) quando stomachum valde irritet, vel alvum ducat, quando confestim e ventriculo delapsa pari modo intestina percellat, vel sputum moveat

(§. 1297) quando ex sanguinis itinere ad pulmones deducta mucosas glandulas exstimulet, perperam quisquam ad minorem eius in urina cienda efficacitatem, opportunitatemque concluderet. Hoc enim observationis genus id solum proprie significat, quod neminem iam latet, nimirum quasdam generatim cautiones diureticum Scillae usum requirere, ut prae aliis exinanitionibus eadem urinarum fluxum invitet, ac speciatim renes, innexasque partes, quae secernendae, atque eiiciendae urinae inserviunt, provide afficiat. Has vero prae aliis visceribus Scillam tentare partes non ne cuique compertissimum est? Nonne ipse CULLENIUS diffiteri non potuit in hac radice verosimiliter inesse acrimoniam eius indolis, ob quam radix singulari quodam modo a serosa sanguinis parte abripiatur, ac facile abrepta prompte ad renes deducatur, eorum tubulos subeat, atque eos acri suo principio ad humorem secernendum adigat?

1568. Fateri proinde oportet Scillae actionem ad renes potius, quam ad alia corporis loca contendere, ac tam saepe urinae eiiciendae caussa propinatam eam tuto, prompte, atque ubertim movere, ut ii neutiquam audiendi sint, qui cum eam spem Medici interdum eludere animadverterint, eius quoque usum ambiguitatis vitio insimulant. Etenim, etsi ultro largiar quandoque fallere, quemadmodum praestantiora quaeque Artis auxilia interdum fallunt, puto quidem irritae eius actionis caussam ab Artifice plerumque pro-

ficisci. Cum enim non semper probe notae radix, aut cum non apta exsiccatione, aliisve modis praeparata aegris fuerit exhibita, cum saepius iis in casibus praescripta, quae eius usum ob morbi, aut aegri naturas, conditionesque plane excludunt, aut vim eius cohibent, cumque nimis multo, aut nimis exiguo pondere data alias fuerit, aut sine aliorum medicaminum coniunctione, quorum auxilio subinde indiget, erit ne mirum, si tunc, ac proinde non raro, expectationem frustraverit?

1569. Primo itaque curare oportet, ut radix ex Hispania, et Sicilia, in quibus etiam regionibus *Scilla maritima* crescit prope mare arenosis locis, quam integra ad nos proveniat; atque ut magna, bulbosa, fere coni, aut pyri formam exhibens, non tunicata, at ex squamis composita, aliis externis membranaceis, aridis, et tenuibus, aliis internis carnosis, inaequalibus, latis, et nervosis, rubro exterius colore notetur. Quae enim radix (quoniam datur in ea quo ad colorem varietas) ob albidas exteriores squamas, alba extus apparet, etiamsi utraque intus perpetuo albicet, aut partim ex albo nunc virescat, nunc lutea sit, rubra non solum minor generatim est, verum etiam, contra quorundam opinionem, virtute debilior communiter iudicatur. Cum praeterea non siccae eius squamae ad nos advehantur, aut ex radice confestim separatae hic tantum servari soleant, at plerumque Medicamentariae Insubriae, at-

que Italiae officinae integris bulbis instruantur, e quibus diu servatis, atque instar ornamenti in altum suspensis germen non raro erumpit, ac loci, aut aeris tepore magis evolutum adeo progreditur, ut flos instare videatur; curare pariter oportet, ne id accidat, neve saltem tum temporis radix ad Medicinae usus impendatur. Tunc enim fieri nequit quin minus virtutis in ea delitescat.

1570. Sit insuper radix tam intus succulenta, ut transversim secta denso, ac visco so succo turgescere appareat, sit, sive recens et cruda, sive sicca, sive praeparata, nullo unquam praedita odore, sitque eo sapore donata, ut cum valida, ingrata, nauseosa, ac diu inhaerente amaritie acritudinem prodat; quae tamen in recenti radice cuique gustanti manifesta, in exsiccata, nisi eius multum sumatur, vix aliqua, aut ne vix quidem percipitur. Debet quoque radix, quae non nimium vetusta, non arida, non aliis de caussis effoeta sit, adhuc cruda vel manibus contrectata, vel corpori affricta pruriginis, caloris, atque ustionis sensum excitare, imo cutim inducto ulcere laedere ob acre illud principium quo minoribus non paucis Animalibus quadrupedibus data lethali veneno est, ac supra modum Homini exhibita, interdum non ultra medium scriptulum, ventris torminibus, haemorrhagiis, et nervorum distentionibus accersitis, quibus ventriculi, intestinorumque inflammatio cum gangraena accedit, mortem infert.

1571. Hinc quonam modo Scillae radix, ut sine ullo aegrorum incommodo, aut periculo urinas potenter cieret, corrigenda esset vel antiquitus Medici studiose investigarunt. Cum enim sola exsiccatione non satis virus mitescere existimarent quidam assatione usi sunt, quidam elixatione, quidam in olla tostione, dum alii radicem farina ex aqua subacta obductam in clibano coquendam esse voluerunt, ac demum nonnulli virium vehementiam tollere vino, vel aceto, vel melle, vel aromatibus, aliisve additis rebus curarunt. Postquam vero tradidit CARTHEUSERUS Scillae bulbos distillationi commissos liquorem acidum emittere, qui cum alcali solutione effervescit; radicem mucilagine constare, in qua exigua copia et resina, et acre proprium volatile acidulum elementum delitescunt; ac radicis ipsius acrimoniam ab alcalicis salibus, non ab acidis infringi, plerique arbitrati sunt, caeteris rationibus reiectis, eius correctionem uno alkali solummodo curandam esse. Praesertim vero quod innotuerit alcalica fere omnem ingratam Scillae amaritiem ei una adimere.

1572. Profecto Scillae correctioni hoc modo apprime consultum videbatur. Verum hac methodo vix indicata ad eam alienam, ac votis Medicorum explendis imparem demonstrandam experientia accessit. Haec quippe brevi evicit, novam hanc rationem non plus reliquis paullo ante indicatis valere, quarum aliae nocuam potestatem Scillae non adi-

munt, vel non satis enervant, vel una cum viru medicatam facultatem, quae integra servanda est, plurimum infirmant, aut etiam tollunt. Quare nuperiores Therapeutae, quin excludant Scillina medicamenta ex Veterum sententia praeparata, aut quin denegent cum Salibus mediis, cum Aromatibus, cum Cortice peruviano, cum Opio, cum Camphora, aliisve remediis Scillam pro vario Artificis consilio apte coniunctam aegris opportuniorem, utilioremque evadere, imo harum tantum additamento quibusdam morbis vincendis parem interdum fieri, generatim in una Scillae exsiccatione recte instituta acquiescunt. Recte, inquam, institutam probant, cum perinde non sit quovis modo exsiccare radicem ad virium conservationem, aut quovis tempore exsiccatam, aut praeparatam usurpare.

1573. Ad eiusmodi porro radicis exsiccationem quod attinet scire expedit, remedii pretium ab eius modo pendere, quoniam iam pridem a Clinicis observatum est, ac nuper etiam a Viro Artis usu insigni CULLENIO animadversum, Scillam, vel admodum multa, vel nimis propera exsiccatione prorsus inefficacem reddi. Quod tamen non eo in sensu accipiendum est, ut cum quibusdam statuatur in umbra rectius eam exsiccari. Nam hoc modo squamae aqueis partibus, quae remedii efficacitati opponuntur, nec facile, nec omnino privantur, diu conservari nequeunt, quin iterum mollescant, aut vitium contrahant, atque in pulverem aegre admodum possunt

resolvi. Ille itaque exsiccationis modus omnium pene consensione hodie probatur, quo radix, post separatas fibras, quibus ad basim obsidetur, atque una extimas, aridas, aut marcescentes quascumque squamas reiectas, in taleolas transversim secta leni igne exsiccatur, donec ob aquam diflatam ex quinis radicis unciis una supersit, aut saltem, quod tutius est, eum siccationis gradum nacta sit, ob quem probe conservata queat deinceps, quando aegro propinanda sit, non difficulter in tenuem pulverem fatiscere. Id enim omitti pariter non debet, ut plus Scilla proficiat, quod a quibusdam Proceribus Artis prudentissime traditur, tunc scilicet Scillam exsiccatam terendam esse cum ea ab Artifice praescribitur, quoniam comminuta, ac diligenter laevigata sicco etiam loco, ac vitreo licet vase occlusa, diu servari non potest, quin aliquid suae efficacitatis amittat.

1574. Hac ratione exsiccata radix, quae in Medicamentariis etiam Insubriae Officinis Scilla sicca dicenda esset, ne confundatur cum altera nonnullis adhuc Medicis acceptissima Veterum more involuta, atque in clibano siccitatem nacta, (§. 1571) rectius Scilla praeparata a Germanis, aut Scilla cocta ab Anglis dicta, tantum sane suae virtutis retinet, ob quam opportune exhibita modo per se, modo pro varia morborum, caussarum, aegrorumque natura, cum aliis remediis, ac perpetuo idonea dosi propinata urinas tam valide incitat, ac copiose prolicit,

tu

ut Scillae Pulpa, seu recenti non exsiccata radice vix unquam Medicina indigere videatur. Profecto licet nolim denegare, ubi validius stimulare, ac resolvere expediat, aut exsiccata non satis ob aegri consuetudinem proficiat, aut diu in eius usu persistere oporteat, recentem, et crudam cum saccharo ad unum, alterumve granum contritam, cautissime intra diem iteratis dosibus, sive ab aliis, sive a me interdum exhibitam innoxie, utiliterque fuisse; censeo nihilominus eam tentandi necessitatem raram admodum esse. Ut enim mittam, raro licere valentioris effectus caussa tam facile nociturum pharmacum propinare, plerumque video mutata exsiccatae Scillae exhibendae ratione, aut eius loco aliis usurpatis Scillinis medicamentis, id assequi plerumque, quod pulvis Scillinus per se datus non praestitit; tum eos pariter video in cruda Scilla usurpanda nimis faciles esse, qui non rite exsiccata utuntur, qui ea copia aegris propinant, ex qua eius actio fere omnis in stomachum impenditur, aut ad intestina deducitur, qui morbum Scilla oppugnare pervicaciter nituntur, cui mitigando, aut vincendo impar est, aut etiam contraria videtur, quique eas vel flocci habent, vel non diligenter regulas sequuntur, quas Diureticorum administratio, ac praesertim Scillae exigit, ut tuto, ut cito, ut iucunde aegris subveniat.

1575. Et re quidem vera Scilla aegris non confert, qui exquisite sanguinea, aut biliosa corporis temperie praediti sunt, in

discrimine inflammationis versantur, vel stomachi languore, aut imbecillitate laborant, ac non parum debiles, et nimium sensiles ex levi quacumque caussa nervorum affectibus obnoxii evadunt. In istis enim remedium, quod secus conveniens, optimumque fuisset, aestum, et febrim accendit, inflammationem accersit, stomachum magis infirmat, et laedit, totius corporis vires magis atterit, nervorumque distentiones movet. Valde praeterea eadem Scilla nocet, ac gravissima toties suscitat mala, quoties detur ubi inveteratae viscerum, maximeque iecinoris, obstructiones, tumores, et scyrrhi, interaneorum exulcerationes, renum, ac vesicae inflammatio, aut ulcus, haemorrhagia, nimia humorum tenuitas, putrida eorum labes, aliaque huius generis occurrunt. Namque tunc exulceratio, cancer, gangraena, saevi dolores, pessima humorum solutio, ac totius corporis squallor, macies, et conliquatio sequuntur.

1576. Prudentis igitur, ac salutem, non caedem molientis Artificis erit, rebus ita se habentibus, a Scillae usu abstinere, quemadmodum periti, maximeque idonei esse solet eum subinde cum aliis una medicamentis suscipere. Horum quippe subsidio vel certius Scillae noxas averti, vel salutares eius effectus tutiores, maioresque effici cuique non ignobili Clinico perspectum iam est. Nemo siquidem non novit ex complurium sententia Scillam cum *Nitratae potassae* seu Nitro apte coniungi, quando ocyus dirigenda ad renes

actio illius videatur, aut corporis conditio, aut ratio caussarum praesto sit, cui generatim Nitrum conducit, quod secus, Ill. QUARINIO auctore (*a*), iis aegris non convenit, quibus laxa est alvus, friget corporis habitus, ac virium imbecillitas est. Nemo item ignorat aliis Salibus mediis, ac praesertim *Tartriti acidulo potassae* seu Cremore tartari Scillam aptissime copulari non minus, ut certius, quando, animadvertente CULLENIO, aqua in cava corporis effusa haeret, ad urinae organa Scilla contendat, quam, ut copiosius fiat urinarum profluvium, crassis melius resolutis humoribus, viscerumque oppilationibus reseratis. Nec quisque fortasse non assequitur Scillam, ubi pituitosus, copia multus, ac viscosus humor adest, medicatiorem fieri additis alcalicis, sive fixis, sive volatilibus Salibus. Quique vero facile sentit cur Scillae aliquid Sacchari adiiciatur, ubi amaritie sua aegris, utpote nimis ingrata, officit, aut nauseam non levem movet, cur Corticis peruvianus, amara, aromatica, atque ex ferro ducta remedia ei admisceantur, ubi laxitas, debilitas, cachexia, aliaque praesto sint, quae roborantia, atque incitantia exigunt, ac cur maxime Cortex ipse conveniat, ac mirifice prosit ubi a neglectis, aut male iudicatis intermittentibus febribus hydrops originem duxit, aut cum febre huius generis invalescit.

(*a*) Op. cit. pag. 166.

1577. Interim vero, ut horum medicaminum additorum utilitas evidens est, atque in adductis casibus praestantium Clinicorum auctoritate, atque usu firmata, in dubium contra ea revocatur, quam a nonnullarum rerum additamento profluere Medicorum quidam affirmant. Etenim qui Vincetoxici radicem Scillae pulveri perpetuo admiscendam ideo praecipiunt, quia hoc modo insontem prorsus, atque una efficaciorem ad ciendam urinam Scillam reddi fidentissime tradunt, non animadvertunt Vincetoxicum exigua admodum vi diuretica pollere (§. 1542.), ac Scillae corrigendae impar ex Nuperiorum observatione revera existere. Qui vero crebro Scillae addito Opio omnes illius noxas praecavere student, aut natos ex ea interaneorum dolores Opio tollere, neque idoneam, neque a periculo vacuam rationem sequuntur; quia et anceps praesidium Opium affert, et, quin acre virus corrigat, demulcentibus tutius enervandum, gangraene metum incutit, quemadmodum Ill. QUARINIUS animadvertit.

1578. Potius Opium, conveniens Scillae additamentum censet CULLENIUS, quando, eius dosi iam multum aucta, expedit curare, ut remedii actio ad renes certius derivetur. At, nisi spasmus hoc modo removendus sit, qui Scillae beneficium impediat, metui potest, ne, ad cutim motus naturae derivando, medicamen in hanc corporis partem, non in renes impetum faciat: quemadmodum metus subest quando Scillae, quorundam more,

Camphora adiungitur alio potius fine, quam eo, quem Ill. TISSOTUS probavit (*a*), nempe ut praecaveantur, aut cessent dolores, et convulsiones, quas in sensilioribus acre Scillae principium intimiora quaeque pervadens plerumque excitat. Caeterum, ne modo de Scillae cum hydrargiri coniunctione loquar, quam dein expendam, non improvide ea antispasticis interdum unitur, ut ab iis eam vim accipiat, ob quasdam morborum complicationes, et caussas quandoque opportunam, qua per se destituta videtur. Quae enim ad Scillam vere, absoluteque antispasticam declarandam adducta hactenus fuerunt, solummodo probare possunt generali actione, qua ad vomendum stomachum compellit, aliasve partes exstimulat, humoresque resolvit, non alia quavis propria, istud pharmacum egisse, quod e contrario ad spasmos, convulsionesque inferendas tantopere valet.

1579. Sive autem cum istis hactenus propositis rebus, sive per se radix Scillae aegris provide, ac recte propinetur, qui ob retentas excretiones, ob stimuli defectum, vel ob lymphaticorum vasculorum inertiam, aut natam alicubi obstructionem, anasarca, ascite, hydrothorace, aliarumque partium hydrope, aut oedematoso tumore laborant, tam mirifice auxiliari generatim solet, largiter effusis urinis,

(*a*) Epist. Med. p. 406.

ut eadem Scilla diureticorum princeps remedium constituere existimetur. Praestat enim aliis, non solum promptitudine, qua urinae secertionem sollicitat, ac secretam prolicit, quam efficacitate suae actionis, ex qua idonea plerumque evadit iis etiam hydropicis insigniter levandis, quibus ob impossibilem morbosae caussae amotionem saluti esse non potest. Nam effusis urinis, aut subinde restitutis, atque intra quamdam mediocritatem conservatis, dum aquarum collectionem imminuit, novam earum in cavitates effusionem impedit, aut retardat, pleraque immedicabilis morbi incommoda arcet, aut removet, eique tantas affert inducias, ut vita protrahatur, imo, ubi curationis spes non omnis abiecta sit, ut Artifici tempus detur alia remedia deinceps tentandi, quae in proximam aegritudinis caussam agant, eamque, si fieri adhuc potest, emendent, aut tollant, reddita in integrum sanitate.

1580. Quatenus vero non stimulando solum prodest Scilla, sed etiam ad resolvendos crassos, tenaces, ac viscosos humores magnopere valet, expeditissimum est assequi quomodo in chronicis plerisque pectoris, aliarumque partium morbis, quos pituitosos Medici vocant, mirifice prosit, atque in anxietate, asthmate, orthopnoea, et catarrho suffocativo, glandularum obstructionibus, aliisque malis ab ea caussa ortis commodissima sit. Etenim, ut in istis casibus aptior, ac praestantior Scilla evadat, non parum confert duplicis eiusdem qualitatis, stimulantis, et resol-

ventis, itemque duplicis virtutis diureticae, atque expectorantis coniunctio. Nam utroque actionis modo quos pituitosos humores tenuatos, atque excussos, sputo, aut exscreatione, quam saepe egregie promovet, (§. 1297) facile, ac penitus educere interdum non potest, ad urinae vias derivat, deductosque expedite eliminat. Atque id cum non raro praestet Scilla quando nocuus pituitosus humor bronchia opplet, crebrius sane, ac certius efficiat necesse est, quando eadem crassa materies renes, aut vesicam occupat, ac dolores, aliasve molestias infert. Hinc non oportet mirari si ex hac caussa nephritidi, aliisve morbis obnoxiis Scilla subveniat, quae praeterea, stimulo suo, vel urinarum incitamento, vel quavis alia singulari proprietate scorbuticis egregie auxiliari, ac verminosis, *Ascaridem lumbricoidem*, ac *Taeniam solium* instar veneni perimendo, prodesse a quibusdam dicitur.

1581. Iure igitur Scillam maximum diureticum medicamentum Therapeutae existimant, etiamsi noverint non in omni casu, ut monui, expedire, imo consulto ex evidenti indicatione adhibitum interdum fallere. Quare ne tam insignis pharmaci commodum Medici negligentia minuatur, non solum, quae iam attuli, praecepta sedulo exequenda erunt, sed illa quoque non minori cura servanda, quae modo ad eius dosim, atque ad exhibendi modum, et formam spectantia presse subiungam. Haec namque negligi nequeunt, quin

minus utilis, aut alienus, aut etiam nocuus Scillae usus evadat. Porro in remedii quantitate constituenda non eandem regulam sequutos Clinicos fuisse patet cuique animadvertenti Scillam quosdam praecipere vel initio ea dosi, quae stomachum sine vomitu quidem, at manifeste commoveat, quosdam vero contrarium suadere, ne eius actio in stomacho se explicans nulla postea, aut minor in renibus exeratur. Qui autem primum docent Ill. HOMIO (*a*), aliisque Auctoribus maxime fidunt, qui tradiderunt eo citius, certius, atque efficacius urinas Scillam ciere, quo plus ventriculum perculsit, aut praesertim vomitum concitavit. Qui alterum autem defendunt WERLOFIO nituntur (*b*), qui nauseam ex Scillae actione sedulo vitandam esse iudicavit. In hac autem concertatione cum versatus esset CULLENIUS, etsi a stomachi nisu ad vomendum Scillae diureticos effectus praenosci, aut maiores effici non assumeret, imo contrarium ex valida illius visceris irritatione futurum pertimesceret, prudenter tamen censuit, Scillam inter initia recte ea copia praescribi, quae, cum leniter stomachum afficiat, perspicuum suae efficacitatis argumentum praebeat. Id quippe mature novisse utilissimum ideo arbitratus est, quia ob tam obviam in Officinis male exsiccatam radicem,

---

(*a*) Clinical Exper. p. 387. ec.

(*b*) Op. omn. p. 84.

illico licet hac ratione cognoscere utrum ea iners, vel parum valida, vel efficacissima sit.

1582. Nisi tamen ob hanc caussam expediat stomachum leniter Scilla tentare, quando nullum iam dubium de radicis optima qualitate, ac recta exsiccatione occurrit, praestat, dicam cum MURRAYO (*a*) » et dosin, » et repetitiones ita moderari, ut vel absque „ nausea vim exerat "; sive ea in pulvere, sive in Extracto propinetur. Scire enim iuvat Scillae Extractum Aquosum, nobis alias inusitatum medicamenti genus, nunc frequenter in usum venire. Nam ad granum unum, vel alterum, purum, vel saccharo admixtum in formam pulveris bis, ter, quaterve die exhibitum, aut cum idonea aqua, imo interdum cum liquore *Acetitis potassae* seu Terrae foliatae tartari propinatum, pulveri Scillae exsiccatae, quo debilius agere olim credebatur, non cedere virtute, a magni nominis Clinicis nunc traditur; dummodo Extractum neque ex vetusta, neque ex marcida radice paratum sit, neque inter inspissandum combustum. Alterutri enim vitio referendum videtur quod interdum accidisse, ac se observasse testatur Ill. QUARINIUS: „ ut nempe „ Extractum Scillae aquosum uno in pharma„ copolio confectum nullam prorsus vim exe„ reret, cum id ab alio pharmacopola peti„ tum eidem aegro copiosam urinam cieret.

(*a*) Op. cit. Vol. V. p. 102.

„ Is cum denuo ad priorem pharmacopeum „ rediret vix quidquam lotii reddidit, ad alium „ vero reversus iterum copiosam urinam fu„ dit (*a*) “.

1583. Pulveris tamen forma plerisque Scilla arridet, cuius dosis ab uno grano ad alterum ita statuitur, ut semel, aut iterum, aut tertio, aut pluries die, pro re nata, iteretur, si de pulvere sermo sit Scillae siccae; nam Scillae praeparatae pulverem ad tria, vel quatuor grana quavis vice nonnulli, qui ea, utpote debiliori uti malunt, suis aegris propinant. Qui autem recentis Scillae pulpam, Saccharo licet mitigatam, initio levissima, ut iam dixi, dosi, vel pilularum forma, vel quavis alia exhibent, non tam facile mihi videntur certos posse doseos limites statuere. Aqua enim tunc Scilla nondum privata non videtur certum, constantemque efficacitatis gradum perpetuo servare. Quare ubi ea utendum sit, quod rarissime potest occurrere, quam caute, et quasi tentando adhibenda erit, ut, nisi prodesse, nocere nunquam possit, aut saltem aliam potius, quam urinae exinanitionem invitet. Etenim nimis facile vel levi dosi nauseam non mediocrem, imo vomitum movet.

1584. Ex eo vero quod Aqua, Vinum, atque Alcohol Scillae vim, non quidem, ut Veterum sententia ferebat, infringant, at secum revera suscipiant, varia inde originem

---

(*a*) Op. cit. pag. 104.

duxerunt Scillina medicamenta, quae cum nomen, quod ex illorum iudicio iamdudum acceperant, adhuc retineant, atque in usum, saltem aliqua, crebro venire soleant; haec quoque huius loci sunt, cum praesertim urinae movendae facultate non careant. Eiusmodi habentur Acetum Scilliticum, Oxymel Scilliticum, Look de Scilla, Essentia Scillae, Syrupus de Scilla, Pilulae de Scilla, ac Trochisci Scillitici, inter quae tamen prima duo a Nuperioribus utiliora non minus, quam necessaria Medicinae iudicantur, reliquis tamquam supervacaneis neglectis.

1585. Acetum scilliticum ad antiquiores Scillae praeparationes pertinens, atque ex siccae radicis in aceto maceratione emergens, plerique eam minutim concisam in Aceto stillatitio, ac concentrato macerando, et digerendo parant, dum novissime quidam e nondum exsiccata confectum aptius, atque efficacius esse dixerunt. Mihi autem quod cum Aceto communi optimae notae, nec stillatitio, nec concentrato, ac cum radice exsiccata in pulverem ruditer trita conficitur, accommodatissimum plane videtur, sive ad Oxymel parandum, sive ad caetera assequenda, quae ab eius usu ii praesertim Medicorum sibi pollicentur, qui non solum eius ope gummi resinas saepe commode solvi existimant, sed per se, quod plerisque, sapientibusque Clinicis insolitum est, in morbis curandis usurpant. Non desunt nimirum qui Acetum scil-

linum ab una drachma ad tres idoneo solutum liquore, vel simplex, vel aliis additum medicamentis, in faucium, itemque aurium pituitosis congestionibus, atque in surditate ex tubae Eustachianae vitio gargarizandum esse suadeant, qui pituitoso asthmate, nephritide, et calculo laborantibus, putrida aegritudine detentis, ac scorbuticis exhibendum praecipiant, quique cum STOLLIO velint alcalicis admixtum, ut summopere proficuum, aegris dandum esse, qui ex febre intermittente, atque ex arthritide hydropici evaserunt. Verum qui ita sentiunt si animadverterent mitiora Scillina remedia sine ullo discrimine, ac non minori commodo sive gargarizari, sive assumi; antisepticam vim, atque inde derivatas a GALENO quamplurimas facultates veluti scillino aceto proprias, Aceti quidem esse, non Scillae; alcalicis vero Scillae potentiam nimium enervari; ac denique, ut magnus Vir observavit TISSOTUS, nimiam esse, ac prope ingentem anxietatem, quam intrinsecus datum (*a*) idem Acetum saepe movet, tum sane raram admodum Aceti scillini per se intus propinandi, aut prope nullam necessitatem futuram cognoscerent.

1586. Utrum autem de Vino Scillitico, quod recentis Scillae semuncia in vini libris duabus infusa ex SWIETENII consilio praebet, qui ei quam plurimum tribuit,

---

(*a*) Op. cit. pag. 410.

idem iudicium ferendum sit, an cum eodem Auctore existimandum, ipsius Vini unum cochleare adulto aegro propinatum, aut si vomitum fecit, ad dimidium, (addito etiam, aut prius infuso ex quorundam sententia Cinnamomo, aut quovis alio aromate) tanta potentia hydropicorum aquas ex urinarum itinere educat, ut plerisque antecellat Scillinis medicamentis; id est, quod debet modo constitui. Nam, etsi hoc vino motas adeo urinas fuisse, praesertim si levem nauseam fecit, ut intra paucas horas sex, octo, aut duodecim illius librae effluxerint, cum SWIETENIO eius asseclae affirmaverint; alii tamen non pauci, doctrina, ac medendi scientia praestantissimi Viri monuerunt eiusmodi remedium ita generatim egisse, ut virium suarum vehementia valde perturbaret, quin urinas, aut saltem non multas, cieret, eos ascite, anasarca, aut pectoris hydrope detentos, qui eius parum sumpserunt, vomitu autem, torminibus, atque interaneorum interdum inflammatione gravissime laederet, qui eius multum usurpaverant.

1587. Ex hisce quodnam debeam de Vini Scillitici usu iudicium proferre quisque facile prospiciet. Cum enim videat temerariam medendi rationem me nunquam admittere, existimabit sane a me neque istud Vinum posse probari, quod effectu admodum anceps, actione periculosum, rarissime profuit, nocuit plerumque, ac necessarium nunquam est. Equidem non denego cautissime

Vinum istud adhibitum sine ulla aegre ferenda molestia apud nos aliquando fuisse, ac speciatim opem non levem Viro ob empyema, hydrope tum pectoris, tum totius corporis gravissime laboranti attulisse sputis promotis, atque excitis largiter urinis. At cum id tunc praestiterit, quod a Scillae pulvere, aut Extracto aeque sperandum erat, quisnam inde poterit assumere Vinum ipsum supervacaneum non esse? Ego sane non dixerim, licet credam verisimillimum, recentis radicis loco, exsiccatam minori dosi, quam hactenus fieri consuevit, in vino infusam remedium allaturam esse et vacuum discrimine, et sua interdum non expers utilitate.

1588. Hanc interim magnam aegris affert Oxymel scilliticum, quod ex Aceto scillino, cum duplo mellis despumati vase figulino decocti in syrupi densitatem redacto praeparatur. Commodissimum quippe est vel cum idoneo liquore gargarizatum in serosis ad fauces defluxionibus, vel per se, aut cum aliis medicamentis ad sputum movendum (§. 1297.) in plerisque pectoris morbis, vel nunc solum, nunc aliis rebus admixtum, abunde sumptum ad urinas non levi etiam copia ciendas in iis praesertim, sive hydrope, sive alia quavis aegritudine detentis, qui caetera Scillae remedia ob irritationem, aliamve caussam non sustinent, aut diu non ferunt. Etenim tunc datum non ad aliquot drachmas, ut in aliis casibus fieri solet, at ad duas, tresve, et ultra uncias par-

tite intra diem, quin nausea, aliisve modis stomacho officiat, urinarum profluvium concitando aegrorum auxilio, ac saepe remedio fuisse tum Clinicorum fide, tum nostra experientia docemur. Quare cum generatim impune, ac revera mirifice Oxymel istud attenuet, resolvat, leni stimulo excitet, ac discutiat, sputum, urinamque efficaciter sollicitet, atque alvum non nisi ultra modum propinatum ducat, ac quamplurium denique remediorum coniunctionem ferat, et medicatius etiam horum additamento evadat, ad praecipua Artis praesidia ego soleo referre, etiamsi anthelminticum cum quibusdam certae efficacitatis, aut saltem satis evictae remedium vocare hactenus non possim. Cum enim fuerit a Summis caeterum Viris perpetuo adhibitum cum remediis, in quibus certa ad vermes necandos vis inest, qui ego potero existimare Scilla peremptos *ascarides lumbricoides*, ac *Taeniam solium* eiectam fuisse, qui praesertim illos aceto communi necari saepe viderim, atque Ialappae potentia hanc non semel eductam didicerim. Verisimile quidem puto Scillam, quae non parcit maioribus Animalibus, veneno quoque Vermibus, qui intra intestina nidulantur, futuram, at, donec non afferantur pericula, quae ostendant per se anthelminticam potentiam monstrasse, ad ea revocanda non duco auxilia, quae Vermes interimunt.

1589. Mitius Scilliticis omnibus remediis Mel scilliticum agere a quibusdam tra-

ditur, utpote radicis aquosa infusione cum duplo mellis instar syrupi inspissata paratum. Narrat proinde VITETUS (a) hanc Scillae praeparationem reliquis anteponi in pectoris morbis ab una drachma ad duas uncias, in quibus conveniat sine multa irritatione et sputum, et urinas movere. Sed non tam mite, ut dicitur, ac nauseosum medicamentum exoletis iam, ac supervacaneis accensetur. Nam intrinsecus quidam rectius dari existimant Syrupum Scilliticum radicis exsiccatae maceratione in Aqua Hyssopi cum Saccharo, nempe sine Aceto scillino, ac sine Aromatibus confectum; tum in alvum eius loco cum lotione aptius infundi ipsius Scillae pulverem, validae revulsionis caussa, ubi id expediat; quemadmodum in morbis capitis ex commoto cerebro, aut ex sero effuso expedire Chirurghi arbitrantur.

1590. Reliquis demum Scillae praeparationibus non utimur. Nam Looch de Scilla compositum Mesue, alias hic loci creberrimi usus, efficaciorum vim non attingit, nec habet mitiorum praeparationum legem actionem; Essentia Scillae, quamquam efficax sit, nondum usu apud nos invaluit; ac Trochisci de Scilla, plane superflui, ad ipsam etiam Theriacam componendam non amplius recipiuntur. Nobis denique inso-

---

(a) Op. cit. pag. 113.

insolitus est externus Scillae usus, qui Veteribus arrisit. Coctam enim in hydrope supra ventrem utiliter imponi docuit CELSUS, atque in oleo fervefactam, ac illinitam verrucas, perniones, furfures capitis, et manantia ulcera sanare DIOSCORIDES, aliique existimarunt.

1591. Scillae suppar virtute *Colchici autumnalis* seu Colchici radix nostra aetate a plerisque censetur. Hanc quidem Colchici speciem Veteres, ac Recentiores virosam existimarunt, eius radicem fungorum instar praefocare DIOSCORIDES innuit, ac folia, radices, et semina certa, nec multa, dosi ingesta plurima mala, mortemque intulisse LUDOVICUS, PEYERUS, GARIDELIUS, SWIETENIUS, aliique observarunt; at nihilominus radicem ipsam non multis ab hinc annis post GORIZIUM ad medendum utilissimae traduxit Ill. STÖRKIUS aceto, et melle mitigatam (*a*). Demonstravit quippe tutis, pluribusque experimentis eiusmodi radicem amaram, ingratam, valde acrem, quoties succulenta sit, qualis autumno reperitur, ac linguae, et faucibus stuporem cum quadam rigiditate inferentem eo pacto innoxiam reddi, ac medicatissimam fieri. In Aceti proinde libra radicis Colchici recentis minutim sectae uncia infusa, ac biduo in digestione relicta *Acetum colchicum* parari curavit, ex quo deinde duplo mellis ad-

(*a*) Lib. de Colch. aut. rad.

dito Oxymel Colchicum confecit. Illud autem, veluti commodum interdum auxilium, Chirurgis, quo auspicato in morbis uterentur, Cl. Auctor relinquens, ad internarum passionum curationes uno Oxymelite usus est.

1592. Ut primum autem Aceti colchici usus innotescat, scire iuvat eius validam ad resolvendum facultatem, si exterius adhibetur, Cel. STÖRKIUM (a) ex Ill. Equitis BRAMBILLAE observatione, deduxisse, qui ingentem tumorem ad oculi canthum hoc uno imposito medicamento perbelle discussit: quam quidem vim ea, quae ipse in aegris superioribus annis praestiti, abunde confirmant. Etenim eodem auxilio non modo complures a faciei, manuum, pedum, aliarumque partium oedemasis tumoribus liberavi, frustra communi Aceto antea tentato, verum etiam Puero leucophlegmatico subveni, qui post varia, quae valide resolvunt, ac discutiunt, incassum a non incelebri Medico usurpata, post principem etiam morbum sublatum, tanto adhuc palpebrarum superiorum tumore laborabat, ut oculos neque ipse aperire, neque Chirurgus posset patefacere.

1593. Oxymel autem, ea, quam paullo ante monui, ratione paratum a dimidia primum drachma, dein ad unam, alteramve, tum semel et iterum, tum quater, aut sexies, aegros sine ullo damno assumere; sequentibus

---

(a) Contra exper. lib. pag. 159.

diebus eius tantum partite intra diem usurpare eos posse quod duas, tres, et amplius uncias aequet; glutinosum, ac pituitosum quemcumque crassum, et tenacem humorem potenter resolvere; sputum efficaciter incitare, atque urinas largiter, et Scilla quandoque copiosius, ac promptius, aut generatim non minori vi elicere; asthmaticis proinde auxiliari, atque aegris quacumque hydropisis specie, cui Scilla conducat, laborantibus mirifice subvenire, ac salutem plerumque afferre; tum per se prodesse, tum remediis admixtum, quae cum Scilla utiliter solent copulari; ac post irritum huius usum interdum proficere: praecipua effecta sunt, et commoda, quae ex novi remedii administratione sequuta eius inventor commemorat.

1594 Atque optimo quidem iure tantum remedio tribuit, quoniam insignis eius utilitas Plankonii, Collinii, Racchii, Hirzelii, Plenkii, aliorumque clinicis experimentis extra omnem dubitationem dein constituta apud nos etiam, mea cura, apprime enituit. Nempe sexdecim ante annos hoc remedio, tum temporis hic noto potius, quam usitato, Viros, et Feminas aliquot, ac plures deinde aegros anasarca, atque ascite implicatos, quorum in angusto quandoque spes erat, saluti restitui tum perpetuo iucunde, tum interdum mira, ut visum est, promptitudine. Circa quartam quippe diem superveniens urinarum fluxus, ac sensim uberrimus factus intra breve admodum temporis spatium

saepe morbum vicit, quin oportuerit remedio admodum indulgere. Ego enim magnas eius doses generatim refugio, atque etiam soleo ubi diu, sive ad radicitus morbum vincendum, sive ad eius redditum inhibendum, ei insistere expediat, potius ab eo una, alterave die abstinere, (ad metum vitandum, ne ob vim consuetudinis inutile, aut parum efficax evadat), quam eius nimium, seu aliquot uncias quotidie, quorundam more, insumere. Novi siquidem ubi secus fiat, quod apud nos facile ex Scilla accidit, id pariter ex Colchici usu vel nimis multo, vel diu protracto evenire, nimirum ob vim sive stimulantem, sive solventem, sive ob utramque, nunc e pectore, nunc e ventriculo sanguinem exprimi.

1595. Num autem, si quando diutinus Colchici usus conveniat Oxymelli sufficiendus sit pulvis radicis, num hic diureticas illius vires attingat, atque aegre spirantibus ocyus, et validius succurrat, numve alvi ductione potius, quam profluvio urinarum, hydropicis opituletur, nova pericula diriment. Modo satis erit iam adductis observationibus addere radicem recentem Vere collectam, hoc tempore amaram, ingratam, valde acrem, atque halitu nauseosam, ac nares leviter stimulantem, usurpandam esse, cum Autumno farinam sapiat, aut sine ulla pene acritudine dulcescat, virtuteque careat; Colchici usum iisdem exceptionibus, quo ad aegrorum, morborumque constitutiones, obnoxium generatim esse, quibus Scillam patere monui; tum iis specia-

tim, qui stomachi imbecillitate laborant, gracilis sunt corporis habitus, aut multa pollent sensilitate, irritabilitateque non convenire, aut etiam nocere; ac denique immerito quosdam hocce remedium vituperasse, quia non omnes hydropicos sanaverit. Id enim „ non mirum est, inquit sapienter MURRA„ YUS, (a) miraculum contra esset, et naturae „ legibus adversum, si omnes sanarentur „.

1596. Traditis hisce, quae de *Colchico autumnali* monenda erant, non quaeram, an sub eodem genere veniat stirps, quae Hermodactylos, seu Hermodactyli radicem praebet, tamquam species, quae cum quibusdam *Colchicum illyricum* vocanda sit. Hermadoctylos quippe inodoros, instar farinae viscosae sapidos, aut vix interdum dulcescentes, olim podagricis valde proficuos, atque alvo ducendae aliquot drachmarum pondere pares iudicatos, iamdiu ob evidentem virium incertitudinem Medici nostrates reiecerunt. Neque pariter Liliacearum sermonem concludens dicam de *Pancratio maritimo* seu Scilla parva, cuius radicem bulbosam extus nigricantem, intus albam maritimae Scillae succedaneam quidam censent, quoniam huic supparem esse experientia nondum declaravit.

1597. Tuto proinde ad Ensatas stirpes progrediar, ut queam opportuno loco caus-

(a) Op. cit. Vol. V. pag. 209.

sas aperire, ob quas, tres *Iridis* species veluti diureticas soleam negligere, nempe *Iridem pseudo acorum*, seu Acorum adulterinum, quia succus e radice recens elicitus saepius alvum, quam urinas movet, ac ubi moveat morbis non medetur, quos mediocria diuretica sanant: *Iridem germanicam* seu Iridem vulgarem, aut germanicam, quia eius radix leviter nauseosa, amara, atque acris adhuc recens a scriptulo uno ad duas drachmas infusa, vel succus, aut foecula non lota a drachma una ad tres, utut stimulando hydropicis interdum, motis urinis, subvenerit, saepius alvum ducit, vomitum alias movet, atque acri suo principio non raro nocet, rarissime prodest, exsiccata vero eadem radix nec efficaciter, nec plerumque sive resolvit, sive urinas proritat: ac denique *Iridem florentinam* seu Ireos, aut Iridem florentinam, quia huius radix praecedente maior violam grate redolens, acriuscula, atque amaricans, (cuius item memini (§. 1053.) quatenus aliis usibus inservit) adhuc recens, ac multo magis exsiccata perraro, ac nunquam vel diu, vel copiose urinas iuvitat.

1598. Gramina modo attingenda sunt, ad quae pertinent nonnullae stirpes, quibus tamquam diureticis, licet ipse vix quidquam tribuam, multum tamen Medicorum quidam tribuendum esse, tum olim tradiderant, tum nostris etiam diebus decernunt. Ex istis quanti facienda sint praeparata e Cerealium seminibus decocta, ut diluendo, demulcendo, ac

temperando urinis iter expediant, sive per se, sive aliis additis medicatiora reddita; quantum item potus, quem radix *Tritici repentis* seu Graminis, una ex Radicibus quinque Aperientibus minoribus, aquae incocta suppeditat, ad aperiendum valeat; quidque possint ad expediendam, augendamque urinam Mellis, aut Sacchari, sive puri, sive diversimode praeparati vires conferre: res omnes sunt, iam satis alibi traditae, (§. 324. 980. 1273. 1278) ut modo iterum expendantur. Neque dirimendum nunc est, an iure ad urinam pellendam interdum Veteres uterentur duplici Specie *Andropogonis*, nempe *schoenantho* seu Iunco odorato, aut Squinantho, et *nardo* seu Spica indica, aut Nardo indica, aut Spica nardi; nam neutra nobis hodie usitata est, qui neque prioris herbam odoris fragrantis caussa Veterum Compositionibus, quae in Officinis adhuc prostant, addimus, neque alterius radicem, fasciculi pariter formam instar Iunci odorati habentem oleis, ungentisque admiscemus, aut recipimus ad illud cum pretiosis aromatibus, et balsamis Unguentum Nardinum parandum, quod ad corpora inungenda Antiquiores maximi fecerant.

1599. Occurrit hoc tamen loco commemorandum diuretici remedii genus, quod apud nos vulgo probatissimum esse iamdiu consuevit. Loquor de *Arundinis donacis* nobis Arundinis, aut potius Cannae montanae radice, qua nostrates, relinquentes aliis Italiae Populis,

aut Galliae *Arundinis phragmitis* seu Arundinis palustris radicem, Chinae dulci supparem habitam, atque alvo etiam leniter solvendae idoneam ab aliis iudicatam, non minus in decoctu, quam saccharo addito in syrupum redacta, qui Syrupus cannae montanae dicitur, crebro ad hydropisim, excitis urinis, solvendam utuntur. Ad unciam porro unam in libra aquae decoctam, iterata saepius dosi intra diem, aut ad aliquot uncias stillatitia aromatica aqua solutum Syrupum quotidie haustum mitissima actione, ac nihilominus valde efficaci resolvere, et largiter urinas ciere, insigni eorum commodo qui asthmate, pectoris hydrope, ascite, atque anasarca ex quacumque pene caussa laborant, communis fert opinio, cui Medicorum quidam subscribunt. Verum quo iure Vulgo credant ego quidem non perspicio. Quandoquidem mihi saepe eiusdem radicis resolventem, atque una diureticam facultatem in aegris periclitanti expeditissimum fuit eruere ad lac in mammis haerens discutiendum, avocandumque ad renes, ut per urinam secedat, atque ad uberem in hydropicis urinarum fluxum promovendum mediocri, qua pollet per se data, diuretica virtute non valere. Hanc enim maiorem tunc solum assumit quandó Arundinis radix, sicuti passim fit, vel cum larga sacchari copia, vel cum Salibus mediis, cum Nitro, aut cum Cremore tartari usurpatur; quin tamen unquam tantam inde efficacitatem acquirat, ut a me exhibitus Syrupus, aut propinata radix sale aliquo

adiuta hydropicis multam opem attulerit, aut incipientem unquam morbum vicerit.

1600 Filices modo supersunt ex Stirpibus ad Diureticorum genus revocatis, quatenus sub hocce ordine Capillares illae herbae veniunt, quae ex *Polypodii*, *Adianti*, atque *Asplenii* variis speciebus desumptae, ac singillatim alibi expositae (§. 735, et seq.) ad urinas quoque movendas tam fidenter probari, ac tam crebro adhiberi olim consueverant, ut nunc etiam omni sive laude, sive usu non cereant. Neutrum tamen eaedem stirpes merentur, quoniam abunde licet usurpatae, sicuti vulgo fieri saepe observavi, urinas nec frequenter, nec unquam abunde movent. Hinc eiusmodi herbas, quas per se tum nulla, aut exigua adstringenti facultate donatas (§. 735. et seq.) tum sputo movendo impares (§. 1281) iam dixi, nunc urinae ciendae, earum una, aut altera excepta, vix non inertes voco. Duplex siquidem *Equiseti* species excipienda mihi videtur, quem non latet *Equisetum fluviatile* nobis Equisetum maius, utpote reliquis speciebus medicatius iudicatum, parum, aut nihil virium ratione discrepare ab *Equiseto arvensi* nobis Equiseto minori, aliis maiori, cuius herbae adstrictoriae, ac detergentis iamdudum habitae diuretica dein virtus concessa certis argumentis innixa apparet.

1601. Dubito porro, et quidem vehementer, an unquam plane innoxius, ac proficuus Equiseti sive fluviatilis, sive arvensis

usus cesserit in sanguinis eiectione, in mensium profluvio, atque in urina cruenta, etiam ubi pro peculiari morbi caussa tutior quibusdam visus est; at de eius, sive decocti, sive succi forma usurpati, tamquam diuretici medicamenti, actione nullo modo possum dubitare. Nam praeter ea, quae ad id evicendum ex LINNEO, HALLERO, aliisque adduci solent, qui dum monent boves, vaccas, atque oves stirpem hanc non attingere, quibus secus tabem infert, immedicabile ventris profluvium, ac cruentam reddit urinam, eam diureticam dicunt, subit recordatio Viri nondum sexagenarii, crapulae, atque otio dediti, omnibusque vitae commodis affluentis, qui metuens, ne iam nimis obesus, polysarchiae tandem incommodis premeretur, neque hanc vellet cibi, et potus temperantia, aliisve arcere praeceptis, quae a sapienti Clinico saepe acceperat, cum rustici hominis consilio diebus aliquot Equiseti arvensis succum mane, decoctum vespere sumpsisset, in tantum repente incidit urinarum profluvium, ut pinguedine resoluta, squalidus, macer, ac tabidus brevi evaserit non sine evidenti vitae discrimine. Aegre enim demulcentium, et lactis diu dati beneficio postea resipuit, atque ad salutem venit. Quod quidem moneo, ut dum sapientioribus Clinicis stirpem ostendo, quae ubi eorum studio reddi posset insontis usus, spectata eius actione in renes, novo fortasse diuretico praesidio Medicinam ditaret, nemo audeat, donec eiusdem Equiseti administratio

vere utilis, et plane innocua evidenter declarata sit, tam ancipiti, ac temerariae medendi rationi suam valetudinem, ac vitam committere.

1602. Exactis iam, quae ex Filicibus adducuntur, diureticis remediis, ea singula essem persequutus Auxilia, quae urinae movendae caussa e Vegetabilibus Medicina hactenus adscivit, nisi haec urinarum fluxum Balsamis quoque, Oleis volatilibus, seu essentialibus, ac Resinosis succis moliretur. Postquam siquidem innotuit horum pleraque in corpus quacumque via delata, ac certa copia in sanguinem deducta, utut divisa, involuta, aut aliquo, vel nullo modo mutata generatim renes subire, secretioni dicatos tubulos evidenter percellere, ac plus, vel minus uberiorem urinae separationem reddere, atque eius etiam iam secretae iter, effusionemque saepe expedire; innotuit quoque harum etiam rerum usum ad vere utiles, atque interdum necessarias urinae movendae rationes iure pertinere. Quare cum dicturus de Diureticis probe scirem haec remedia non minus recensione, atque observatione digna esse, quam commode aliis diureticis Vegetabilibus subiungi, ac praeterea cognoscerem ex Coniferis, Amentaceis, ac Dumosis praesertim stirpibus isthaec medicamina provenire, de iisdem, quae secus initio expendendae fuissent, tunc silui, ut aptiori, ac suo veluti loco modo dissererem.

1603. Initium porro sumens a Coniferis primo dicam de usitatiori, ac praestantiori

remedio, quod ex duplici earum Stirpium genere provenit, nimirum de Terebinthina. Succus iste tum sponte e Cortice, tum incisione ex trunco exstillat *Pini* tum *laricis*, tum *piceae*, praeter *Pistaciam terebinthum* ad Amentaceas pertinentem, pellucidus, syrupi instar spissus, albidus, aut ex albo luteus, saporis pungentis, amari, atque odoris parum gravis, ingrati, qui natura inflammabilis, nec aqua solubilis, ac in ea mucilagine, aut ovi vitello subactus lactescens, alcohole penitus solvitur. Eadem vero Terebinthina in medicamentariis Officinis triplex plerumque occurrit, nempe Cypria, aut Chia, quae e *Pistaccia terebintho* exstillat in Cypro, et Chio insulis, Affrica, India, atque Hispania, quae omnium purissima iudicatur; Veneta, aut Larignea, quae e *Pinu larice* in plerisque Europae regionibus obvia arbore petitur; ac Communis, seu vulgaris, quae e *Pinu picea* desumpta valde impura, ac deterioris notae esse solet.

1604. Terebintina vero sive Cypria, sive Veneta, sive alia quaecumque sit, aut naturaliter pura, aut artificio e quisquiliis liberata egregie valet ad urinas proliciendas, quas violarum halitu inficit, a paucis granis ad drachmam unam, aut sesquialteram. Maiori siquidem dosi, quam nonnulli probant, ubi detur, ac maxime ad semunciam ovi vitello, melle, similibusve subacta alvum plerumque ducit non sine intestinorum ardore, ac tenesmo. Sed non omnibus tamen aegre meientibus eadem prodest, cum calorem in-

tendat, vias urinae irritet, et spasmum, si qui adfuerit, augeat, atque inflammationem, si eius metus subsit, facile accersat. Quare eius usus in nephritide ex calculo, in podagra, in asthmate, urinarumque difficultate tutus solummodo, ac proficuus erit quando stimulans, excitans, valideque resolvens remedium ad solidarum partium vires excutiendas, atque ad pituitosos, et crassos resolvendos humores requiritur.

1605. Arbitror idcirco eos sane Artifices non esse probandos, ut inter caeteros Ill. THEDENIUS apposite animadvertit, qui in blennorrhea Terebinthinam mucilaginis ope vel in emulsionem redactam, vel in pilulas convolutam magnificant, ac crebro usurpant, ut urinae ardorem temperent, stranguriam aufferant, urethrae ulcera abstergant, ac fluxum cohibeant. Maxime vero haec medendi ratio aliena videtur ulceris abstergendi, atque implendi fine generatim suscepta, quia, nisi complicatio praesto sit, MORGAGNIO, HAENIO, SHARPIO, HUNTERO, aliisve docentibus, ulcus non subest. Hinc tunc solum caute a quibusdam prudentioribus tentatur quando stillicidium ob laxitatem, debilitatemque partium in longum protrahitur.

1606. Ex eadem praeterea Terebinthinae agendi ratione existimo iis assentiendum non esse, qui adhuc affirmant eam tuto, utiliterque propinari in partium internarum ulceribus ut emendari, abstergi, ac cicatrice queant firmari. Tantum enim abest in hoc ulcera-

tionum genere, in quo stimulus quicumque generatim alienus est, et nocuus, ut Terebinthina, balsama, ac resinae conveniant, ut potius eiusmodi medicamenta morbum non parum exasperent. Nam si quando profuisse dicuntur verisimile est, ac pene certum in phthisi pituitosa, aliisque morbis profuisse, in quibus ulcus, quod latere credebatur, nullum aderat, estque illud proinde stimulans remediorum genus idoneum, quod secus in tuberculari, atque ulcerosa phthisi, internisque viscerum ulcerationibus nocet; quemadmodum Nuperiores Clinici ratione, atque experientia suffulti contendunt, ut revocent ad saniorem medendi methodum, qui Terebinthina, similibusque student ulceratis adhuc subvenire. „ Etenim, inquiunt cum BERGIO (*a*), movent „ sanguinem, augent febrim symptomaticam, „ promovent contabescentiam, atque sudores „ colliquativos. Cum ulcus quoddam cacho„ eticum in aliquo viscere se manifestat, „ nonnisi talia indicantur, quae humoribus „ emendandis, et corrigendis conducant „.

1607. Neque videtur eorum consilium probandum, qui ut omnia Terebinthinae commoda, interna ulceratione, aut quovis alio morbo detenti sine ulla molestia, aut discrimine percipiant, nobis suadent Terebinthinam coctam, aut oleo volatili ob praegressam distillationem magna ex parte privatam usur-

---

(*a*) Op. cit. pag. 751.

pandam esse. Nam si alterutro modo ob parum olei, cui medicata virtus adhaeret, Terebinthina minus stimulet, atque irritationis proinde metum non incutiat, qualitates tamen suas salutares, seu ipsum principium actionis, quo excitat, viresque fibrarum intendit, resolvit, et discutit, abstergit, atque in renes speciatim operatur, ac cito urinam sollicitat, uberioremque efficit, tam enervatum tunc exhibet, ut remedium parum admodum proficiat. Aliud enim, ut saepe monui, est infirmare remedia, aliud corrigere.

1608. Ergo de Terebinthina ob acrem eius stimulum sic existimo: eam, pulmonum exspirationem licet queat eodem principio, ac modo incitare, quo ex universa cute alias sudorem movet, interna ulceratione, maximeque pulmonis, laborantibus nocere; blennorrhoea detentis nec convenire, nec mederi, nisi inveteraverit, aut cum ulcere complicata sit; albo fluori obnoxiis Mulieribus raro auxiliari, quoniam raro, ut CULLENIUS sapienter animadvertit, stomachus sustinet sine molestia eam dosim remedii, quam morbi indoles, aut diuturnitas plerumque postulat, imo rarius, ut ipse vidi, nimium sensilis, aut irritabilis aegrae natura impedit, quominus medicamen alvum intempestive resolvat; rarissime adstringentibus additam in urethram iniiciendam esse maioris stimuli caussa, secus ac a quibusdam Chirurgis fieri passim video non levi aegrorum incommodo, ac nullo saepius auxilio; ancipitis praeterea usus esse eo

fine administratam, ut podagrae insultus rariores, mitioresque reddantur sive per se, sive cum aliis remediis praeservationis caussa diu, multumque usurpetur; atque ad urinam promovendam tunc speciatim convenire quando eius fluxus renum, innexarumque partium irritatione, ac generali etiam stimulo incitari maxime debeat; tum denique ovi vitello subactam nec in quovis eius fluxu, nec eodem semper modo, in alvum infusam prodesse. Nam et sua adversus putredinem virtute scepticum principium corrigendo, tenuem humorem tenacitate sua inspissando, ac deficienti muco supplendo fluentem cohibere ventrem saepius nequit eiusmodi lotio, nisi interdum ex addito, modo lacte, modo opio, fibris sive carneis, sive nerveis illata irritatio provide moderetur, aut nisi ad unam, alteramve drachmam Terebinthinae generatim habens satis proficiat. Maiori siquidem dosi, nempe e semuncia, aut uncia Terebinthinae lotio parata, visa est CULLENIO validius, ac certius reliquis afferre praesidium in colicis doloribus, aliisque morbis qui a pertinaci alvi adstrictione originem ducunt.

1609. Externum vero eiusdem Terebinthinae usum ita constituo, ut, dum admitto stimulanti, antiseptica, ac glutinanti sua facultate magnum auxilium iis saepissime afferre, qui manu medentur, cum vulnerum, atque ulcerum curationes suscipiunt, facile tamen Proceribus Artis assentiar docentibus Terebinthinam probe etiam aliorum additamento mitiga-

tigatam, ac speciatim ovi vitello, aut cera, et oleo, quemadmodum fit in Unguento Digestivo, recentium vulnerum, aut cito suppurantium remedium generatim habendum non esse, imo fervore suo licet contemperato plerumque non necessario, eorum etiam sanationem praepedire; alienam, et nocuam esse quando acritas humorum ad bonam suppurationem incitandam, alendamque retundenda, corrigendaque internis, externisve remediis sit; ac proinde tunc recte usurpari, atque egregie prodesse quando ex laxitate partium, ex imminuto sensu, ex defectu stimuli, ex tenuitate, ac propera corruptione humoris evidens est accommodatissima, ac necessaria esse medicamenta Stimulantia, Inspissantia, atque Antiseptica, quae sublatis suppurationi impedimentis salutare naturae opus expediant, quo, bono orto pure, ulcus abstersum impleatur, atque expedite coalitum cicatrice firmetur.

1610. Ex Terebinthina autem, ex aqua eam destillando, quod consequimur Oleum, quodque ob novam dein distillationem rectificatum dicunt, atque Oleum, seu Spiritum Terebinthinae nominant, cum Oleo resinae Abietis, ut monet Bergius, a Mercatoribus saepe adulteratum, quamquam Terebinthina potentius urinae organa exstimulet, validius eam moveat, ac generatim ipsa efficacius remedium dicatur, ea tamen longe minus usitatum, minusque aegris idoneum hodie censetur. Hoc ipso enim, quo acrius, fervidius, ac stimulantius est, ac vix a guttis aliquot ad octo,

decem, aut duodecim sine stomachi incommodo assumitur, cum nimia irritatione urinas non raro cohibuerit, quas incitare animus erat, ac tunc, dolore renum, febri, aliisque malis accersitis, nocuum interdum evaserit, nec, animadvertente CULLENIO facile, ac sine detrimento hydropicis ea quantitate propinari potuerit, ex qua praestans, utiliusque diureticum fieret, prudentiores Clinici arbitrantur usu anteferendum non esse Terebinthinae, quae non plus habet actionis, quam quod aegris citra omne discrimen conveniat.

1611. Excipiendae tamen sunt quaedam aegritudines, quae ipsius speciatim Olei internum usum requirere vel novissime censentur. Cum Oleum istud saturatum *alcohole aqueo*, aut *aethere sulphurico* olim in Italia non parvi factum ad calculos biliarios resolvendos, atque inde ortas passiones discutiendas, Medici exterarum Gentium plurimi revera faciendum esse nuper evicerint, ut calculi vel resolvantur, vel e ductibus ad intestina veniant; iam Proceres Artis pene omnes consentiunt, Oleum eiusmodi, ubi nullus inflammationis metus subsit, nec usus demulcentium una negligatur, quae fervorem remedii contemperent, apprime proficuum esse tum ad mala ex istis calculis nata removenda, tum ad nova haec bilis concrementa prohibenda. Quare mirum esse non debet si etiam, ut bilem tenacem, et viscosam resolverem in chronicis morbis, ac nuper in pertinacioribus quartanis febribus, idem reme-

dium non semel auspicato usurpaverim. Aliam praeterea exceptionem afferre a Clarissimis quibusdam Clinicis dicuntur ischias rheumatica, et rheumatismus chronicus, ubi maxime inveteraverint. Sanari enim eodem Oleo melle, aliisve modis mitigato has quoque aegritudines testantur; in quibus tamen idem auxilium nimis ancipitis usus tum mihi, tum aliis videtur.

1612. Extrinsecus vero adhibitum Terebinthinae Oleum non una de caussa iamdiu probari consuevit. Nam illinitum membris inveterata rheumatica affectione detentis proficuum non raro visum est; ac spinae dorsi eodem modo applicitum febris horrori avertendo idoneum, ac scroti, aliarumve partium oedematosis tumoribus discutiendis interdum non impar. Recens item vulneratis, nec tamen, etiam si sanguinis copiose efluat, valde saucis instar cuiusque balsami potenter opitulari, ac plerumque mederi, in nervorum vero tendinumque puncturis calide applicitum prae caeteris remediis auxilio esse, atque in gangraena potissimum convenire, et Cortici peruviano, atque Alcoholi longe praestare, quatenus dum potenter putredini resistit, ac natam quodammodo emendat, digerit, resolvit, ac suppurationem movet. Hinc olei istius usus ad alias etiam aegritudines ob tam eximiam virium coniunctionem posset extendi, nisi aegris halitu suo non leviter plerumque officeret.

1613. Pertinent ad Terebinthinam, praeter Oleum, alia praeparata, et composita, ex

quibus potiora sunt, Terebinthina cocta, et Colophonium, vel Colophonia, quarum illa Resina flava etiam dicitur, haec Resina nigra, quae id coquendo, quod de Terebinthina post Oleum distillatum superest, consequitur, ac suffitibus inservit, atque aliquot emplastris additur; Balsamum terebinthinae simplex, et Sulphuratum, et Balsamum Arcaei; ac demum, ne persequar Unguenta, ac Emplastra omnia, quae Terebinthinam, aliasque resinas habent, Pix burgundica, de qua alio loco disseram. Potius hic indicabo duplex balsamum, nobis caeteroquin utrumque inusitatum, quia apud alios Europae Populos, ac praesertim apud Pannonicos, utpote urinae pellendae, ac multis usibus internis, atque externis opportune assequendis accommodatum plurimum celebratur, nimirum Balsamum Hungaricum, ac Balsamum Carpaticum, quod melius, auctore MURRAYO, ad confusionem vitandam, Balsamum Libani diceretur. Nam licet primum ex arbore Mugo proveniat, quae nonnullis *Pini sylvestris* varietas, aliis distincta *Pini* species videtur, alterum e *Pinu cembra*, utrumque tamen in Pannonia obtinetur. Sed neutrum, sive interius ad aliquot guttas, sive exterius usurpetur, plus Terebinthina, Iuniperi Oleo, ac reliquis, sive resinis, sive balsamis efficere plura sunt, quae luculenter evincant.

1614. Diuretica interim remedia reticenda non sunt, quae *Pinum sylvestrum* suppe-

ditare Medicinae Scriptores testantur. Ii namque eiusdem turiones ex aqua, aut sero lactis, aut vino tenui, aut cerevisia infusos, vel decoctos scorbuticis, cachecticis, atque hydropicis, tum emendatis solidarum, fluidarumque partium vitiis, tum urinis largiter excitis, egregie opitulari tradunt, nec desunt, qui nuper eosdem turiones venereis apprime utiles dixerint. Fere omnes vero consentiunt e Pice liquida (ex qua coctione inspissata emergit Pix solida, cuius usus alibi persequar), quam sive huius *Pini* speciei, sive *laricis*, sive *abietis* frusta igne erogaverint, paratum infusum, seu Aquam piceam non parum medicatam esse; etiam si plerique conveniant eiusdem vires, nec tantas, nec tam singulares esse, sicuti eius inventor BARKELEYUS tradiderat. Eam enim, ex quatuor libris compositam Picis liquidae in dupla frigidae aquae quantitate, vel etiam, pro re nata, maiori infusae, leviter agitatae, dein in quiete relictae, per colum traiectae, ac demum nova aqua dilutae, vinum album specie referentem, odore empyreumaticam, sapore acescentem, ac neutra qualitate sumentibus gratam non pauci olim cum BARKELEYO malignis, putridisque morbis tam esse contrariam, tam scorbuticis utilem, tam interna ulceratione laesis salutarem, ac tam denique resolventem, lythontripticam, ac diureticam praedicarunt, ut idem Picis infusus in omni pene aegritudine ex eorum sententia probandus esset.

1615. Maxime vero quia huiusce remedii laudatores monebant in asthmate, in rheumatismo, aliisque morbis a pituita illatis, in nephritide ex calculo, in pulmonum, aliorumve viscerum ulcere, in scorbutica labe, quae arcenda, aut curanda esset, in febribus, in morbis exanthematicis, ac praesertim in variolis malignitatem praeseferentibus ab una libra ad duas, vel tres partite intra diem insumptam Aquam piceam mirifice profuisse. Profecto cum eiusmodi remedium vires incitet, urinas citet, aut alias sudorem moveat, ac vim stimulantem cum acida qualitate retineat, utile quandoque futurum et verisimillimum est, et iam observatione compertum; sed nec tanta, quae pollicitus erat eius inventor, unquam efficit, nec, quod huius praesertim loci est, urinas ea unquam facilitate, efficacitateque movet, ut queat in praestantium Diureticorum numerum venire: quemadmodum mihi eius vim in hydrope tentanti, ac saepius in renum, vesicae, atque urethrae ulcerationibus, ac pituitosis affectibus utiliter adhibenti perspicue innotuit.

1616. Quaerenti vero cur dicens de Picis liquidae interno usu praeteream Pilulas piceas, quae ex ea cum radice Helenii in pulverem contrita confectae a non paucis magni fiunt, pronum erit reponere ideo me earum usum non proposuisse, quia et apud nos is nunquam invaluit, et supervacaneus plane videtur postquam docuit CULLENIUS, eas a se adhibitas proprii nihil monstrasse.

Item sciscitanti cur ex Pini genere sumpta remedia enumerans sileam ea, quae *Pinus abies* affert, ac speciatim Thus, aut Lacrymam abietis, atque eius Resinam, quae Resina sicca communis dicitur, respondebo ideo haec duo a me omitti, quia Thus ex Olibano rectius desumi existimo, de quo iam dixi (§. 1300.), ac quia tum huius, tum resinae, instar suffitus in pectoris morbis adhibitae facultatibus non plus tribuo, quam quod aliis suffimentis suo loco (§. 1312., et seq.) tribuerim.

1617. Iure itaque videor haec omittens, ac vix attingens aquam e foliis *Thuyae occidentalis* seu Arboris Vitae valde diureticam nonnullos iudicare, ac nuces sapore, ac virtute adstringentes *Cupressi sempervirentis* seu Cupressi intermittenti febre, atque hydrope implicatis idoneas alicubi vulgo dici, iure, inquam, videor, hisce praeteritis, utpote nobis plane inusitatis, remediis ad *Iuniperum communem* seu Iuniperum properare. Istius quippe speciei virtus huius maxime loci censetur. Quam ob rem expeditus ab iis, quae de *Iunipero lycia*, veluti Thus, aut Olibanum praebente, tradenda erant, (§. 1300.), atque alibi de *Iunipero sabina* dicturus, nunc monebo Communis Iuniperi baccas ob saporem ex dulci amarulentum cum quodam aromate acrem, non ingratum, atque odorem non insuaviter balsamicum etiam ad condimenta, atque ad embammata idoneas, nec raro usurpatas (§. 290.) Vulgi, ac complurium Me-

dicorum opinione medicatissimas esse. Etenim ab *Oleo volatili* seu, ut alii dicunt, essentiali, quod continent, stimulandi, ac penetrandi potestatem cum baccae acquirant, qua irritare, vires excutere, atque humores resolvere queant, earum vires non solum plerique prospiciunt, sed observationibus etiam confirmant, ob quas roborent, stomachum confirment, inflationes discutiant, sudorem invitent, atque urinas potissimum augeant, ac largiter ducant. Ad renes siquidem medicatum Iuniperi principium speciatim contendere non minus ex copia urinarum utilissime in hydropicis concitata ab iisdem baccis, aut a confectis earum ope variis remediis deduxerunt, quam una coniiciant ex illius principii natura, quae ab oleo Terebinthinae sola odoris suavitate differre videtur.

1618. Par proinde virtute, ac similiter odorem violarum urinae tribuens cum habeatur quodvis ex baccis Iuniperi ductum remedium, habetur quoque ad multa aegris commoda afferenda aptissimum; ac proinde alicubi crebro in usum venit. Datur infusus ex baccarum drachmis duabus, aut tribus paratus hydrope, ac pituitosis morbis detentis, crudum ructantibus, flatibusque obnoxiis, ac tarde cibum concoquentibus ex stomachi imbecillitate, quam defectus stimuli, vel laxitas, vel muci copia attulerit. Vinum infusione baccarum medicatum redditum bibunt alii, aut Vinum ex Succo baccarum expresso dein inspissato, ac fermentationi tradito paratum, nobis plane

insuetum. Quidam Roob Iuniperi ex residuo destillati Olei confectum sive ad urinam movendam, sive ad pellendum sudorem, sive ad confirmandum stomachum infusui baccarum anteponunt. Nonnulli Spiritum Iuniperi ex baccis cum alcohole aqueo paratum anteferunt, cum aqua vires Iuniperi satis extrahi non existiment, ac proinde Aquam Stillatitiam Iuniperi soleant, ut parum efficacem despicere; imo qui ita sentiunt ipsum Oleum Iuniperi essentiale ad guttas aliquot cum saccharo, ubi validius agendum sit, propinandum esse constituunt. Tandem non desunt, qui baccis antecellere virium ratione tum lignum, tum imprimis radicem non solum ita existiment, ut in adductis casibus ex utriusque scobe infusum paratum suadeant, verum etiam in morbis exanthematicis, in lue venerea, in blennorrhagia, in rheumaticis doloribus, atque in aliis non paucis affectibus eiusdem sive ligni, sive radicis, sive utriusque coniunctim adhibiti usum magnificent.

1619. De interno Iuniperi usu haec in libris Medicorum narrantur, nec forte levioris momenti sunt, quae de eiusdem externa administratione proponuntur. Quandoquidem eius suffitus contagem, ac pestem arcere, ac subinde renovatus oedematosos tumores discutere dicitur, imo imbutus tunicis, et vestibus a rachiticis, ac laxam cutim habentibus gestandis roborare, non secus ac soleat similiter adhibita ex eodem Iunipero resina exstillans, quae Sandaracha vocatur. Cataplasma

ex iisdem recentibus baccis contusis cum butyro frixis herniosis utile, vel axungia permixtis in tinea infantum adhuc utilius traditur. Oleum item illinitum impetigines tollere, contractiones membrorum solvere, arthritidis cruciatus lenire, debilibus, ac paralyticis membris robur, et motum reddere a quibusdam perhibetur. Vulgus denique apud nos censet contusis partibus, oedematosis tumoribus, ac membris rheumatica affectione, aut podagra occupatis nullum potentius remedium generatim admoveri Butyro Iuniperi, cui proinde sive ad resolutionem, sive ad lenimen dolorum magnopere indulget. Solent idcirco Medicamentarii istud tam familiare medicamentum in Officinis adhuc retinere, ad quod parandum baccas virides recentes non prorsus maturas exprimunt, expressas liquato butyro admiscent, ac leni igni exponunt, dein removent, ac colo transmissum conservant.

1620. Hactenus de interno, atque externo Iuniperi usu communes Medicorum opiniones proposui, quibus quorundam sapientum Virorum iudicium lubentius interponam, cum tutissimum mihi videatur. Porro cum dico doctrina, atque usu maiores quosdam Medicos a quocumque medicamento ex Iunipero praeparato, quod validius agere queat, non plus sibi polliceri, quam efficiat generatim Terebinthinae usus, a baccis vero Iuniperi infusis, aliterve usurpatis eo magis Terebinthina mitiorem vim esse expectandam, quo

minus eaedem baccae sui Olei demiserunt, mihi videor eam amplecti sententiam, quae experientia firmatur. Cum vero observo Iuniperi baccas sumentium stomacho plerumque graves esse, ac largius, vel diutius assumptas, prout expedit, ut valide, ac satis efficaciter hydrope, aliove morbo detentis subveniant, stomachum laedere, ardorem interaneorum suscitare, urinam supprimere, vel cruentam reddere, imo alias diabetis periculum inferre (quemadmodum Clinicorum quidam accidisse testantur) concludo prudenter eos agere, qui constituunt urinam non frequenter Iuniperi usu citandam esse. Nimirum volunt adhibendum quando stomachus viget, et mediocri urinarum fluxu, cui impune movendo exigua remedii dosis par est, indiget morbus, non earum profluvio, cui efficiendo vix apta interdum est maior eius copia quae sine detrimento rarissime sumitur.

1621. Urinae ciendae par quoque remedium, nec eodem actionis modo idoneum Amentaceae aliquando afferunt. Nempe cortices illi *Salicis* sive *albae* sive *pentandrae*, et *Quercus roboris*, quos alibi ad roborandum, atque adstringendum valere dixi (§. 810., et 746.), ubi alterutrum, vel utrumque, ut avocetur urina, praestandum sit, sicuti in cachexia, atque hydrope a debilitate, laxitateque ortis saepe evenit, non possunt non proficere. Et revera tunc eorum usus, vel per se, vel cum Salibus mediis, aliisve diureticis medicamentis institutus egregie prodest, ac vim

Peruviani corticis eodem modo adhibiti, ut fieri solet, aemulatur; nisi tamen febris, quae intermittat, una cum hydropisi submovenda sit, aut eius saltem fomes corrigendus: quo in casu Peruvianus cortex diureticis admixtus iure anteponitur. Num vero, ubi anodynum, ac simul diureticum expediat remedium, hoc ipsum afferant cortices, et gemmae *Populi* tum *nigrae*, tum *albae*, quidque possit sive hoc, sive alio quovis fine adhibitus gemmarum, vulgo oculorum resinosus succus utinam Medici evicissent, qui fidenter affirmant, ac pariter constituissent Chirurgi Unguentum Populeum ex gemmis confectum, aliis, quae addi solent, reiectis, tam anodynum, demulcens, ac refrigerans esse, ut eorum plures existimant.

1622. Verisimilia tamen, imo certa possumus de *Betulae albae* seu Betulae diuretica facultate proferre. Dubitari siquidem non potest, quin eius succus e trunco, ac ramis Vere, antequam folia erumpant, incisione abunde effluens ad uncias aliquot intra diem epotus urinas non mediocriter citet, humoresque efficaciter resolvat, quo hydropicis, aegre ex calculo, aut ex pituitosa affectione meientibus, atque obstructis subveniat. Quamquam enim experimento evicerit SCOPOLIUS eiusmodi Betulae humorem largiter haustum diabetem non inferre, (*a*) ut alias credebatur,

(*a*) Flor. Carniol. p. 412.

satis tamen efficacitatis habet, qua saepe urinas utiliter moveat. Id siquidem non una mihi est observatione compertum, quem praeterea non latet eundem inspissatum succum, densitate, ac sapore tunc mel, aut mannam aemulantem alvum solvere, atque hoc modo, vel saltem sacchari, quo abundat, potentia vermibus adversari; tum folia recentia, si iisdem cubantis aegri corpus obtegatur, sicuti apud Septentrionales Gentes usu venit, proritare sudorem, qui saepe rheumaticas affectiones mitiget, atque interdum resolvat, vel eadem plantis pedum, aut suris applicita plurimum lymphae educere, ex qua serosi humoris copia, aut indole nocui eductione, ac revulsione chronici affectus, nisi discuti queant, plurimum saltem mitigentur. Haec enim omnia attulisse interdum commoda finitimis Alpicolis providum Betulae usum testari ipse possum, qui e contrario corticem Betulae imparem vidi morbis leniendis. ac discutiendis, quibus utilis dicitur, atque Oleum e Cortice tenuiori igni ope eductum empyreumaticum, Oleum betulinum vocatum, nec oleis empyreumaticis virtute dissimile, plane supervacaneum iudico. Caeterum quoniam *Betulae albae* vires protuli abs re non erit hic meminisse cum MURRAYO (*a*) *Betulae alni* seu Alni. „Folia prae„stantissima sunt, inquit, expertus loquor, „ad lac puerperarum lactationem respuentium

---

(*a*) Op. cit. Vol. I. p. 72.

„ dissipandum, dum, postquam concisa super
„ igne in disco incaluerunt, et insudarunt,
„ calide applicantur. Hoc simplex remedium
„ omnibus emplastris, pultibus, spiritibus lon-
„ ge praeferendum est.

1623. Ab Amentaceis iam ad Dumosas progredior, quin me de iisdem dicturum morentur, quae de *Pistacia* sive *terebintho*, sive *lentisco* fuse tradi solent. Nam satis fuit de priori iam monuisse ex ea purissimam Terebinthinam educi, nempe Cypriam, quam Nuperiores Chiam etiam vocant, ut dixi (§. 1603) cum fortasse purior ex Chio proveniat; tum modo satis erit animadvertere e Lentisci cortice incisione erumpentem resinam, quae pellucida, in lacrymas concreta, flavescens, odoris balsamici, quem magis dentibus mollis facta, atque ore versata, imo in igne iniecta, aut accensa suavem explicat, Mastiche, aut Mastix vocatur, vix ad suffitus balsamicos hodie nobis usitatam esse, qui sive ad salivam proritandam, sive ad confirmandas gingivas efficaciora adhibemus, ac Mastiches praeparata, et composita medicamenta supervacanea arbitramur. Quare Medicamentariae Insubriae officinae generatim carent Oleo Masticis destillato, Oleo Mastichino, Aqua mastichina, Syrupo Masticis, Spiritu Mastichino, Pilulis mastichinis, similibusque, quae apud alias Gentes adhuc in usum veniunt.

1624. Dumosae vero praestabunt ne reliquis Stirpibus ob duplex earum genus, e

quo duplex pariter omnium celeberrima Balsami species exstillat? Ita quidem existimant, qui Balsamum Mechae, seu Balsamum verum, seu Opobalsamum ex ramis, et trunco *Amyridis opobalsami* (cuius fructus Carpobalsamum, lignum Xylobalsamum dicitur) in Arabia felici crescentis sponte, aut vulnere erumpens ex albo flavescens, suavi halitu fragrans, cum acritudinis, ac fervoris sensu amarulentum, caro admodum pretio veniens, nisi terebinthina, aut quovis alio additamento adulteratum sit, ac partim oleo aethereo, partim resina compositum cum Orientalibus Populis medicatissimum iudicant. Ita pariter censent qui non minoris habent Balsamum alterum Copaivae, aut Copaibae vocatum e terebrato trunco *Copaiferae officinalis* procerae Brasiliae arboris effluens, limpidum, ac fluidum, aetate vero lutescens, et tenacem spissitudinem acquirens, liquidum tamen, ac pellucidum, suaviter odorum, cum leni amaritie, et purum acri aromate fervoris mitis, at diu durantis sensum linguae imprimens, ac non raro, addita terebinthina, fraude corruptum, quod in Oleum aethereum, ac fixam resinam destillatione secedit Nec laudatoribus carent duae aliae Balsami species, quas Stirpes ad Lomentaceas spectantes largiuntur, nimirum Balsamum Peruvianum, quod arbor Peruviae, Mexici, ac Brasiliae indigena, *Myroxylon peruiferum* vocata, e cortice demittit, quod colore modo ex albo luteum, modo ex nigro rubrum Styracem redolet, atque ex fervida acrimonia

amarescit, et Balsamum Tolutanum, quod in Tolu Americae provincia arbor, *Toluifera balsamum* dubitanter adhuc dicta, tum per se, tum facta corticis incisione effundit, ex rubro fulvum, solidum, friabile, odoris in Benzoen, aut, ut aliis videtur, in Citrum incidentis, et saporis amaricantis, atque acris.

1625. Quatuor haec constituunt celebriora, atque usitatiora Balsama, quae simul recensebam, ne eadem principiorum indole, ac necessariis proprietatibus, viribusque inter se arctissime coniuncta, et vix partium, e quibus naturaliter coalescunt, proportione, ac sensilium qualitatum modo, virtutisque gradu invicem distinctae incommode seiungerentur. Singula quippe stimulant, motum sanguinis incitant, calorem augent, urinam movent, vel alias sudorem, antiseptica sunt, nervos afficiunt, atque in iisdem morbis intus, exteriusve proficua, similibusque exceptionibus obnoxia esse solent. Porro quaelibet Balsami species, sive urina movenda, sive quaevis alia exinanitio, aut mutatio excitanda sit, Terebinthinae agendi rationem tam generatim sequitur, ut eiusdem, quo ad vim, atque usum, prorsus aemula a Nuperioribus existimetur in phthisi, in quavis interna ulceratione, in blennorrhoea, in affectibus renum, in paralysi, atque in hydrope, aliisque morbis, quos vulgaris opinio fert Balsamis sanari. Haec enim nocui, ancipitis, nec valde utilis usus esse, licet caute cum saccharo, aut mucilagine, aliove modo mitigata a paucis guttis ad decem, quindecim,

aut

aut viginti sumantur, ac non minori prudentia remedii doses iterentur, Sapientiores nostra memoria Clinici observarunt, sicuti recentiores Chirurgi repererunt, non semper laesis nervis, tendinibusque Balsamum calide admotum convulsiones avertere, ac generatim recenti vulneri impositum, ut sine suppuratione coalescat, et confirmetur, ipsum ab aere, exterioribusque iniuriis muniendo, atque incorruptum a putredine servando non ita idoneum esse indiscriminatim adhibitum, ut vulgus existimat. Nam quando vulnus vel magnum est, vel metum inflammationis movet, vel stimulus viget, Balsamum nocet, dum e contrario prodest » quando, inquit (*a*) MUR» RAYUS progenies carnis tenellae nimis lente » succedit, et haecce igitur acceleranda est.

1626. Hucusque de Stirpibus, quae tamquam Diuretica vel adhiberi, vel saltem proponi hactenus consueverunt. Interea, ut omnia, quae ex Vegetabilibus vel naturaliter emersa, vel arte parata, urinae citandae utilia spectantur, cuique innotescant, alia exequenda supersunt. Occurrunt enim vero nonnullae stirpium partes, iam inter ea, quae valide vomitum, vel alvum movent, indicatae, quae pariter minori dosi, vel diversa ratione exhibitae urinas quandoque non mediocriter cient *Asari europei*, et *Gratiolae officinalis* exemplo.

(*a*) Op. cit. Vol. VI. p. 114.

Sed istis tamen, similibusque saepe ambiguis, nec plane innoxiis remediis ad ciendas urinas Medicina non indiget in tanta, quae praesto est, copia Diureticorum. Potius indiget praeter Acetum, quod iam veluti diureticum consideravimus (§. 1527.) acidis plantarum, Limoniorum, reliquorumque Vegetabilium succis, qui tum varia forma usurpati, tum maxime poculentis recte additi ciendae urinae non una de caussa idonei censentur. Sive enim potione eorum additamento iucundiori facta, ut liberalius eam aeger hauriat, sive aqua certius, ac copiosius ad renes derivata, sicuti observat CULLENIUS, sive emendatis quibusdam vitiis, aut impedimentis urinae secretioni oppositis provide sublatis, eadem Acida proficiant, certum est ista ad eius fluxum invitandum, augendumque conferre, atque aegris hoc etiam modo saepe prodesse.

1627. In usum similiter iamdudum veniunt urinae ciendae caussa Cineres plantarum, ac speciatim Genistae, atque Equiseti, tum qui Cineres clavellati proprie olim vocabantur ex Fagi, Quercus, Betulae, aliarumve similium arborum lignis parati. Inter utrosque leve discrimen praestô est, quod a nova Clavellatorum cinerum calcinatione fit, cum caeterum idem principium actionis habeat cinis e quacumque planta paratus, utut copia varium, ac puritate, nimirum *Carbonatem potassae* seu Sal alkali fixum vegetabile. Quamobrem, etsi Cineres prioris speciei in aciduli vini quatuor libris ad octo,

aut duodecim uncias infusi cum pugillo Absynthii medicatum Vinum suppeditent, quod ad uncias quatuor bis, terve die ex SYDENHAMII auctoritate hydropicis propinatur, aut lixivium praebeant, quod saturatum ad sex uncias ter, quaterve die iisdem aegris exhibetur non sine praesentissimo interdum effectu; hodie nihilominus supervacanei censentur non secus, ac Clavellati, qui in eodem morbo, atque in acido primarum viarum, quo praesertim laborent rachitici, alias usurpari non inutiliter consueverant. Nam quoties in hydrope, aliisve morbis ob vim stimulantem, ac resolventem validum eiusmodi remedii genus conveniat, quo abunde urina ad salutem moveatur, ut interdum accidere Clinici omnes fatentur; toties Recentiores sive vino, sive lixivio pari eventu, ac maiori aegrorum commodo substituunt *Carbonatem potassae*, eumque modo vino aciduli saporis, modo aqua, prout melius expedire existimant, apte solutum aegris prudenter exhibent. Non enim perinde est cuique hydrope implicato istud remedium ad solvendas urinas offerre, quas indiscriminatim datum potest quidem prompte, ac largiter effundere, atque interim morbi caussam deteriorem efficere, aut novam, peioremque aegritudinem suscitare. » Tum enim, inquit (*a*) » Cel. QUARINIUS, alcalina nocent, cum hu-

(*a*) Op. cit. pag. 135.

» moribus solutis febris, aut sitis urget, vel
» cum maculis corpus foedatur.

1628. Quoniam vero Acidorum, atque Alcalinorum Vegetabilium, quatenus urinae movendae interdum commodant, hic mentio facta est, sua veluti sponte sermo festinat ad ea protinus expendenda e Fossilibus aut omnino, aut partim petita, quae diuretica similiter pollent facultate, suntque Acida, Alcalica, aut ex utrisque Composita. Quare ob rerum nexum iuvabit, missis modo medicamentis urinae ciendae idoneis, quae ex Animalibus promuntur, hic tradere, *Acidum Muriaticum*, *Sulphuricum*, maximeque *Nitricum* omnium Medicorum iudicio diureticum valde efficax existimari, ubi aqua apte dilutum, non ad paucas quidem guttas intra diem, ut a quibusdam fieri video, sed abunde unumquodque sumatur, aliorum etiam additione, ubi expediat, contemperatum, ut hoc modo maiori quantitate aegro queat sine noxa, aut sine maiori, quam deceat, stimulo exhiberi. Hinc subest mirari cur Clinici, tunc praesertim, quando ex aliorum Acidorum usu indicato ad solvendam urinam, atque instituto, parum utilitatis sequi observant ad ista Fossilia raro, aut nunquam fere confugiant, quae non minus aliis eximiis viribus, (§. 753. 887. 986. 1021.) quam diureticis pollent.

1629. Si vero haec solidis, fluidisque partibus illata multiplici, ac valde salutari mutatione diuretica fiunt, alias aegrorum rationibus melius conducunt Alkalica fixa salia, sive

quae a *Carbonate sodae* seu Alkali fixo minerali originem agnoscunt. Stimulando quippe, potenter incidendo, acidumque alicubi haerens absorbendo non solum generali actionis principio, verum etiam peculiari modo affectis quandoque renibus Carbonatem Sodae urinarum fluxum expedire nimis saepe visum est, ut a Diureticis medicamentis, sive per se, sive cum amaris, aut roborantibus, sive cum aliis remediis opportune usurpatus debeat excludi. Evenit nihilominus, ut cum iisdem exceptionibus eius usus obnoxius sit, quibus patet diuretici instar medicamenti adhibitus *Carbonas potassae* (§ 1627.) cumque agendi ratione ab hoc non discrepet, rarissime, aut nunquam plerique Medicorum eum ad urinas ciendas hodie usurpent. Nam praeterquamquod ubi Alkali fixum expediat, Carbonati Sodae generatim Carbonatem potassae anteferunt, neque huic saltem per se adhibiti usui admodum favent, ut urinam resolvant. Siquidem animadvertunt exigua copia adhibitum non satis eam plerumque ciere, maiori vero interdum ne minimum quidem incitare, quia tunc remedium ad intestina propere deductum urinae loco alvum movet. Verum si tunc haud negligerent consilium, quod ex MEADII observationibus attulit CULLENIUS, quando suasit ad certiores, validioresque efficiendos Alcalinorum Salium diureticos effectus imprimis valere remedium aliquod ex Opio praeparatum iisdem prudenter, opportuneque admixtum, hoc sane fidentius, crebriusque uterentur prae-

sidio ad urinas aegrorum utilitate evocandas quin spe tam facile exciderent. Scimus quippe, quando stimulare oportet, atque una crassos, pituitosos, ac tenaces humores potenter incidere, impactos discutere, viscerumque obstructiones reserare, ac superfluas, atque indole nocuas fluidas partes expedit cum urina educere, hanc Incidentium remediorum speciem, quam *Carbonates potassae*, ac *sodae* largiuntur, (§. 997. 998.) accommodatissimam esse.

1630. Est praeterea interdum, ut nemo iam ignorat, periti Artificis urinae exinanitionem non simplicibus istis, at potius rebus aliis ex Alcali fixo compositis moliri, tum alias eandem aggredi remedio ex *Carbonatis ammoniacalis* variis speciebus (§. 934. 935., et seq.) opportune sumpto, aut ex eo praeparato; quemadmodum in posterum dicendi occasio erit. Nunc enim locus exigit, ut ad urinam ciendam usitatissima illa proponantur, quae ex Acidis, atque Alcalicis sive vegetabilibus, sive fossilibus composita, et neutram indolem habentia Salia inter diuretica Auxilia efficacitate sua probari admodum solent, tum quae praesertim usus, ac simul virtutis caussa apud Clinicos inclaruerunt. Quamquam enim illas omnes Salis species, quae ad *Sulphatem potassae*, vel ad *Tartritim potassae*, vel ad *Acetitim potassae* referuntur (§ 1048.), tum nonnullae, quae ad *Nitratem potassae* spectant, (§. 987. 995.) optimo iure ad Diuretica pertinere Therapeutae doceant, quaedam tamen

praestantiores, usitatioresque ita communiter censentur, ut satius esse videatur, si de iisdem tamquam urinam moventibus speciatim nunc disseram.

1631. Antecedat istis Sal illud, quod in parietibus cavernarum, atque in antiquis muris efflorescens, aut ex ruderibus stabulorum, et cellarum arte extractum, aut copiosius e terris quibusdam humosis, aqua, et calce additis, coctione, atque evaporatione eductum *Nitras potassae* seu Nitrum vocatur. Haec namque *Nitratis* species, quae pura crystallos tenues, et longas, prismaticas, hexedras, utrinque instar pyramidis in acuminatum mucronem desinentes exhibet, quae sapore donatur acriter pungenti, salino, ac singularem frigoris sensum linguae imprimit, quaeque aliis notis a salibus mediis distinguitur, non modo ad refrigerandum, ut vidimus, (§. 987. et seq.) idonea, quam ad ciendam urinam valida, atque optima generatim censetur. Consentiunt quippe Medici a paucis granis ad scriptulum, aut vix supra, dosibus apte iteratis, exhibitum Nitrum urinas movere, et quidem utilius reliquis diureticis sive per se, sive admixtum rebus aliis, ubi temperans, aut refrigerans una remedium conveniat. Quo quidem evenit, ut in morbis inflammatoriis, si quando urina citanda sit, magnopere expediat, (§. 987.), ubi tamen in urinae organis neque stimuli, neque acritudinis, neque inflammationis, neque ulceris ullus metus subsit; tum in hydrope acuto, aut ex iis caussis complicato, qua antiphlogi-

stica postulant, tutissimum, utilissimumque diureticum evadat. Nam ubi res alio modo se habeat urinas vel nimis parum movet, vel non prompte elicit, vel mediocriter avocatum fluxum non satis perennat, ut efficaciter hydropicis subveniat; imo, animadvertente sapienter QUARINIO, quo duce iisdem maxime opitulari in quovis casu quisque Artifex facile poterit, nocet, aut saltem non conducit asciticis, in quibus laxior corporis habitus est, humores nimium soluti videntur, ac stomachi vires imbecillitatem produnt (*a*).

1632. Idem fere dicunt de iis *Nitratis potassae* Praeparatis, quae ab eo cum plurimum accipiant, parum differunt, nempe de *Nitrate potassae* cum *Sulphate potassae* seu Sale Prunellae, aut Crystallo minerali, in quo, tamen ob *Sulphur sublimatum Nitrati potassae* in crucibulo fluenti additum refrigerandi potestatem non superesse olim GEOFFROYUS coniecerat; de illa *Sulphatis potassae* specie, quae Sal Polychrestus GLASERI vocatur, cui perperam a Therapeutis quibusdam singulares facultates contra nonnullas aegritudines olim tribuebantur, cum certum sit virium ratione a *Sulphate potassae* nullatenus discrepare; ac de *Nitrate Stybii*, aut *Nitrate potassae stybiato* seu Nitro antimoniato, seu Nitro anodyno, alias crebro ex HOFFMANNI sententia adhibito, nunc iure exoleto, quoniam nec puro Ni-

---

(*a*) Op. cit. pag. 128.

tro praestat, nec licet *oxydum stybii*, seu calcem Antimonii vehat, utriusque vires coniunctim exerit.

1633. Nitrum vero, quod olim invenit, ac fixum nuncupavit GLAUBERUS seu *Carbonas potassae* cum ad *potassam*, aut Alcali vegetabili accedat, tum in liquorem resolutum *Carbonatis potassae liquido* seu Olei tartari per deliquium simillimum sit, iam supervacaneum censetur, ac virium ratione non Nitro, sed iis comparatur remediis, quae ex Tartaro praeparantur. Ex hoc autem quae mediae indolis Salium species ducuntur, sive ad *Sulphatem potassae*, ut Sal Polychrestus, Tartarus vitriolatus, Sal de duobus, atque Arcanum duplicatum, sive ad *Tartritim potassae* pertineant, ut Tartarus tartarisatus, et Tartarus solubilis, (§. 1408.) remedia sunt, quae solummodo, ubi urina paullo incitanda sit, sive per se, sive aliis remediis ad horum vim acuendam ad unam, alteramve drachmam subinde Medici praescribunt. Siquidem quando eius fluxus validius incitandus sit, aut in longum trahendus videatur, petito ex Tartaro auxilio, quemadmodum in hydropicorum curationibus usu praesertim venit, ad alias tunc eiusdem praeparationes confugiunt.

1634. Clinici nimirum, cum haec praestanda sint, *Tartritim acidulum potassae* seu Cremorem tartari (§. 1408.), aut *Acetitim potassae* seu Terram foliatam tartari, eiusve liquorem (§. 998. 1408.) passim usurpant. Porro Cremor tartari, seu Sal vinosae fermen-

tationis productum, mediam indolem habens cum acidi excessu, proindeque acidulo donatum sapore, in crystallos irregulares concrescens, ac cum Alcali varias salium species constituens, quod nonnisi in magna aquae quantitate solvitur, quodque ad semunciam, vel ad unciam datum alvum saepe movet (§. 1408) minori propinatum copia (ita, ut dimidiam eius drachmam, aut unam, alteramve aeger quavis vice assumat, ac dein saepius die iustis intervallis usurpet) urinam citat. Plerumque vero eam tam efficaciter, ac copiose movet, cohibitis una circulationis impetu, ac caloris incremento ab inflammatorio stimulo concitatis, siti sedata, crassis, tenacibusque resolutis humoribus, pronitate ad putrescendum refrenata, recentibusque obstructionibus reseratis, ut quod morbi est partim corrigendo, partim ad renes secum avocando, atque ex istis secretum copia, aut qualitate nocuum foras educendo aptissimum, utilissimumque diureticum remedium reperiatur. Quicumque enim sit modus, verisimiliter multiplex, quo uberiori urinae separationi, atque effusioni faveat, certum est in morbis inflammatoriis, putridisque saepe eius fluxum utilissime facere, tum in hydrope, sive totius corporis, sive pectoris, sive ventris datum eo modo, quo partite intra diem ad sesquiunciam, vel ad duas, et ultra uncias impendatur, tantum quandoque concitare profluvium, eo quidem promptius, tutius, ac maius, quo pro aegri natura, aut morbi caussis curationis ratio antiphlogistica

auxilia magis admittit, aut exigit, ut hydropisim plerumque insigniter imminuat, ac non raro per se prorsus, prompteque discutiat.

1635. Hoc nempe uno auxilii genere usi GHERLIUS, MENGHINIUS, aliique cum insignes hydropicorum curationes absolverint, nova Clinicis ratio patefacta est, qua tam diro morbo laborantes, pari saepe felicitate, imo maiori, in sanitatem adducerent. Nam praeterquamquod horum subtiliori investigatione aegritudinis species, aegrorumque conditiones clarius innotuerunt, quae huic diuretico remedio vel repugnant, vel eius actioni apprime respondent, innotuit quoque summo aegrorum commodo ea Cremoris tartari adhibendi methodus, quae promptius, efficacius, atque iucundius iisdem mederetur. Porro novimus non convenire, si nimia in humoribus solutio, in solidis laxitas occurrat, aut calor exterius parum, neque aequabiliter se effundat, viresque imprimis stomachi langueant, ac contra indicari, quando res dissimili modo, sicuti paullo ante dicebam, se habent. Scimus praeterea pro varia aegrorum, et caussarum indole ita cum aliis medicamentis coniungere Tartari cremorem, ut iste, qui secus parum efficax, aut inutile diureticum per se datus evasisset, prorsus salutare fiat, postquam videlicet invenimus et copiosam ducere urinam, et morbum radicitus tollere, ubi modo cum caeteris antiphlogisticis, modo cum roborantibus, modo cum extractis plantarum instar saponis tenuantium, ac resolventium, modo cum iis, quae

bilis vitio medentur, aut aliam labem humorum emendant, modo cum iis, quae efficacius obstructa viscera aperiunt, modo cum stimulantibus copuletur, aut his interponatur. Quando nempe inflammatoria sanguinis constitutio, aut cachexia, aut febris intermittens imperfecte soluta, aut nondum sublata, tenax, et crassa indoles humorum, bilis vitia, obstructio viscerum, aut stimuli defectu iners resorbentium vasculorum actio morbum adduxerit, aut foveat; varium illud genus remediorum Cremori tartari additum vim huic tribuit qua cito, et tuto hydropisim resolvat.

1636. Neque horum solummodo additamento maiori Cremoris tartari diureticae facultati, qua et saepius in hydropisi conveniret, et validius ageret Recentiores prospexere, verum etiam ex meliori eiusdem administrandi ratione utrumque assequi potuerunt. Sive enim alias Medici urinas in hydropicis quoties Tartari Cremore molirentur, toties aut exiguo liquore remixtum, aut non satis dilutum propinarent, ne eius vis aqua enervaretur, neve copiosa huius potione morbus ingravesceret, cui abstinentiam a potu idoneam existimabant, necessario accidebat, ut non pauci hydropicorum remedii usum sustinere, aut opportunam eius quantitatem ferre, diuque continuare nequirent ob stomachi irritationem, aliasve molestias, tum plerique non illud ex Cremore tartari commodum perciperent, quod nunc aegri cum aqua omnino solutum, imo saepius ea copiosiori dilutum ex

Nuperiorum consilio usurpantes experiuntur. Isti praeterea cum invenerint Crystallos tartari cum quarta, aut quinta parte *Boratis sodae* seu Boracis Veneti aqua solvendo, atque evaporando novam salis speciem conficere, quae Cremor tartari solubilis, seu *Tartritis acidulus potassae cum borate* vocata communi Cremore solubilior multo minorem aquae copiam ad sui solutionem requireret, invenerunt pariter hocce adhibito cremore expeditam admodum rationem iis hydropicis opitulandi, qui ob peculiares conditiones integro remedii acore opus habent, aut aquae copiam non ferunt, aut potus etiam sobrietate iuvantur.

1637. Borace nimirum adiuncto ipsius Cremoris sive diureticae, sive aliae eius facultates non infirmantur, ut quidam metuunt, quin imo acui videntur ipsamet virtute, quae *Acido boracico* seu Sali sedativo propria est. Quamquam enim huic Sali neque antispasticas, sopientes, ac praestantiores reliquis refrigerantes vires alibi tribuerim (§. 987.), neque velim modo ex eiusdem usu praesentissimam complurium aegritudinum curationem cum HOMBERGIO, eiusque asseclis cuique polliceri, contendo nihilominus ad unum scriptulum vel ad drachmam dimidiam subinde datum tenuare, resolvere, abstergere, atque urinas augere. Cuius actionis non expertem esse Boratem ipsum testimonium perhibent qui in glandularum colli, ac thyroideae tumoribus nondum inveteratis, aut scirrhi instar duris eius

vim, quam valde idoneam putant, apud nos interdum periclitantur.

1638. Sive igitur ex hac praeparatione, sive ex methodo administrationis, sive ex vario speciatim utilium rerum additamento Cremoris tartari usus commodior, efficacior, pluribusque aegris aptior fiat, et hydropisim excitis urinis saepe sanat, et quos infirmos saluti restituit non squalore obsitos, non macilentos, non viribus prope exhaustos reddit, ut non facile roborantium postea beneficio pristinum speciei decorem, ac naturalem corporis habitum, firmitatemque recipiant, quemadmodum plerumque aegros fuisse, qui Cremore tartari dissimili modo usurpato olim ex hydropisi convaluerant, quaedam relata a Medicis exempla testantur. Quod si curationibus hydropicorum, quos nuperiores Clinici uno maxime Cremore tartari instituunt, ac prospere absolvunt, illa etiam addimus, quae partim huic debentur, pretium sane eiusdem in copiose, utiliterque urina cienda augebitur. Solent nempe nostrae aetatis praestantiores Medici aquam Cremore tartari acidulam reddere, aut resolvens decoctum eo addito medicatius efficere, quo generatim quotidiani instar potus utantur, saepe item liberaliter, hydropici, etiam cum aliis resolventibus, et validioribus cuiusque generis diureticis medicamentis praecipuam partem curationis credunt. Probe siquidem norunt quanti tum per se, tum interdum saccharo, et acido Limoniorum succo admixtus, quo iucunde sumatur, sive ad

tuto restinguendam sitim, sive ad reliquorum medicaminum diureticam adiuvandam facultatem eius usus valeat.

1639. Quasi autem haec non satis essent ad optimum remedii genus constituendum accedit Tartriti acidulo, quo hydropicis magis conferat, vis, qua praeter urinas, alvum leniter solvit (§. 1408.), tum, quo compluribus morbis expediat multiplex eius virtus, qua, cum temperet, incidat, resolvat, ac putredini adversetur, inflammatoriis morbis, atque immodicis ex bile alvi fluxibus detentis, cholericis, obstructis, ictericis, atque erysipelate, putridisque morbis laborantibus egregie auxilietur, aliisque demum affectibus medeatur. Porro in aphtis, et stomacace aqua fervente solutus et melli communi, aut rosaceo admixtus utilissimus dicitur, sive gargarizetur, sive eo saepius os eluatur, atque a Chirurgis denique ad maculas corneae delendas, abstergendasque ulcerationes in modum pulveris adhibitus non parum accommodatus censetur. Quare mirum esse non debet si tot viribus praeditum, totque usibus explendis par medicamentum, probatissimum revera, usitatissimumque apud nos esse soleat.

1640. Id interim non impedit quominus virtute, atque usu Clinicis acceptissima sit *Acetis potassae* seu Terra foliata, seu Arcanum, vel Terra foliata tartari, quae apud nos ex potassa Aceto communi concentrato perfecte saturata, ac percolato lixivio ad siccitatem evaporato conficitur, vel eius loco usitatissimus

sit Liquor terrae foliatae Tartari; qui commode paratur, *Acetitim potassae* in Aqua stillatitia solvendo, ut remedium certum, constantemque efficacitatis limitem habeat, atque ut, Ill. HAGENIO auctore, purior liquor sit eo, quem eadem Terra foliata in aere deliquescens suppeditat. Sive illa porro ab uno scriptulo ad drachmam, sive liquor liberalius iuxta terrae quantitatem, quam continet, aegris propinetur, dosibus intra diem apte iteratis, attenuantes, resolventes, discutientes, alvum leniter laxantes, abstergentes, ac praesertim diureticos effectus plane eximios alterutram speciem remedii exerere Medici omnes fatentur, qui proinde crebro, utilissimeque aegris exhibent. Pituitosis siquidem, biliosis, hypochondriacis, arthriticis, glandularum, et viscerum obstructione aut tumore laborantibus, cachecticis, oedematosis, hydropicis, febre intermittenti diutina, vel lenta implicatis, ac morbo obnoxiis eam vel per se, (praesertim si terra Scillino aceto paretur) vel cum aliis remediis propinant, cui mitigando, aut vincendo conducat auxilium quod solidarum partium vires excitat, valide resolvit, urinas potenter aperit, alvo etiam reserata, ac generatim sive agendi ratione, sive virtute instar saponis medetur.

1641. Profecto etiam Sapones, si eorum vires, atque usus spectentur, huc pertinent, cum a communi stimulandi, resolvendi, atque abstergendi potestate ipsi revera, tum *sapones* tum *saponuli*, qui in usum veniunt, diureti-

cum

eam quoque facultatem accipiant. Si enim ratio, qua plerique Clinicorum chronicis passionibus medentur, consulatur, cuique expeditissimum erit cognoscere *Sapone* sive *potassae*, sive *sodae*, utut Sapo communis, aut Venetus, aut Alicantinus, aut Medicatus dicendus sit, (quas omnes saponis species alio capite expendam), eosdem persaepe uti non tantum, ut discutiant, et solvant, quam ut solutos humores ad urinae vias deducant, sicuti in obstructionibus, atque in quibusdam speciebus hydropisis praestant. Quanti vero *Sapo acidus*, praesertim non omni acore privatus, ad unum, alterumve scriptulum die partite sumptus veluti diureticum medicamentum fieri debeat, cuius indoles mitis sit, actio manifesta, ac saepe efficax, tum ea observata, quae singulari loco (*a*) protuli, aperte declarant, tum non dissimilia ab aliis Clinicis animadversa satis superque evincunt. Etenim ostendunt in obstructionibus, tumoribus, ictero, cachexia, atque hydrope multiplici ratione solidas, fluidasque partes ita non raro afficere potuisse, ut stimulans, atque interim aestum temperans, resolvens, adstringens, quaedam humorum vitia corrigens, atque antisepticum remedium, dum morbi labem alterando emendaret, una evacuando abstergeret. Nam licet idem Sapo singulis resolventibus, et diureticis Artis auxiliis palmam praeripere visus non sit,

(*a*) Opuscul, Therap. Vol. 2. Op. 1.

imo quibusdam, ut iam monui (*a*), cedere virtute, ac subinde fallere, complures sane aegros iuvit, urinis facile incitatis, interdum largiter excitis, interdum etiam ad salutis integritatem effusis.

1642. Sed ad Salia, ac Fossilia redeamus, ut exequi possint, quae monenda supersunt. Interest enim, quod ad Salia attinet, indicasse, alias etiam eorum species subesse, quae mediam indolem habent, ac quaedam ex iisdem ducta remedia, ut *Acetis ammoniacalis*, et *Citras potassae solutus*, praesto esse (§. 999.) quae licet ad alios potius effectus, quam diureticos assequendos a Medicis soleant usurpari, urinam etiam ciendo proficiunt. Iuvat pariter hic loci meminisse *Muriatis barytis* seu Barytis muriati, quia novam hanc remedii speciem cum primus ad medendum nuper traduxisset Ill. CRAWFORDIUS, eius usu urinam uberius secretam, effusamque fuisse interdum observavit (*b*), viditque pariter interdum Ill. HUFELANDIUS, qui plurimum ad vires eruendas, constituendosque eiusdem Muriatis usus novissime contulit. Etsi enim cutem imprimis eum afficere tradiderit, attamen eius vim comparavit solventibus, incidentibusque validioribus, ac speciatim salinis Stybii praeparatis, quae stimulent sine aucto sanguinis motu, aut caloris incremento, ac docuit in quibusdam ae-

---

(*a*) Op. cit. p. 63.

(*b*) DUNCAN'S Medical. Comment. D. II. Vol. IV. et Medical Communicat. Vol. II.

gris urinam proritasse, tum efficacitatem suam in hydropicis ostendisse, quemadmodum ex eo narrat Cl. Io. Augustus SCHMIDTIUS, qui huiusce salis historiam plenissime complexus est (*a*). Et re quidem vera in duobus aegris anasarca cum ascite detentis, in quibus Scilla, et Digitalis purpurea evocare copiosas non poterant urinas, uberiores cito reddidit nuperrime a me exhibitus Murias barytis primum unius grani, dein trium dosi granorum ter, quaterve die; sic ut videatur remedium istud, de quo alibi disseram, etiam spectata diuretica facultate, quam iam pollicetur, dignum esse, quod etiam ab Italiae Medicis ad eius constituendum in morbis usum periclitetur.

1643. Dè iis vero remediis, quae e Fossilibus, ac speciatim e Metallis ducta veluti diuretica, nec quidem parum valida, a plerisque Materiae medicae Scriptoribus proferuntur, tenendum est parum commoda, nec generatim necessaria a Nuperioribus Clinicis eadem iudicari. Hi nimirum animadvertunt illa etiam, quae utpote acri, et valde stimulanti qualitate donata urinae movendae aptiora viderentur, spectata potissimum caussa imminutae, aut deficientis urinae, quaeque interdum diuretica reapse evaserunt, iam notis, atque usitatis remediis non praestare virtute, tum istis frequentius expectationem eludere. Saepius enim fallere observarunt Stybii, eiusque

(*a*) De Barit. Muriat. Spec. Prim., et Secund.

praeparationum exemplo, quarum actio, etiamsi prudenter ab Artifice ad renes dirigatur, plerumque ad cutim contendit, vel in alvo resolvenda impenditur, vel dum ciet urinas, eas nec satis auget, nec semel auctas in posterum uberiores sensim efficit. Quamobrem unum fere ex Metallis Hydrargyrum excipiunt cum Ill. GREGORYO, qui, etsi tradat id alias partes afficere, aliasve secretiones incitare facilius, validiusque, quam generatim renes percellat, atque urinae separationem augeat, tum concedat non singulari quodam modo, at communi vi, qua omnibus partibus secernentibus stimulo est, diureticum futurum Hydrargyrum, vult nihilominus non aegre ita dirigi posse ad urinarum organa eiusdem potentiam, ut prae ceteris haec afficiat, valideque urinas invitet. „ Raro quidem, et parce, inquit (*a*), „ ut vulgo solet adhiberi, urinam movet; cu„ ius rei non alia videtur esse ratio, quam „ quod omnes fere, qui illo utuntur, praeter „ solitum calidi servantur, vel saltem a frigo„ re vel levissimo diligenter defenduntur. Quod „ si corpus modico frigori obiicitur, vel nul„ lus saltem praeter solitum calor adhibetur „ inter argentum vivum sumendum, tum saepe „ urinam insigniter movet. Hoc autem certius „ adhuc facit, si non solum datum fuerit, sed „ una cum alio medicamento, veluti Scilla, „ quod id quasi ad renes dirigat. Huiusmodi „ compositio, et coniunctio medicamentorum,

---

(*a*) Op. cit. n. 1457.

„ remedium diureticum omnium fere, quae
„ hactenus cognita fuerint, efficacissimum prae-
„ bet.

1644. In hunc proinde finem Calomelanum, aut Mercurium dulcem (§. 1133. 1170.) sive cum aliis resolventibus medicamentis admixtum, sive cum Scilla coniunctum passim Medici exterarum Gentium, ac nostrates interdum aegris exhibent, in quibus maxime obstructis, tumore aliquo laborantibus, atque hydrope detentis curandum sit, ut dum morbi caussa discutitur, quod resolutum iam est, ac foras debet propelli, quodque in cavis corporis, atque in universo habitu praeter naturam effusum haeret, ex urinarum itinere subducatur. Profecto cum CULLENIO concedo, si quando expediat Scillae, aliorumve remediorum diureticam actionem augere, dubium non esse, quin, ubi iam eiusdem Scillae vis in renes ex effectibus elucescat, Hydrargyrum tunc ei additum istis maiorem stimulum afferre queat; at interea cum eodem praestantissimo Clinico vehementer dubito, num Calomelanum in hoc casu prae caeteris aliis remediis expediat, ut communiter censent qui hanc remediorum coniunctionem maximi faciunt, ac crebro usurpant, ne dicam diuretici instar remedii quodcumque ex Mercurio praeparatum medicamentum adhibitum mihi adhuc videri ancipitis usus.

1645. Cum profecto observaverit CULLENIUS eam, quam paullo ante dicebam, Mercurialis remedii speciem, quae tam facile alvi

purgationem sollicitat, ut inter Purgantia iamdiu locum invenerit, atque hoc uno fine interdum usurpetur, Scillae actionem ad intestina facile deducere, huius potius radicis vim diureticam infirmare, aut impedire, quam intendere, ac promovere coniecit. Quod quidem efficit, ut iis omnibus regulis servatis, quae frigidi regiminis nomine Therapeutae complectuntur (§. 1508.) cum istud compositum ex Calomelano, et Scilla remedium alias urinae ciendae caussa, ubi indicatum plane videbatur, saepe praebuerim, saepius alvum, vel interdum sudorem, aut salivam, urinarum loco duxisse observaverim. Neque melius urinae fluxui prospicere vidi Opium Calomelano ex quorundam sententia additum; nam tunc non urinam, at sudorem generatim elicuit. Nimis vero periculosum soleo internum Sublimati mercurii usum, (§. 1164, et seq.) ac rarissime proinde, cautissimeque in ipsis venereis morbis admittendum (§. 1167.) existimare, ut possim reliquis mitem vim habentibus Mercurialibus praeparatis, quae cum Scilla, aliisve diureticis copulentur, anteponere, aut cuique suadere Sublimatum ipsum; etiam si vellem CULLENIO largiri eiusdem, per se licet dati, actionem ad renes saepe deferri.

1646. Ancipitis autem usus diureticum ut magis adhuc habeam Calomelanum, vel quodvis intus propinari solitum Mercuriale remedium, quando per se detur hoc uno medendi fine, me praeterea iamdiu monuerunt quae in aegris accidere observaveram. Ex

eius enim usu, quem quidam in hydropicorum curationibus nimis probaverant, pronum mihi fuit eruere ad eorum aquas educendas, ut, lymphaticorum resorbentium, ipsorumque renum viribus excussis, copiosae fiuant urinae, raro admodum valere; tum pariter cognoscere ea dosi, eaque ratione Calomelanum hydropicis exhibitum, qua simplex, vel purgantibus admixtum ex alvo serosam colluviem cito, valideque eliminet, ut interdum fieri solet, vix aliquando convenire. Nisi enim morbus intra inicia consisteret, nulla esset stomachi imbecillitas, vel nulla in humoribus morbosa tenuitas, imo viscosus, et tenax abundaret mucus, ac, viribus reliquarum partium nondum fractis, vasorum lymphaticorum genus debile, laxum, atque iners ubique generali stimulo admoto excutiendum esset, haec medendi ratio nunquam utilis, imo aliena, aut etiam periculosa visa est. Sapienter proinde, ut solet, Ill. QUARINIUS monuit eam cautissime tunc quoque amplectendam esse, quando ipsius etiam hydropisis ex lue Venerea ortae curatio auspicatur, „ cum, inquit, (a) ex mercurii quo„ que abusu hic morbus generetur.

1647. Supersunt Diuretica ex Animalibus petita, seu quae ex amplissima Insectorum classe promuntur, aut alias desumi consueverant. Eorum enim plura iam ad exoleta re-

(a) Op. cit. p. 136.

media, aut saltem nobis non usitata pertinent: Ex Colopteris nimirum unum *Meloes* genus est, e quo diuretica hodie desumimus, iam iis, quae olim reliqua genera praestabant, reiectis. Siquidem neque ex *Scarabaeo melolontha*, quem nonnulli Scarabaeum maialem vocant, ac cum insecto ad Meloen spectante confundunt, ad urinam movendam, atque ad hydrophobiam arcendam remedium; neque ex *Lucano cervo* seu Scarabaeo cornuto in pulverem contrito rheumatismo, arthritide, aut hydrope laborantibus, ob excitas stimulando, ac resolvendo largiter urinas, utile auxilium cuique pollicemur. Ex ipso autem *Meloes* genere, si *vesicatorius* excipiatur, duae eius species, nempe *proscarabaeus* seu Vermis maialis, aut Proscarabaeus, et *maialis*, nisi ad aquae pavorem ex rabidorum animalium morsu avertendum (§. 1235.) adhibeantur, (quo quidem fine in Medicamentariis quoque Officinis Insubriae melle ita condita insecta, ut huius libra quadraginta, aut quinquaginta conservet, prostare deberent) in aliis casibus, ut olim fieri consueverat, nunquam hic loci administrantur. Quod profecto dolendum non videtur. Etsi enim de *Meloe proscarabaeo* testetur Cel. QUARINIUS (a) in hydrope cum roob Sambuci tentatum aliquoties profuisse, ac speciatim gravi ascite detentum intra biduum urinarum profluvio sanasse, in pluribus tamen incassum se admini-

---

(a) Op. cit. p. 127.

strasse candide monet, quin imo, inquit,
„ dolorifica inde, et parcior urinae secretio,
„ sitis, fauciumque ariditas consecuta demul-
„ centibus, et mucilaginosis adiuvanda fuit.

1648. Internum vero, ac speciatim diureticum usum quod spectat *Meloes vesicatorii* seu Cantharidis, aut Cantharidum (cuius insecti historiam, quo ad principia, qualitates atque agendi rationem, attingam quo loco externam eiusdem administrationem expendam) quamquam ego non generatim refugiendum esse, ut plerique solent, existimem, non arbitror nihilominus tam saepe, ac tam liberaliter institutum, ut apud Celeberrimos quosdam Medicos usu venit, perpetuo proficuum, atque innocuum esse. Profecto hac aetate Clinicorum nemo, qui medendi usu valeat, probare eos poterit, qui periculo nunquam vacuum, plerumque valde noxium, atque in omni saltem casu supervacaneum existimantes internum Cantharidum usum, neque in pertinacioribus, ac fere conclamatis, ob aliorum medicaminum imparem vim, aut iam exploratam inutilitatem, aegrotationibus permittunt. Horum siquidem opinionem, nisi abunde iamdiu refutasset auctoritas HIPPOCRATIS, qui ad menstrui sanguinis fluxum revocandum tres Cantharides in vino cum aliis medicamentis bibendas dedit, et cum aqua ad urinam proritandam hydropicis exhibuit, eam sane contraria complurium sapientum nostrae memoriae Medicorum experientia prorsus refelleret. Etenim Cantharides intus datas praesentissimi instar remedii

fuisse ad aquae pavorem ex rabidorum animalium morsu avertendum, vel iam praesentem discutiendum quidam experti testantur; pertussim, aut tussim convulsivam, vel caeteris reluctatam remediis, vel epidemice cum insigni vehementia grassantem mitigasse, ac vicisse alii observarunt; in blennorrhaea inveterata, et rebelli, in ulcere vesicae, in venerea impotentia ex pituitae copia, et defectu stimuli, in urinae retentione ex iisdem caussis, atque in hydrope aliorum Stimulantium medicaminum vim eludente, plerique observationibus innixi magnificant; nonnulli in diabete, atque urinae incontinentia magnis laudibus extollunt; ac demum alii non pauci in pectoris, aliarumque partium pertinacioribus, maioribusque chronicis passionibus tum profuisse narrant, cum fibris ubique stimulandis, ac praesertim renibus sive prompte, sive satis percellendis reliqua Artis praesidia imparia evaserant.

1649 Cautissime praeterea in adductis casibus adhibitas Cantharides modo ad unum, alterumve granum instar pulveris, modo ad duo, aut tria grana cum pari Camphorae quantitate admixtas, modo cum Oleo amygdalarum, vel cum emulsione coniunctas, modo alcohole solutas forma tincturae a guttis aliquot ad sex, octo, aut decem cum impune egisse iidem Medici tradiderint, eiusdem remedii internum usum satis iam constituisse videntur. Quare si eiusdem potentia singulari prope ratione ad renes, innexasque partes prae aliis contendit, si in istas dum operatur ita se ex-

plicat, ut dum pro vario aegri, morbi, ac caussarum discrimine nunc profluvio, aut stillicidio urinarum refrenato, diabete, vel eneuresi laborantibus subvenerit, nunc earum fluxu facto hydropicis, aut retentione urinae ob vesicae paralysim detentis opem attulerit, quin ardore, nephritide, colo vesicae inflammato, dysuria, aut stranguria, urina cruenta, aliisque malis illatis detrimento fuerit, cur dicendum non erit eos hallucinari, qui nunquam cantharides usurpandas esse defendunt? Nonne scimus vel apud nos Cantharidum Tincturam, quae insectis contusis ad semunciam in Alcoholis libra triduo infusis, ac per colum transmissis paratur, sive organa urinalia excutienda essent, sive cutis, aut intestinorum actio, lymphaticis maxime vasculis, et nervis perculsis, incitanda fuisset, aegros, pedetentim dosi a paucis guttis iam ducta ad eas quam plurimas, intra diem partite eiusdem tincturae nunc duo scriptula, nunc tria, nunc quatuor etiam insumere impune, atque utiliter potuisse?

1650. Ergo tutius, et rectius se gerere mihi videntur ii Medicorum, qui potius mecum sentiunt circumscribendum ad rariores quosdam casus Cantharidum internum usum, ac perpetuo cum omni cautionis genere suscipiendum esse, non autem veluti alienum, et semper periculosum deserendum. Quae quidem sententia eo magis mihi amplectenda videtur, quod observaverim aegros non raro occurrere apud nos, qui sane vel levissimas huius remedii doses etiam Camphora, aut Opio, aut Elec-

tuario DIOSCORIDIS, aliisve, quae stimulum, aut virus retundere dicuntur, coniunctas sine nausea, vomitu, ac stomachi, intestinorumque ardore, doloribusque ferre non possunt, tum etiam cognoverim hic loci non tam crebro, etiam ubi sine ullo incommodo remedium aegri experiantur, in iis morbis profuisse: quemadmodum in Anglia, aliisque regionibus se observasse quidam Clariss. Medicinae Scriptores vel novissime testantur.

1651. Nempe fieri non potest quin prudens quisque cautius adhuc, et rarius, quam dixi, Cantharidum remedio utatur, si quando animo reputet eo neminem a pertussi sanare me hic loci potuisse, etiam non in una constitutione epidemice grassante usurpato; notha peripneumonia laborantibus, quibus uno, aut altero fausto exemplo quidam adducti saepe obtulerunt, generatim Cantharidum tincturam obfuisse anxietate illata, quae sputum parcius, et difficilius redderet; idem pharmacum pluries die, diuque propinatum Laude Pompeja cum aliis remediis ad futuram hydrophobiam avertendam, ex quatuor aegris neminem praeservasse; tum monere Ill. QUARINIUM (*a*) in hydrophobis, quibus Cantharides exhibebantur, sudorem, atque urinam sine dolore non accidisse; in diabete, etsi interdum profuerit, saepius fallere, ac minus generatim idoneum medicamen ideo videri, quia sitim vel per se solet

(*a*) Op. cit. p. 126.

movere, quae non facile temperantibus, et demulcentibus compescatur; in renum vesicae, atque urethrae morbis nihil praestasse, quod ab aliis stimulantibus minori periculo expectandum non fuisset; easdem cantharides frequentius, ac copiosius urinas avocasse impositas, quam ore sumptas; ac denique sine ullo discrimine, ac cum evidenti utilitate urinas in iis tantummodo hydropicis hic loci Cantharides concitasse, in quibus, caeteris non proficientibus remediis diureticis, tentandas esse monuit idem QUARINIUS (*b*) nempe „ in aegris pasta„ ceo habitu, qui farinaceis abusi, siti, et ca„ lore carent „.

1652. Hemiptera autem insecta vere utilibus remediis Diureticorum suppellectilem non augere ultro quisque dabit, quem non lateat dubia plane esse, quae de *Cicadae* variis speciebus, quae Europam inhabitant, exsiccatis, ac frixis, in pulverem contritis, vel in cinerem conversis veluti diureticis, utilibusque, aegris vulgo narrantur, qui dysuria, stranguria, nephritide, et calculo torquentur; tum alias potius, si aliquae tamen tribui debeant, competere vires, quam diureticas, duabus *Cocci* speciebus, nempe *ilicis*, et *cacti*. Nam ad priorem speciem spectantia Grana Chermes, seu exuviae feminarum insecti in *Quercu coccigera* habitantis aceto conspersae, quod ova excludi prohibeat, quae folliculis occlusa grana mini-

(*a*) Loc. cit.

ma sanguinei coloris e finitimis Mari Aegeo provinciis ad nos advehuntur Grana Kermes, vel Alkermes in Officinis vocata roborandi, ac leniter adstringendi caussa a dimidio scriptulo ad duo pulveris forma non amplius usitata nobis sunt, qui vix succum ex recentibus folliculis expressum ad nos deportatum saccharo conditum (qui Succus Chermes dicitur) ob suavitatem odoris, gratiam saporis, ac coloris jucunditatem ad Confectionem Alkermes, aliaque Composita recipimus, aut ab aliquot drachmis ad unciam, aut sesquiunciam Mixturis addimus, Tincturis, Elixiriis, Iulapiis, atque Electuariis, ut aegrorum palato, ac voluptati remedium, quod propinandum est, melius accommodetur. Ex altera vero Cocci specie sumpta insecta intus punicea, extus rufa, inodora, ac non sine nausea lenissime adstringentia, quae Coccionellam Medicamentariis officinis praebent, urinam ciere stimulando, ac vires erigendo, et putredinem emendando ita proficua esse, ut hydropicis, aegre meientibus, et putrido, ac maligno quovis morbo implicatis non leve auxilium afferant, nescio qui apud nos credat, apud quos etiam infucandis remediis, ut specie invisa colorem purpureum induant, Coccionella aut nunquam, aut sane rarissime inservit.

1653. Inter Lepidoptera vero, quam immerito quidam Scriptores ideo olim *Phalaenam mori* commemoraverint, quia Sericum crudum et tostum non minus incitando, atque adstringendo ob salinum volatile principium epilep-

siae, aliisque cerebri, nervorumque morbis mederi, quam urinas ciendo earum difficultati opitulari existimabant, nemo est qui iam per se probe non videat. Neque quisquam inter sapientiores Clinicos fortasse erit, qui mecum non existimet plane inutilia, aut saltem ad ciendam urinam, aut ad quodvis aliud commodum afferendum non necessaria quae ex Apteris a quibusdam adhuc Medicis peti auxilia solent. Nam ex *Aranea domestica*, quae veluti diuretica remedia olim quorundam credulitas paraverat, sanior nunc Therapeutice sustulit. Quae vero sunt adhuc apud rusticos, atque infimae sortis homines alicubi in Insubria, aut apud quosdam etiam non ignobiles Viros accepta, atque ad febres intermittentes, maximeque tertianas, usitata, si Aranearum telae pilulae instar convolutae, interdum in eas abdito enecato insecto, ieiuno stomacho sumantur, ea ipse iamdiu vana prorsus experimentis declaravi luculenter evincens, naturae viribus, aut horrori, quem nauseosum remedii genus intulit, referendas esse curationes, quae remedii beneficio absolutae praedicantur.

1654. Chemicis vero principiis vel leviter imbutus quinam poterit Clinicus *Cancri sataci* concrementa inter utramque ventriculi tunicam haerentia, quae Oculi, aut Lapides Cancrorum vulgo dicuntur, ad superflua plane, neque ulla singulari donata virtute remedia non amandare, etiam si iidem Lapides Cancrorum praeparati, tum

Citrati, aut Aceto scillitico soluti ad ciendas urinas, ubi simplices acidum absorbendo primarum viarum neutram indolem acceperint, vel eam ex citrico acido, vel acetico iam obtinuerint, impense a quibusdam olim laudarentur? Profecto cum id omne commodum, quod utroque modo adhibiti praestare unquam possunt, ab aliis aeque remediis consequi possit, eos lapides ut non necessariis absorbentibus remediis iam accensui (§. 1013.) ita nunc acidis praeparatos supervacaneis Diureticis refero. Qui autem *Oniscum asellum* seu Millepedem, aut Millepedes ad praestantiora incidentia, et diuretica Artis praesidia pertinere adhuc existimantes succum ex iisdem centum numero expressum vel per se, vel cum iure tenui epotum, aut Millepedes, seu Asellos praeparatos, videlicet pasta involutos, atque in clibano exsiccatos, vel acidi vini infusione, vel calefacti alcoholis halitu peremptos, ac friabiles in pulverem tritos ad unam, alteramve drachmam fidentissime propinant hydropicis, ex dysuria, stranguria, et calculo difficulter meientibus, biliosis, ictericis, obstructis, aegre screantibus, asthmaticis, et pituitosis, adeant quaeso CARTHEUSERUM, LEWISIUM, et CULLENIUM, ac meliora docti sententiam mutent. Ex hisce enim satis intelligent, ne proprias modo observationes proferam, copia nimis exiguum, et nihil singularis habens esse illud principium, a quo medicatissimas Aselli vires prospiciunt, ut multum praestare queat; Millepedes liberaliter datos

ma-

manifeste renes non affecisse, tum in succo centum bis die assumptos urinas non concitasse, ac nullum aegrum ex protracto etiam eorundem usu convaluisse. Qui vero inter Chirurgos adhuc credunt exterius adhibitas Millepedas discutiendo, et temperando inflammationes oculorum, palpebrarum, et faucium resolvere, scrophulas, et strumas dissipare, earumque succo ulcera sordida, et maligna abstersa emendari, paullatim impleri, coire, ac firma cicatrice obduci, videant ne vermibus retulerint quod naturae vires vel per se, vel aliis medicamentis adiutae praestiterant.

1655. Tandem ad diuretica, quae Animalia Medicinae suppeditant, ex complurium sententia revocanda quoque esset *Spongia officinalis* seu Spongia marina combusta, quatenus ad maritimas plantas antiquitus relata a polypis constituitur, ammoniacam ex igne praebet, et tunc ustulatorum ossium instar foetet, si maiores diureticas vires exereret, neque supervacanea ideo etiam videretur quod in cinerem resoluta omnem suam vim a *Soda*, eiusque *Muriate* agnoscat. Spongiam interim attigisse iuvabit, ut mittens eius usum ad fomenta, cuius alibi memini (§. 671.) ac vix indicans Spongiam praeparatam seu cera liquata imbutam, ac prelo compressam, quae Fungus praeparatus etiam dicitur, ulceribus, fistulis, vulneribusque dilatandis quandoque inservire, moneam contra strumas, et bronchocelen incipientem dum combusta intus propinatur, a granis decem ad scriptulum, nec

ultra in pulvere, nec multo maiori dosi infusam ex vino, vel aliis remediis admixtam dandam esse ne secus stomacho officiat, ut passim accidit. Quod pariter valet de Spongiarum lapidibus, quos Spongites vocant Medici, quosque interdum ustos vel per se propinant, vel strumarum remediis admiscent."

1656. Haec auxilia sunt, quorum vires atque usus Materiae medicae Scriptores solent rimari cum ad eos non pertineat de illorum administratione disserere, quae, ut impedimenta libero urinarum fluxui opposita removeant, Chirurgi usurpant. Quare ipsis haec ultro relinquens satius erit modo indicasse apud eos usu venire Candelas, aut Cereos, aut Cereolos, qui Cereoli exploratorii, vel Medicati, vel Mercuriales audiunt, quatenus tenuissima linteola cera, ac oleo liquatis imbuta varia medicamenta recipiunt priusquam in cylindros convolvantur, qui minores, maioresve oleo illiniti urethrae inseruntur. In urinarum quippe retentione ex urethrae angustia, eiusque, aut vesicae fistulis commodum afferunt auxilium, sicuti in blennorrhaea suppressa, in carunculis urethrae, aliisve casibus opem ferunt, quos speciatim tradere Chirurgorum est, qui etiam pretium, ac usum constituunt Catheterum, et Cereolorum quos ex Resina elastica, seu Caoutchouc, quam Guianae arbor, forte *Iatropha elastica* suppeditat, paratos utiliter usurpare nuper didicerunt.

1657. De remediis haec erant, quorum potior virtus diuretica censetur, vel usus ad

urinam ciendam sive olim invaluit, sive nunc potissimum probatur, utpote caute, ut initio monui, atque opportune susceptus (§. 1506. et seq.) aegris longe utilissimus. Secus enim sive hactenus proposita diuretica, sive ea quae, spectato potiori eorum commodo, aut habita praecipuarum virium ratione, licet ad alia Auxiliorum genera revocari soleant, diuretica tamen gaudent vere egregia facultate, Aquarum mineralium, quarum saepe memini, (§. 788. 790. 996. 1000.) exemplo, ubi nimia potentia, qua renes, proximasque partes afficiunt, aut humores solvunt, operentur, non mediocriter nocent, atque interdum immedicabile malum accersunt. Nimirum ex nimia, aut diutina irritatione modo fluxum urinarum, ardore, dolore, ac inflammatione accersitis, supprimunt, modo tam uberem, ac diutinum reddunt, ut totius corporis infirmitas, squalor, tabes, eneuresis, sitis inexplebilis, diabetes, humorum solutio, ac virium prostratio superveniant, quae vitam misere absumant.

CAPUT VIII.

De Lithontripticis.

1658. Remediis, quae urinam movent, ita innexa sunt quae, veluti calculis renum, aut vesicae dissolvendis, conterendis, atque expellendis idonea, Lithontriptica Medici iamdiu dixerunt, ut ex toto separari non possint. Nam et urinam moventes res calculosis prodesse solent et quae istis ob proximam, aut singularem in calculos actionem speciatim opitulari censentur, illius utplurimum fluxum invitant. Quare ordo, iuncturaque rerum exigere videtur, ut subiungam quae medicamenta calculo laborantibus adhibeantur. Etenim ii etiam, qui cum sapientissimis Medicinae Scriptoribus negant ex tot, tantisque Antiquorum, Recentiorumque fide propositis ullum hactenus praesto esse auxilium, quod, sive ore sumptum, sive per iter urinae proxime ad vesicam delatum, vere lithontripticum sit, vel existimant quae calculos extra humanum corpus resolvunt, intra ipsum vix, ac ne vix quidem eos immutare, vel saltem ob dissimilem eorum naturam ullum, quod perpetuo respondeat, detegi nunquam posse defendunt; ultro tamen concedunt e vario medicaminum genere non pauca promi, quae calculosis multimode conducant, interdum magnopere sub-

veniant, atque unicum non raro malorum lenimen impertiantur.

1659 Nimirum Proceres Artis ignorare non possunt quod vel ignobiles Artifices haud latet, videlicet curationi calculo evellendo pari, quam Chirurgia sectione perficit, saepe locum non esse. Nam praeterquamquod ortus in renibus, haerensque in ureteribus calculus eam non admittit, ne eadem praeceps, plena doloris, nec vacua periculo, vel a Medico probetur, vel a Chirurgo suscipiatur multa quidem sunt, quae utrumque non raro commonefaciunt. Modo enim aegri formido quae ex animo adimi nequeat, modo aetas nimis provecta, modo pravus corporis habitus, modo virium imbecillitas, modo aliarum partium aegritudo, modo vitium vesicae, modo varia labes humorum, modo aliae denique caussae eam chirurgicam curationem vetant, quam temerarie institutam, si felix etiam sectio fuerit, distentio nervorum, magna inflammatio, gangraena, ac mors exciperent. Tunc itaque cum iam calculum neque Ars potest evellere, neque eadem, quae coagmentavit, Natura, per se potest dissolvere, medicamentis opus esse Medici omnes consentiunt, quae revera non una ratione calculosis utilia, ac necessaria repererunt. Eos quippe experientia docuit varia nobis auxilia suppetere, quae eorum corpora, qui ad calculum maxime inclinant, ab eodem tueantur, quae ipsius sive incipientis progressus avertant, sive iam efformati novum incrementum inhibeant, quae ex

eo ortos cruciatus, atque angores compescant, et tollant, aut futuros arceant, quaeque istis, aliisve aerumnis sublatis, aut prohibitis, vitam tolerabilem reddant, atque efficiant, ut malum trahi possit quominus brevi interposito spatio interimat.

160. Cum haec igitur, quae summopere calculosis expediant, medicamentis assequi possint, vitio quidem Therapeutis vertendum non erit si varia eorum genera singulari loco proponere, eademque Lithontripticorum nomine designare adhuc soleant, etiamsi plerique fateantur nullum remedium, quod intrinsecus deductum calculum firmiter iam concretum, et durum dissolvat, hactenus innotescere, tum, ubi aliquando innotescat, hoc ipsum vere ambiguum futurum praevideant. Observant nimirum quae lapillos in renibus, aut vesica generatos meatum urinae prohibentes vel naturae motibus post asperrimum cruciatum expulsos, vel chirurgica curatione eductos, vel in cadaveribus repertos, non laxe coalitos, fragilesque, at firmos, et duros rodunt, comminuunt, ac dissolvunt, id ipsum nec efficere posse, nec revera praestare, cum eadem ad interiora viventis corporis quoquo modo deferuntur. Primo enim animadvertunt cum VENELIO (*a*), aliisque nonnulla, quae admodum simplicia, et lenia quosdam calculos in iisdem

(*a*) Précis de Mat. Medicale par M. VENEL, et par M. CARRERE Tom. 2. pag. 244.

demersos ob gluten, quo eorum elementa arcte vinciuntur, resolutum, aut liquatum dissolvunt, ut Aqua vulgaris, Aquae Minerales, ac plurium Vegetabilium succi, infusus aut decocta, aliaque assumpta ex sanguinis itinere ad calculorum sedem delata nullum evidentem effectum edere, seu eos nullatenus immutare. Monent secundo ea, quae calculis affusa solutionem praesertim expediunt, aggressis, disiunctisque eorum elementis, ut quaedam sive Acida, sive Alcalica, viribus integra, sicuti oporteret, ob nimis acrem, et causticam indolem assumi non posse, tum quae possunt, partim in stomacho, ac intestinis, partim in vasis, visceribusque suam virtutem amittere, vel tantum suae efficacitatis exuere ut ad urinae iter calculo emolliendo, comminuendoque prorsus imparia proveniant. Tertio docent haec singula remedia, quae, vel liquato calculi glutine, vel eius principiis resolutis, eum solvunt extra humanum corpus, quaeque ore sumi non possunt, vel sumpta non proficiunt, idonea neutiquam fieri apto instrumento in vesicam proxime infusa, ut factis a nonnullis in Animalibus brutis experimentis, itemque in Hominibus a SCHAWIO, BUTTERO, aliisque tentatis, non pauci existimarunt; quia iam evictum est, eorum aliqua vesicam graviter laedere, aliqua ex urinae commixtione omni vi solvendi privari, aliqua asperos cruciatus inferre, ac denique singula neque evidenter prodesse, neque mitissima etiam, minimeque periculosa pluries iniici pos-

se, quemadmodum expediret, quin valetudinem plurimum exasperent, imo diu continuata aegri exitium minitentur.

1661. Detectum vero ubi aliquod esset remedium vesicae lapidem tum vere resolvens, tum usu plane innocuum, fallax utplurimum futurum ideo plerique Clinicorum edicunt, quia cum eum non minus mole, figura, et densitate varium, quam intima principiorum indole plane dissimile concipiant, acriterque defendant; statuunt quoque ob phaenomenorum defectum, quae illius sive acidam, sive alcalicam, sive neutram naturam, ac proinde differentiam patefaciant, possibile non esse, nisi prius incassum, nec sine aegri noxa, vitaeque fortasse periculo multa tententur, indicatum, aptumque eiusdem lapidis solutioni remedium invenire. Quod quidem renum, et vesicae lapidum, quo ad naturam, discrimen non solum ex complurium rerum, quae calculosis adhibentur, inutilitate, verum etiam ex eventu experimentorum arguunt, quae extra humanum corpus ad veram eorum indolem detegendam suscepta hactenus fuerunt.

1662. Ab utraque nempe sententia, qua tum necessarium, ac naturale calculorum discrimen, tum ambiguum Lithontripticorum usum tuentur, haud dimoveri qui eam defendunt se ab iis patiuntur, quae sive ex novissima FOURCROEI, opinione, sive ex ingeniosa, quam Ill. CARRERIUS indicat, coniectura in contrarium adduci ad obsistendum possent. Quod enim ille tamquam verissimum ponit, calculos vesicae

magis mole, pondere, forma, et colore, quam intima natura differre (*a*), eos omnes a proprio quodam acido ab Ill. SCHEELIO detecto proxime oriri, quod *Lithicum* hodie vocatum propriis characteribus praeditum, atque a reliquis primariis acidis necessario distinctum per se existat (*b*), atque ex solo *Alcali fixi caustici* usu lithontriptici remedii spem aliquam affulgere (*c*), quod, inquam, ille veritati consentaneum ponit partim refellitur, partim in dubium vocatur. Porro paritas, aut aequalitas naturae refellitur tum aliorum Chemicorum periculis, qui quosdam calculos alcalicis reluctantes, acidis, aut quosdam vicissim prioribus tantum solvere potuerunt; tum ipsius FOURCROEI, qui ex uno calculo calcis ope alcali volatile perspicue evolvi, ex altero vero prope nullum erumpere vidit, et (*d*) generatim in calculis aliquid calcis, phosphatem ammoniacalem, ac phosphatem sodae occurrere; tum maxime Cl BRUGNATELLII observationibus, qui saepe in uno eodemque calculo laminulas invicem superimpositas, atque ordinatim ad nucleum, veluti ad centrum, descendentes, seu strata, ut dicunt, offendit, quorum unum non minus colore quam natura a proximo discreparet. Reperit nimirum istud perpetuo restitisse liquori, qui illud confestim dissolverat, ac tunc solum fuisse solutum cum

---

(*a*) Annal. de Chimie Février 1793. pag. 114.
(*b*) Op. cit. pag. 115. et seq. (*c*) Op. cit. pag. 165. (*d*) Op. cit. Pierre n. 1., et n. 4.

alterius liquoris oppositam plane indolem habentis eidem affusi actio accessisset.

1663. Quin imo cum ex vesicae lapide Chemicis operibus SCOPOLIUS olim noster eduxerit *Acidum oxalicum*, atque huic illius basim tribuerit, nuperrime vero Ill. WESTRUMBIUS ex humano pariter calculo *Acidum phosphoricum* se consequutum fuisse fassus sit, posita eiusdem concrementi unica natura, aut perpetua ex eodem acidi genere origo plane dubia, redditur, ac fortasse falsa declaratur, atque etiam maius aliquod inde profluere videtur. Nimirum mihi videtur scite admodum ob haec inter se pugnantia coniicere eundem Cel. BRUGNATELLIUM calculorum originem, aut naturam ita esse concipiendam, ut dicamus in iisdem duo acida *radicalia*, *Oxalicum* unum, *Phosphoricum* alterum delitescere, atque ita quidem, ut pro dissimili rerum genere, quo calculi resolutio aggreditur, nunc unius, nunc alterius specie acidum ipsum prodeat. Praesertim vero quod ipse Cl. Vir aliis rationum momentis existimet se quam primum nobis ostendere posse, acidis primariis *Lithicum* adnumerandum non esse.

1664. In dubium vero vocatur, imo non admittitur, Lithontripticis inventis, eorum usum ancipitem haud futurum si consilium illorum sequatur qui suadent, ex arenularum, et sabulorum cum urina aegri calculo laborantis erumpentium investigatione propriam huius indolem eruendam esse, ut sine ullo errandi metu maxime idoneum lithontriptici genus innotescat.

Fallacissimae enim rei eos credere quisnam haud intelliget animo reputans huius experimenti utilitatem quibusdam cum Ill. CARRERIO dubiam adhuc videri; (a) ab aliis ideo contemni quia satis evictum putant arenulam, aut sabulum ab urina subsidendo demissum principiorum ratione saepius non convenire cum maiori calculo in vesica superstite; ac demum paullo ante allatas lamellarum unius calculi dissimilitudines, quae huic indagini pretium generatim adimunt?

1665. Quamquam caetero ex istis deduci passim soleat calculorum valetudini certam adhuc medicinam inventam non esse, tum deinceps eiusdem inveniendae spe ipsa nos fere destitui, ac proinde immerito qui de medicamentis disserunt, singularem locum Lithontripticis nostra aetate tribuere; tot nihilominus nobis suppetunt auxilia, quae varia ratione, ut dixi (§. 1659.) calculorum morbo obnoxiis conducant, ac frequenter opem non mediocrem praestent, ut haec ipsa a caeteris Artis praesidiis distincte proponenda, eorumque vires, ac commoda singillatim rimanda complurium insignium Virorum auctoritate, atque exemplo ductus existimem. Itaque etiamsi inter haec, ut vere lithontriptica, nulla quis habeat, satis mihi erit si proposuero quae ad hocce Caput a Therapeutis amandari speciatim solent. Nostrum siquidem non est more Clinicorum sin-

(a) Op. cit. pag. 258.

gula persequi medicaminum genera, quae nephritici dolores, quos calculi in renibus, aut ureteribus infixi, vel ex hisce vesicae ingressum molientes, vel ex ista exitum tentantes, vel in renibus aut vesica asperi, acuminative haerentes postulant. Ad eos enim pertinet indicare quando antiphlogistica, temperantia, laxantia, ac emollientia intus, exteriusque calculosis adhibenda sint, aut quando amara medicamenta, aut acidum primarum viarum absorbentia iisdem prodesse possint, tum tradere quae in sex rerum non naturalium usu, ac praesertim in cibi, potusque ratione, ab iis servari debeant, qui calculo laborant, aut eius metu tentantur, ut mala ex eo nascentia declinent, neve ipse sive coalescat, inceptusve incrementum suscipiat, impediant.

1666. Iuvabit idcirco e singulis Stirpium classibus, generibusque ea remedia breviter persequi, quae calculosis speciatim opportuna, aut ad mitigatoriam curationem explendam necessaria a Clinicis adhuc censentur, aut a quibusdam Scriptoribus valde proficua iudicata fuerunt, ut horum omnium usus, aut pretium constituatur. Monebo itaque e Coniferis ad renum, et vesicae sabulos, calculosque expellendos, atque ad eos prohibendos *Iuniperi communis* (§. 1617, et seq.) baccas hodie non desumi, quae alias dentibus confectae, aut infusae, aut cum lacte decoctae, ac diebus aliquot assumptae utrumque praestare olim dicebantur; tum ex Amentaceis succum illum e *Betulae albae* trunco, et ramis erumpentem

(§. 1622.) utpote eximium adversus calculum auxilium non amplius usurpari, quem ex HELMONTII sententia alias magni fieri consueverat. Qui quidem succus vel recens, vel ne fermentesceret, atque integer servaretur, oleo olivarum tectus, aut conditus lagena quae sulphuris fumum exceperit, ad uncias quatuor, aut sex semel et iterum intra diem epotus, ut olim nimis laudatus, sic nunc nimis neglectus in calculo mihi videtur. Etenim si nimium erat cum HELMONTIO, BOYLEO, LANGEO, aliisque existimare eiusdem succi diu etiam adhibiti virtute calculum in sua elementa secessurum, nimium pariter est in doloribus, quos calculus intulit, aut minitatur, compescendis, avertendisque eam vim succo detrahere, quam revera non raro patefecit.

1667. Sunt etiam nonnullae ex Compositis Stirpes, quae etsi calculosis non necessariae videantur, non inutiles tamen iisdem censentur. Sunt huius generis *Artemisia absynthium* (§. 794. 795.) cuius infusu ex summitatibus parato, vel Conserva, vel Essentia diebus aliquot usurpata, ac dein intra diem subinde adhibita ex calculo ortos dolores mitigare, atque avertere, aliaque mala arcere Medicina haud raro potuit; *Matricaria chamomilla* (§ 797. 798.) quam multiplici ratione ad calculorum cruciatus discutiendos, eosque mole non multos expellendos utiliter se interdum usurpasse quidam testantur; *Achillea millefolium* (§. 907.) cuius herba infusa calculosis ob dolores sublatos idonea HOFFMAN-

NI fide habita est; *Solidago virga aurea* seu Virga aurea, quae, licet in pulverem trita diebus aliquot ad drachmam data a Celeb. Viris in calculo vesicae vere lithontriptica perperam iudicata fuerit, impedire tamen quandoque visa est ne ille incrementum sumeret, ne ulterius dolorem inferret, neve, uno expulso, alter, oriretur; ac denique *Spilanthus acmella* seu Acmella vera, aut Ceylanica, quae istis maiorem etiam famam apud Medicos obtinuit.

1668. Superiori nimirum seculo ad exitum tendente haec species Spilanthi amara, et leniter adstringens cum fervoris sensu inter manducandum evoluto a *pseudacmella* radio distincta cum e Ceylano, et Ternate insulis, in quibus sponte nascitur, in Belgium, atque in Angliam primum allata fuisset tamquam remedium in illis regionibus probatissimum, aptissimumque ad calculos comminuendos, ac nephriticos ex iisdem dolores consopiendos, non defuerunt qui cum BREYNIO, et SEHENDIO eam variis Europeae locis experirentur. Tum vero qui Acmellae vel herbam, vel semina, vel folia ad periculum receperant, nunc forma pulveris, nunc infusus ex aqua, ex vino, aut ex alcohole aqueo parati cum tradidissent hanc stirpem, ac speciatim folia resolvere, urinam ciere, menstrua pellere, nephritidi calculosae mederi, ac calculos conterere, et solvere, ad tantas etiam vires in Italia periclitandas ANTONIUS FANTINUS Bononiae facile accessit visurus, utrum renum calculos so-

summodo diffringeret Acmella, an etiam grandiores vesicae lapides comminueret, vel saltem horum incrementum prohiberet. Res autem in binis aegris, quos lapis in vesica male habebat, ita cessit, ut FANTINUS statueret (*a*) calculosis Acmellam prodesse sin minus calculos dissolvendo, saltem impediendo, fibris renum, et ductuum adstrictoria virtute firmatis, quominus novi gignantur calculi, aut iam geniti, atque in vesica haerentes magis, magisque concrescant. Interea idem Auctor non diffitetur, sumpto remedio, dolores plerumque auctos fuisse quamquam, istis toleratis, minus dein incommoda Sumentium valetudo evaserit.

1669. Quare, etsi coniiciam eiusmodi molestiam ab evidenti remedii acrimonia profectam fuisse, ac largiar eam non aegre averti posse si ex BREYNII consilio (*b*) Acmellae instar Theae infusae glycyrrhizae radix, aut Altheae Syrupus adiiciatur, vel forma pulveris ea sumpta copiosus dein potus demulcens, atque emolliens hauriatur; vereor nihilominus ne maiori, quam decebat, fiducia tanta de hac stirpe memorati Viri praedicaverint. Quoties enim considero Materiae medicae Scriptores vel Acmellam silentio praeterire, vel hactenus prolata vix indicare, ac neminem inter Nuperiores reperio qui iam propositis experimentis alia adiunxerit; toties timeo ne ob

---

(*a*) Comm. Bonon. T. 1. p. 167. et seq.
(*b*) Diss. de Rad. Gin-sen et Acmella.

nimiam potius herbae acritudinem, aut in agengo inconstantiam, quam ob eiusdem raritatem, vel pretii magnitudinem ab ipsius usu iamdudum Clinici abstinuerint. Novis proinde periculis Acmellam subiiciendam existimo, ut eius vires certius innotescant, ut eius dosis, quam nonnulli, ubi paretur infusus, ab una drachma ad quatuor extendunt, tuto constituatur, atque ut, facta comparatione, declaretur num *Sigesbeckia orientalis*. *Coreopsis bidens*, *Spilanthus pseudacmella*, *Bidens tripartita*, aliaeve affines stirpes recte queant eidem substitui, quemadmodum LINNEUS (*a*), MURRAYUS (*b*), aliique animadvertunt.

1670. Ex Umbellatis, quae de seminibus *Dauci carotae* seu Dauci, sive sylvestris, sive sativi, (§. 858. 1522.) *Athamantae cretensis* seu Dauci cretici (§ 858. 1522.) ac *Pastinacae sativae* seu Pastinacae (§. 1523. et seq.) veluti lithontripticis remediis apud Veteres narrantur, non amplius solent admitti. Nunc potius e Sarmentaceis ducta *Cissampelos pareirae* seu Pareirae bravae radix (§. 1528.), quam iam ut diureticam spectavimus, multorum medicaminum loco, quae antiquitus probari consueverant, in calculosis affectibus non parvi a quibusdam aestimatur. Habetur enim ab iisdem non par quidem calculis, liquato eorum glutine, aut vinculo, quo coagmentantur, dissolven

(*a*) Mat. Med. pag. 191.
(*b*) App. Med. Vol. 1. pag.

uto conterendis, ut alias tradebatur, at iisdem minoribus exturbandis, consopiendis doloribus, aliisve malis renum et vesicae sanandis valde idonea: quod tamen cum BERGII experientia (§. 1528.) haud consentit. E Cymosis praeterea *Coffea arabica* adducitur quatenus e tostis seminibus infusus (§. 359. 360.) ab arenulis, atque ab exiguis calculis iter urinae liberare dicitur. Novi etiam, qui, ut hocce infusu pellerent validius sabulos, calculosque ob redditam copiosiorem urinam, eodem uterentur solito meraciori, ac sacchari loco cum succo limoniorum admixto, caute tunc vitatis omnibus, quae remedii actionem ad cutim, vel ad alvum eam dirigendo, in renes retardare, aut impedire potuissent. Sed hoc medendi genere calculosum neminem evidenter adiutum vidi, quemadmodum cognovi, captis saepe periculis, Coffeae valde saturum infusum cum pari succi limoniorum pondere sine saccharo admixtum febre intermittenti occupatis calide datum ieiuno stomacho, qua die vacant febre, ut eius virtute alvo soluta, ac largiter affusis sudoribus, lecti etiam tepore, et calenti potu promotis, illico convalescant, longe paucioribus prodesse, ac convenire, quam Vulgus existimet. Etsi enim idem remedium quosdam sanaverit, plerisque nullam opem praestasse observavi, ac nonnullis anxietate, aestu nimio, convulsionibus, ac perviglio illatis evidenter obfuisse.

1671. Ne vero e Campanaceis desumantur *Violae odoratae* semina, (§. 1540) quae in

fusa, aut in modum emulsionis extracta vere lithontriptica Medicorum quidam declaraverant, quia ab eorum usu calculi foras interdum prodierunt, observatio vetat, cum evicerit vix illud commodum raro allatura esse, quod ad arenulas, ac lapillos expellendos mediocria diuretica possunt adducere. Quare hactenus indicatis Stirpibus Bicornes longe maius calculosis subsidium attulisse iudicantur, cum folia *Arbutus uvae ursi* seu Uvae ursi suppeditent, quae, etsi proprie nequeant renum et vesicae calculos resolvere; tot tamen modis inde laborantibus subveniunt, ut eorum administratio iure creberrima sit: quemadmodum alio loco, e quo singulae eius vires, potioresque usus intelligi poterunt, (§. 745.) declaratum est. Asperifolias autem attingens iure dicam cum MURRAYO *Lithospermi officinalis* seu Lithospermi (§. 1542.) „ calculum urinarium „ frangere semen, veterem fabulam esse a DIO„ SCORIDE, PLINIO et RHAZE conceptam, et „ in stranguria efficere aliquid posse, quum „ ob nucleum emulsivae naturae sit (*a*).

1672. Rheades porro Stirpes cur in hoc, quod persequor, Capite remediorum commemorandae sint, ego quidem non video, nisi id fieri debeat, ut notetur quod neminem fugit ex *Papavero somnifero* ducta medicamina, maximeque Opium, lenimen afferre dolorum, molestiarumque, si recte usurpentur, quibus cal-

(*a*) Op. cit. Vol. II. pag. 99.

culosis excruciantur. Secus enim, ut cum quibusdam, aut cum LINNEO (a) *Chelidonium maius* (§. 1543.) tamquam calculosis utile proponam, nullam caussam invenio. Nec ullam reperio, ob quam e Siliquosis proferam *Sisymbrii sophiae* seu Sophiae Chirurgorum semen veluti nephriticis, et calculosis utile. Satis porro erit ex his meminisse *Raphani sativi* seu Raphani (§. 185.) cum succum e radice expressum ad aliquot uncias cum melle, tum ad dimidium cochleare cum optimo oleo olivarum quotidie datum in doloribus, et malis a calculo excitatis profuisse CHOMELIUS, atque HAENIUS tradiderint; *Brassicae rapae* seu Rapae (§. 185.) cum radicis succum, aut decoctum, aut varium ex eā cocta paratum edulium calculosis conveniens quidam censeant, dum alii ob inflationis metum non idoneum putant, ac potius cum Ill. TISSOTO eiusdem, aut saltem corticis decoctum pauxillo aceti remixtum suadent iis, qui pernionibus laborant ita adhibitum, ut in ipsum calidum tumida, doloreque vexata membra pluries die demittant (b); ac *Cochleariae armoraceae* (§. 867. et 1545.) cum ex eiusdem radice infusum, aut ipsius succum calculosae nephritidi avertendae, ac mitigandae parem interdum fuisse Medicorum testimonia non desint.

(a) Mat. med. pag. 134.
(b) Avis au Peuple p. 569.

1673. Varia autem circa Papilionaceas, quae huc referuntur, est opinio. Nam *Ononidis spinosae* radix summis laudibus celebrata in calculosis affectionibus meam expectationem, ut monui, (§. 1546.) hactenus elusit; tum virtus radicis *Glycyrrhizae glabrae* (§. 1269.) quae in calculosis affectibus prorsus singularis a quibusdam iudicatur, a plerisque rectius derivatur a demulcenti eius qualitate, quae, dum laxat, et stimulos retundit, iis qui nephitide, stranguria, affinibusque malis distinentur, commode succurrit. Una etiam non est de viribus ligni *Guilandinae moringae*, in Malabaria, Ceylano, atque in Aegypto crescentis arboris ad Lomentaceas pertinentis Medicorum sententia. Etenim hoc lignum Nephriticum vocatum in frusta advectum extus lutescens, intus fuscum, vix in scobem cum resolvitur odore lenissime aromaticum, ac sapore paullo amarum, atque acre, suas qualitates plus alcoholi, quam aquae concedens illud magnum sane nomen apud novae Hispaniae Medicos in omnibus calculorum passionibus, ac renum, et vesicae morbis ab aliquot drachmis ad unciam, aut sesquiunciam infusum olim obtinuit, quod apud nos usurpatum retinere non potuit. Hinc eius usus in Medicina hic loci rarissimus est, sicuti nullus iam esse solet Olei e nucleis expressi, quod Been, aut Balaninum nuncupatum vix odorum, et tarde rancescens alias in alvi obstructione, atque in ileo adhibitum, atque ad unguenta, et linimenta receptum, a Merca-

toribus expetitur, ut eius ope Olea volatilia, sinceraque Balsama corrumpant.

1674. Senticosarum vero nonnullae complurium adhuc Scriptorum opinione calculosis valde utiles vulgo iudicantur; quae mihi tamen dubiae admodum efficacitatis videntur. Siquidem nec rationi consonum, nec experientia evictum reperio in *Spireae filipendulae* seu Saxifragae rubrae tuberculis calculi dissolvendi, ac certo expellendi vim inesse. Vehementer autem dubito, num firmis fundamentis innixa sint, quae de *Fragariae vescae* (§. 190. 1556) baccis, seu de copioso Fragorum esu calculosis, arthriticis, et podagricis commodissimo plerique protulerunt, cum non paucos calculo laborantes, et podagrae obnoxios noverim utriusque mali incommodis, dirisque doloribus subinde corripi, diuque conflictari, etsi quovis anno duorum fere mensium spatio quotidie copiam non exiguam Fragorum bis, terve die ad morbi praecavendas accessiones commederent. Vereor item ne falsa prorsus sint, quae circa Cynosbatos, aut fructus *Rosae caninae* (§. 1556.) prolata sunt, non illa modo quae ad vim vere lithontripticam attinent, sed quae respiciunt praeservationem malorum ex calculo nascentium; quoniam duobus aegris medicinam olim feci cum foliis uvae ursi utilissime, qui iamdiu sine ullo emolumento Cynosbatos quotidie assumpserant.

1675. Utinam vero Pomaceas dum Materiae medicae Scriptores persequuntur certiora proferrent de facultatibus adversus calcu-

los tum fructuum ad *Pyri mali* multiplices varietates (§. 189.) pertinentium, tum fructus, et radicis *Pruni spinosae* seu Acaciae nostratis, atque aliorum etiam Clinicorum observationibus confirmata adducerent, quae de succi Pomorum ex LOBBIO (*a*), ac de acido *Citri medicae* ex eodem auctore, atque e STAEHLINIO (*b*) veluti calculum solvente remedio fidenter referunt! Tunc enim, eorum pretio in calculosis passionibus extra omnem dubitationem constituto, in iisdem sive admittendis, sive improbandis remediis Clinici generatim non ambigerent, tum speciatim qui tamquam certum, evictumque constituunt quosdam calculos alcalica, quosdam acida aggredi, comminuere, ac dissolvere.

1676. Interea e Gruinalibus mittens, utpote nobis inusitatam, herbam *Lini cathartici* amaram, et nauseosam, quam ad drachmam in pulvere, ad duas drachmas infusam in alvi obstructione, ac minori dosi in nephritide, calculo, atque hydrope LINNEUS nimium probavit (*c*), ne obliviscar e Tricoccis *Theae* sive *boheae*, sive *viridis* (§. 318. 358.) patitur commune Medicorum iudicum reputantium foliorum infusum frigide singulis diebus mane haustum a calculo praeservare, arenulas, sabulos, minoresque calculos pellere, maiorum incremento obsistere, ac nephriticos dolores aver-

(*a*) (*b*) De dissol. Calcul. Bas. 1742.
(c) Op. cit. pag. 91.; Item. Amoen Vol. 7.

tere. Ne item e Liliaceis praeteream *Allii*, sive *sativi*, sive *cepae*, sive *porri* radices occasio praecipit dicendi neque ex Veterum laudibus, neque ex LOBBII experimentis cum earum succo, infuso, ac decoctu extra humanum corpus institutis, earundem commodum in calculosis affectibus coniectari quidem, non evinci. Denique, omissis dubiis plane testimoniis circa lithontripticas Filicum pene omnium (§. 735. 1281.) facultates, ne omittam pariter e Graminibus attingere *Triticum hybernum* me admonet idem LOBBIUS, ut dicam praecipuam Lithontriptici laudem Decocto Panis eum detulisse.

1677. Praeter haec e Vegetabilibus quaedam alia inter se mixta, ac composita remedia calculi solvendi, medendique caussa proponere, ac fidentissime usurpare nonnulli consueverunt. Nempe, animadvertente apposite BURSERIO (*a*), quidam MEIBOMII Antinephriticum ex pari extracti Terebinthinae venetae, et Cascarillae quantitate ad grana sex cum Aqua Nympheae exhibitum, quidam HOFFMANNI remedia ex decoctu Acaciae ac roobe Iuniperi, et Cynosbati; nonnulli cum MARIANO pulverem ex una uncia florum Cardui stellati, ac dimidia seminum Apii sylvestris compositum, cuius duo scriptula bis die sumantur; atque alii cum GEOFFROYO ex di

(*a*) Instit. Clin. Vol. IV. pag. 347.

midio scriptulo radicis in pulverem tritae tum Butuae seu Pareirae bravae, tum Glycirrhizae cum balsamo Copaive confectum bolum mane, et vespere propinatum plurimi fecerant.

1678. In quibusdam praeterea remediis ex Animalium genere depromptis, quibus non uno medendi fine in morbis utimur, Lithontripticum nonnulli Medicorum quaesierunt. Perperam tamen ipsum vel inter Mammalia in lapide, seu osse petroso *Trichechi manati* (§. 921.), vel inter Aves in testis ovorum nondum calcinatis, sive *Struthionis cameli* seu Struthionis, sive *Phasiani galli* foeminae, aut gallinae, vel inter Pisces in lapidibus *Cyprini carponis* seu Carponis ossiculo triangulari ad caput pertinente, ac duobus calculis super oculos positis, quaesitum olim fuisse nemo est qui non videat. Frustra quoque SCHULTIUM, aliosque in calculo magnopere probasse usum Olei animalis Dippellii, de quo alibi satis dixi, (§. 940.) quisque dabit animadvertens cum CARRERIO nihil esse quod eiusdem vim evincat (a). Inutiliter demum inter Insecta (si mittimus commodum, quod vel Cantharides (§. 1648 et seq.) cautissime tentatae diuretica vi arenulas, sabulos, minoresque calculos propellendo, vel Cancrorum chelae in calcem redactae absorbens, aliterve agens remedium suppeditando interdum afferre potuerunt) Lithontripticum quosdam Cli-

(a) Op. cit. pag. 252.

nicos alias quaesivisse quisque nostra aetate fatebitur.

1679. Oportet nimirum in hac, qua versamur, Medicinae luce, ut ignobilis, aut credulus etiam Artifex fateatur, merito me iam dixisse (§. 1652.) dubia videri, quae de *Cicadae* variis speciebus in nephralgia, et calculo usurpatis apud quosdam Scriptores occurrunt; tum falsa esse, quae de singularibus facultatibus adversus urinas retentas, doloresque nephriticos ex calculo Olei *Scorpionis europaei* infusione parati lumbis, et pubi illiniti in libris leguntur. Nam, praeterquamquod ullum Oleum exterius tanta efficere verisimile non est, Oleo Scorpionum nullam propriam vim, seu a communibus expressi cuiusque olei proprietatibus satis distinctam (§. 679.) competere, qua sive aliis morbis, sive vulneribus Scorpionis ictu inflictis praesentissime medeatur, neque ii hodie tribuunt, qui mala insecto compunctis interdum supervenientia a venenato eius succo intra vulnus effuso excitari acriter contra MAUPERTUIUM, aliosque defendunt, quibus diversa sententia magis arridet. Hi namque concedentes Scorpionem in Affrica (nempe *Scorpionem maurum*) vulnere inflicto acerrimum, ac saepe lethale virus immittere, nostratem eodem carere cum PLINIO credunt, ac graviora incommoda, quibus insecto laesi quandoque corripiuntur a variis caussis cum MORGAGNO derivant, qui ea potissimum a crassiusculo nervo ab aculeo triangularis instar pyramidis tres facies habente

forte sauciato, vel a timore imaginationem turbante deduxit (a).

1680. Reliqua vero calculorum remedia ex Insectis petita quod respicit, nequit diffiteri e *Formica rufa*, atque ex *Onisco asello* illud auxilium quosdam pollicitos aegris fuisse, quod observatio nondum comprobavit. Nam Spiritum formicarum ex alcohole, et maioribus formicis cum acervo paratum, qui sua stimulandi potentia excitans, resolvens, et diureticus a medio scriptulo ad unum interius datus, exteriusve adhibitus iudicatus est, num revera valde proficuus, nec unquam nocuus extiterit non minus in morbis, in quibus nervorum sensus, aut carnium irritabilitas torpescit, quam in renum, et vesicae affectibus a serosa colluvie, arenulis, calculisve illatis observationes, quae certo evincant, nobis hactenus desunt. Quamobrem hicce Spiritus, ac Oleum formicarum, quod vel infusum, vel expressum vel distillatum membris paralysi, arthritide, aut rheumatismo contumaciori occupatis illiniri consueverat, ipsaque formiceta, quae in iisdem casibus sacculis inclusa infirmis partibus admoveri, vel balneis stimulantibus admisceri solebant, usu apud nos exoleverunt. Evidenter autem, multumque prodesse non posse Millepedas quoquo modo, aut fine calculosis exhibeantur, ex iis satis declaratur, quae de earum facultatibus alibi (§. 1654.) tradita sunt.

(a) De Sed. et Causs. Morbor. Epist. 59. art. 23. et 24.

1681. Quamobrem ne ob istas, vel parum utiles, vel inanes medendi rationes ancipiti, aut falsa, sive salutis, sive levaminis spe calculo obnoxiis ulterius detinerentur, in novis inveniendis auxiliis, atque ex alio rerum genere eruendis studium Medicorum hoc praesertim seculo enituit. Quod quidem tunc maxime invaluit cum arcanum lithontripticum. I. STEPHENS remedium in Britannia magnum nomen sibi conciliasset, ac revelatum deinde fuisset. Nam alii investigantes cuinam ex rebus medicamentum componentibus tribuenda esset virtus calculum dissolvens, alii eius vim cum variis remediis comparantes, alii denique lithontriptico eiusmodi inefficaci, et noxio declarato, dissimilis indolis praesidia proponentes, eo singuli suos labores deduxerunt, ut varia ad calculorum curationem vel iamdiu neglecta, vel nondum usurpata, tamquam lithontriptica Medicis commonstrarent. Hinc aggrediendos, solvendosque calculos esse Saponibus, Salibus alcalicis, acidis, aut neutris, aliisque rebus voluerunt, quas modo subiungam.

1682. Porro cum innotuisset STEPHENSIANUM Lithontripticum ex quatuor remediorum formulis speciatim, et fuse a BAUMEO expositis (*a*) nempe pulvere absorbente, ptisasana, bolis, et pilulis emergens, non aliunde quam a Sapone, et testis Ovorum, et Cochleis, aut Ostreis recens calcinatis vim acci-

---

(*a*) Eléments de Pharmacie p. 856., et seq.

pere posse, visum est quibusdam Clinicis calculi dissolvendi facultatem ita in Sapone constituendam, ut eadem vel in Lixivio Saponariorum, vel in ipso saltem Sapone albo omnis poneretur. Fidenter proinde quidam Medicorum ad calculos dissolvendos *Soda fluida* seu Lixivio caustico alcali mineralis, vel *Potassa fluida* seu Lixivio caustico alcali vegetabilis, alterutro ad Saponem communem, aut alcalinum parandum usurpari solito, usi sunt. Sed cum eo dato a paucis granis ad scriptulum unum, vel alterum in magna licet aquae copia soluto, ac superhaustis dein iusculis, emollientibusque decoctis mitigato, brevi cognovissent stomachum ardoris sensu corripi, corpus exagitari, atque aestu affici, et nimium renes, ac vesicam irritari, neque interea calculum vere solvi, eiusque molestias averti, tutius esse iudicarunt acri, et caustico remedio omisso, omnem fiduciam in Sapone collocare.

1683. Saponem autem, cuius alibi saepe memini, cum dico, atque ad eius tum lithontripticas, tum alias plures facultates expendendas accedo, quaedam MURRAY verbis praemonenda generatim esse existimo. „Haec Saponis vox, inquit, (*a*) iamiam in quamvis „miscelam extenditur, quae ex alcali, vel acido et pinguedine quadam conflatur. Aqua „sapo non perfecte solvitur, sed lactescit

(*a*) Op. cit. Vol. IV. art. Salsol. sat.

» haec et turbida evadit, Spiritu vini autem
» fere perfecte subigitur, et dilui hic tum po-
» test multa aqua sine aspectu turbido. Cum
» menstruo suo sub agitatione spumescit, et
» alia pinguia aquae miscibilia reddit. Acido
» sapo aqua solutus decomponitur. Numerosis-
» simae iam eius inventae sunt species, quum
» antiquissimo tempore modo notus esset Sapo
» ex sevo et cineribus (*a*). Alcali enim vel
» mineralis, vel vegetabilis originis est, fixum
» vel volatile; acidum pariter varium. Pin-
» guedo vel animalis est, ut sebum, pinguedo
» balaenarum, phocarum, medulla ossium,
» spermaceti, cera, nisi hanc ad vegetabiles
» proventus referas; vel vegetabilis, quorsum
» olea aetherea et unguinosa, ut oleum Oli-
» varum, Amygdalarum, Cacao, Cannabis,
» Raparum, Napi, Lini, Nucum pertinent.
» Certe combinatione cuiusdam salinae cum
» pinguedinosa materie ex alterutra harum clas-
» sium, secundum exempla dicta, verum Sa-
» ponem arte produci posse constitit. Serius
» cognitum est connubio acidi cum oleo sa-
» ponem enasci. Subdit quoque idem Auctor
» Sapones effingi ex resinis variis, cera, bal-
» samo Peruviano, qui tamen hactenus in se-
» rium usum non tracti sunt, et huc quoque
» quodammodo hepar sulphuris pertinet. Lar-
» giori significatu et sapones audiunt miscelae
» quaedam alcohol vini comprehendentes, lo-

(*a*) Plin. Lib. 28. cap. 12.

» co alius pinguedinis, ut tincturae Tartari,
» Antimonii, Spiritus acido-dulces.

1684. Tot proinde dissimilibus modis cum parari potuerit Sapo, atque experientia Medicis paullatim monstraverit eum generatim tenuare, coalita quaelibet resolvere, discutere, abstergere, stimulare, acorem corrigere, bilis potentiam acuere, aut deficientem supplere, alvum laxare, aut urinas elicere, variae eiusdem Saponis species ad medendum invectae sunt, et cuiusque usus ab aliquot morbis ad complures prolatus est. Ad eas nimirum pertinent quicumque Sapones sodae, ut Sapo albus hispanicus seu Alonensis, vel Alicantinus, qui ex Oleo olivarum et Alcali minerali caustico paratus, atque ob rancorem nondum fuscus usitatissimus alibi est; ut Sapo venetus, qui simili licet modo confectus, atque hic loci valde usitatus, ob admix tum tamen oxydum ferri internis Medicinae usibus minus idoneus censetur; ut Sapo tum Amygdalinus, tum Medicatus, aut ex Butyro Cacao, quorum alteruter ubi e purissima soda, optimoquè oleo, sive Amygdalarum, sive Cacao emerserit, prae reliquis affinibus Saponibus aequiori iure a Clinicis interius exhibetur. Ad Sapones etiam, quibus interdum utitur Medicina, referuntur quoque Sapo Antimonii, qui ex *soda*, et *oxydo Stibii sulphurato auriantiaco* cum oleo amygdalino emergit, Sapo Antimonii cum Ialapa, qui differt ex eo quod olei loco resina Ialapae suscepta fuerit, Sapo tar-

tareus, aut STARCKEY, qui e lapide caustico atque oleo volatili terebinthinae natus ad pauca grana olim perperam ad narcotica, et validiora cathartica corrigenda adhibitus, iterum ex SPIELMANNI sententia (*a*) resolvendi, aperiendique caussa caute periclitandus quibusdam videtur. Denique medicatas Saponis species augent, praeter Saponem ammoniacalem, qui ex una uncia Spiritus salis ammoniaci caustici, et tribus olei Olivarum Linimentum volatile constituit, ac praeter Offam albam Helmontii, quam neque exterius nos usurpamus, aliosque Sapones, quos sive Ars invenit, sive Natura suppeditat, Sapo acidus, cuius iam memini (§. 1641.), ac Sapo prussicus, nempe e *prussiate potassae*, olim alkali phlogisticato, atque oleo dulci expresso, albi saponis methodo paratus, qui huius proprietatis habens, *oxydum ferri* solutum intense coeruleo colore inficiens, palato non ingratus, non acer, roborandi vim a ferro, quod *Prussias potassae* vehit, accipere dicitur, atque a Cl. SCHRAUDIO novissime in scrophularum curatione utiliter adhibitus iam meretur, ut a Medicis ulterius in eo morbo, atque in aliis affectibus experiatur.

1685. Usum vero generatim Saponis alcalici quod respicit ab uno morbo, ut dixi, sensim ad multos alios fuisse deductum, cuique patebit animadvertenti genera passionum,

(*a*) Pharmac. gener. Par. II. p. 293.

in quibus eiusdem remedii, (quod forte exterius tantum Veteres usurpaverant), intrinsecus dati administratio invaluit, postquam ei vim in ictero plane eximiam quidam tribuissent. Tum sane Saponis usus in tot morbis cepit, ut plerique lenti, et chronici affectus eum admiserint, imo veluti idoneum, praestantissimumque ex plurium Clinicorum sententia adhuc admittant. Etenim nunc etiam saepe instituitur, modo per se, modo cum tenuantibus, resolventibus, roborantibus, aut alvum lenientibus remediis, in variis icteri speciebus, in morbis a muci, vel adipis nimia copia, aut densitate profectis, in hepatis, lienis, et mesenterii, glandularumque obstructionibus, in coagulis ex lacte, vel intra primas vias concreto, vel ad alia loca delato, tum dissolvendis, tum arcendis, in arthritide, rheumatismo, podagra, rachitide, atque artuum tumoribus, in frequenti alvi adstrictione, morantibusque urinis, in veneno ex Acidis, aut ex Mercurio sublimato corrosivo assumpto, atque in renum et vesicae affectibus, maximeque harum partium calculosis concretionibus. Quibus si addimus quae ad externam eiusdem Saponis administrationem attinent, cum nempe evidenti plerumque utilitate resolvendi, discutiendi, et laxandi caussa malagmate, aut cataplasmate exceptus, vel lacte solutus, vel oleis, aut mucilaginibus admixtus imponitur, ut in tumoribus, congestionibus, induratis mammarum aut colli glandulis, et membris podagra, rheumatismo, atque oedemate detentis fieri solet, tum in al-

vum

vum cum lotione infunditur, vel in modum glandis, aut suppositorii (§. 1481.) recto intestino inseritur, tum denique balneis additur; amplissimus eiusdem Saponis in Medicina usus cuique non poterit non videri.

1686. Virtus interea lithontriptica, quae huius praesertim loci est, maius Saponi nomen conciliavit. Fuit enim, vix declarata STEPHENSIANI lithontriptici compositione, quorundam opinio Saponem hispanicum non solum renum, aut vesicae calculum dissolvere cum calce unitum; verum etiam per se a duabus drachmis ad quatuor, sex, imo, ubi alvum non solveret, ultra partite quavis die sumptum, diuque continuatum duri etiam, maiorisque lapidis solutionem praestare. Atque id quidem experimentis extra corpus susceptis, atque in aegris institutis declaratum credebatur. Sed utroque periclitationis genere rectius usi Nuperiores docuerunt Sapone calculum non solvi, atque ideo tantum Calculosis prodesse, quia Calci additum quaedam huius incommoda praecavet, quia, glutine resoluto, calculi incrementum prohibet, quia alvum apertam servat, aut urinas mediocriter citat, minorumque proinde calculorum expulsioni favet, quia novam horum generationem impedit, asperitatesque fere adhuc fragiles tollit, quia demum vel hoc modo, vel, ut CULLENIO, aliisque videtur, acidi primarum viarum correctione, Calculosis perutili, mala, quae lapis renum, aut vesicae movet, efficaciter compescit.

1687. Verum ut in hac quidem re CULLENIO credere facile est, ita e contrario tutum non videtur ei assentiri, cum reliquas paullo ante propositas Saponis vires, atque effectus partim in dubium vocat, partim denegat. Nam neque ratio communi Medicorum sententiae repugnat, quae Saponis vim non minus stimulantem, quam resolventem ad sanguinem ipsum pervenire, atque ad quaslibet partes traduci constituit, neque experientia ipsius remedii in ictero, atque in viscerum, glandularumque obstructionibus discutiendis efficacitati adversatur. Ex utraque enim solummodo potest recte deduci Saponem veros, durosque calculos felleos dissolvere non posse, bilis vero concrescentis coagula dividere, aliasve icteri caussas superare interdum posse, atque etiam antiquas, maiores, ac scirrhi duritiem, et naturam adeptas obstructiones non discutere, at incipientes, molles, nec magnas reserare. Potest similiter solum deduci concretiones in primis viis e lacte coacto duras admodum non attingere; sed eas interim nondum firmas dissipare; atque ob noxium acorem, quem sive per se datus, sive lacte additus emendat, vel arcet, opportune sublatum, aut prohibitum, quibusdam infantium, vel lactea diaeta utentium incommodis mederi, aut prospicere; nec proprie diureticum, ac purgans remedium esse, ac nihilominus alterutro fine quandoque expedire. Potest praeterea tantummodo concludi commoda, quae eius usus affert ab acidi correctione, a bilis deficientis,

inertisve, atque a stimulo intestinis illato, qui ciborum coctionem iuverit, atque alvum dein opportune subduxerit, saepius proficisci, quam a primaria, aut unica eiusdem Saponis in caeteras penitiores partes actione ad primas vias derivata; tum parum, aut nihil generatim proficere, nisi quaedam regulae in eius administratione serventur.

1688. Hae autem circa remedii quantitatem, formam, idoneam cum aliis rebus coniunctionem, aptum varii Saponis delectum, atque exceptiones ab aegrorum, morborumque differentiis allatas versantur. Nimirum statuitur quamque Saponis speciem initio pauca semper copia dandam esse, ne secus stomachi, aliarumve partium molestias validius irritando suscitet. Hinc prudentiores quidam solent Saponem Hispanicum, aut Venetum, aut Amygdalinum prima vice ad pauca grana, dein altera vix ad scriptulum, aut tertia vix ad dimidiam drachmam praescribere, nec prius partite eius aliquot drachmas quotidie praebere, quam innoxie aegro cedere cognoverint. Quae quidem ratio ab ipsis diligentius sequitur, cum Saponem vel Antimonialem, vel Antimonialem cum resina Ialapae, vel Antimonii cum gummi Ammoniaco, vel cum aliis gummi resinis, validius incidendi, resolvendi, ac stimulandi caussa, in gravioribus, contumacioribusque affectibus aegris suadent. Horum quippe Saponum dosim a duobus generatim granis ad sex limitant. Sed priores etiam ma-

gis usitatos Sapones cum adhibent, eos simul et semel ideo largiter non propinant, quia nolunt ad alvum propere deduci, quin spatium lactea vascula subeundi, ac corporis vias resolvendo, atque incitando utiliter pervadendi ipsis relinquatur. Qua sane de caussa, cum apta in exiguas partes medicamenti divisio probetur, Pilulae saponaceae commodissimae censentur, ac saepe, sive simplices, sive compositae sint, in usum veniunt.

1689. Nempe cum Saponi aliud, atque aliud pro re nata remedium addere plerumque conveniat, ut plenius, ac promptius auxilium aegris impertiatur, tum variis Pilularum massis, quae in Officinis prostant, Sapo communis admiscetur, tum illarum omnium basim constituit, quae ab Auctoribus Saponaceae generatim vocantur, etsi Rhabarbarum, Ialapam, Gummi ammoniacum, Cicutae extractum, Amaros plantarum succos, Fel tauri, aliquid Mercurii, aliaque medicamenta secum recipiant. Quorum profecto additamento Saponis virtus apposite acuitur, quae sine eo nimium lenta, aut non satis efficax interdum esset. Quo quidem fine exterius etiam cum adhibetur, Sales, Spiritus, Olea volatilia, Camphoram, Opium, aliaque assumit; quemadmodum accidit in Spiritu Saponis, in Unguento Saponaceo, in Linimento camphorato, in Balsamo Saponaceo, atque in Balsamo Saponis anodyno, ne reliqua e Sapone Composita attingam istis adhuc nobis magis inusitata qui et

haec raro adhibemus, et Saponis oleo empyreumatico, atque acri, veluti supervacaneo, non utimur.

1690. Ne caeterum Sapo expectationem eludat, neve noxius etiam evadat, oportet in eius usu vitare omnia, quae cum ipsum in stomacho haerentem offendunt, acido suo, aut quovis alio affinitatis principio resolvunt; in eius usu diu persistere, mutata quidem subinde dosi, aut forma, ut eius beneficium certius sentiat corporis natura; nec eum, cum anceps, aut nocuus futurus videatur, unquam exhibere, imo tum prorsus omittere, aut Alcalico Saponem acidum, aut alium quemcumque opportune substituere. Scire quippe expedit, Saponem generatim dandum non esse quando stomachus ardore laborat, humores ad inflammationem vergunt, aut solutione peccant, pulmonum debilitas, et corporis macies praesto sunt, aut morbi imi ventris a putredine ortum ducunt, aut eadem foventur, scirrhus adest, ac cancrum minitatur. Tum enim nisi *Saponi acido* locus sit, qui antisepticus minoribus exceptionibus patet, alcalicos quosque Sapones nocere Clinici tradunt.

1691. Sed a Saponis facultatibus, usibusque progrediatur tandem sermo ad pretium in calculi curatione constituendum reliquarum rerum, quae eo dissolvendo pares habitae sunt, ac primum Aquae calcis (§. 1013.). Haec ideo caeteris virtute antistare visa est, quia a testis Ovorum, ac Cochleis calcinatiis praecipuam, aut forte omnem vim proficisci

ii Clinicorum brevi iudicarunt, quam Pilulis Saponaceis Stephensianis, similibusque contra calculum laudatissimis remediis vere lithontripticam ipsi concesserant. Cum enim horum plerique, vix inventa eiusmodi calculi medendi ratione, et tuto cognoverint, et palam professi sint, illud omne beneficium, quod acido primarum viarum absorbendo, atque immutando, vesicae calculo comminuendo, atque alias quascumque salutares in morbis mutationes praestando adducere possunt, aut reapse attulerunt Calces ex Animalibus comparatae, *Carbonas Magnesiae* seu Magnesia alba, aut Muriae, *Magnesia pura* seu Magnesia usta, aut calcinata (§. 1014), aliaque istis similia, illud, inquam, omne commodum, aut maius etiam (§. 1013.), Aquam calcis polliceri, atque afferre, hanc unam Calculosis aut per se, aut aliis idoneis rebus adiutam adhibendam duxerunt.

1692. Quare tum, nempe circa medium, quod excurrit, saeculum, iterum cepit, ac maxime invaluit internus Aquae calcis usus, qui non satis comperta caussa exoleverat. Etenim multo ante eiusmodi Aqua Calculosis remedium praestitit, quam tradi soleat ab iis, qui existimant tum temporis primo ad medendum intus propinatam fuisse. Facile siquidem est e BARTHOLINO (*a*) contrarium evincere, etsi fatendum sit internum eiusdem usum An-

---

(*a*) Epistol. Med. Cent. IV. Ep. 76.

tiquiores non tentasse, atque HIPPOCRATEM ipsius exterius tantum in vitiliginis, ac leprae curatione adhibitae meminisse. Postquam autem non minus innocue, quam utilissime Aquam calcis in calculorum valetudine intrinsecus assumi ab HALESIO, ALSTONO, WHYTTIO, aliisque praestantissimis Angliae Medicis prolatum fuisset, ubique locorum in aegris calculo laborantibus pericula cum ea acta sunt; ita tamen, ut non ubique Aqua pari efficacitatis gradu donata experiretur. Quidam enim illam probarunt, maioris, ac certioris effectus caussa, quae ex Calce primum extincta emergit; alii vero metuentes huius acritudinem, nimiamve actionem admiserunt alteram, quae nova aqua affusa super Calcem ex priori extinctione residuam, aut praecipitem datam consequitur; imo nonnulli, ut cautius adhuc se gererent, eam solummodo propinarunt, quae ex eadem Calce tertio extincta longe mitior, ac plane innoxia prodiisset.

1693. Quem quidem dissimilem Aquae calcis parandae modum indicasse non erit alienum, quoniam video non paucos Clinicorum superesse, qui et secundae, et tertiae, ut dicunt, extinctionis Aquam retinendam volunt, atque aegris, quos nutriunt, passim praecipiunt. Reliquis enim, maximeque nuperrimis Medicinae Scriptoribus satius esse videtur, ut innoxie, ut efficaciter, ut prompte Aqua calcis agat, si usurpetur ea proportione, ac methodo parata, ob quam ex libra Calcis vivae recens ustae decem libras Aquae fontanae gra-

datim affundendo, postquam calx subsederit, liquor superest limpidus, qui, inclinato vase, in aliud sensim transmissus, ac percolatus in vitrea lagena probe occlusus servatur. Haec siquidem Aqua medentibus sufficere videtur, quia et dilui, ubi oporteat, facile potest, et per se propinari sine ulla lactis, mucilaginis, aut syrupi admixtione ad paucas uncias quavis vice, imo unciatim assuetis exhiberi singulis vicibus, atque ad aliquot libras hoc modo intra diem insumi potest, quin ea vix quadam praedita amaritie, atque acritudine stomachum laedat, nimium irritet, calefaciat, aliasque noxas inferat.

1694. Pertinet porro adhuc Calcis Aqua ad ea auxilia, quae a Medicis crebrius solent in calculorum valetudine periclitari, quamvis nemo forte sit, qui eos sua virtute dissolvere hodie existimet, aut pervicaciter saltem defendat; quemadmodum superioribus annis non unus, ac non ignobilis Artifex contendebat. Siquidem quae experimenta suscepta deinde fuerunt, cum iam nimius ardor, quo huius remedii pretium tantopere efferebatur, deferbuisset, perspicue demonstrarunt largiter, et diu, nimirum aliquot etiam mensium spatio, Calcis Aquam assumptam firmiter concretum calculum non dissolvere, atque idoneo etiam instrumento in vesicam subinde, cauteque iniectam gravi non carere periculo atque ipsum pariter lapidem non conterere. Nec plus sane eadem Aqua, sive coniuncta ALSTONII consilio cum Alcali fixo, sive WHITTII metho-

cto Sapone adiuta ad calculum dissolvendum valere visa est. Sed quae experientia huic calculi medendi rationi veram lithontripticam facultatem ademit, eam tamen eidem reliquit, quae Calculosis non mediocre auxilium saepe afferat. Nam cum calculorum e renibus descensum ad vesicam promovere, eorum incremento obsistere, lapillorum, arenularumque exitum e vesica praestare, calculi generationem impedire, ac dolores generatim compescere, atque eos, aliaque mala, quae lithiasis movet, diu avertere, ac vitam aegrorum protrahere diutinus, recteque institutus Aquae calcis usus non raro potuerit; mihi sane videtur hoc calculi medendi genus immerito Nuperiores quosdam tamquam vanum, atque alienum prorsus contemnere, quod contra insignes Proceres Artis SWIETENIUS, HAENIUS, aliique innoxium, ac valde proficuum repererunt.

1695. Consonum potius est veritati in reliquis eiusdem Aquae viribus, usibusque aestimandis affirmare ad caeteros renum, aut vesicae morbos, pene indiscriminatim eius administrationem a quibusdam male extendi. Nam, si istarum partium fractam vim ex nimia laxitate, ac fibrarum inertia, aut ulcus cum nullo ardore, aut metu inflammationis coniunctum excipiatur, in aliis earum affectibus, in quibus Aqua calcis vel sola, vel cum lacte, interdum adhibetur, nisi noceat, saltem non prodest. In pectoris etiam passionibus sive leniendis, sive radicitus curandis nimium pariter Aquae calcis a nonnullis tribuitur.

Quamquam enim ea in chronicis quibusque pulmonum morbis perpetuo inefficax, ac nocua cum VITETO non habeatur; probanda tamen prudentioribus Clinicis solummodo videtur in iis congestionibus, ulceribusque, in quibus licet stimulo uti, atque abstersa loca exsiccare, et paullatim adstringere. In nutritionis autem defectu, qui ab acore stomachi, intestinorumque non pendeat, eiusdem Aquae usum tanti habendum esse, ut in atrophia, qualibet tabe, ac phthisi crebro debeat institui, nemo tam facile dabit, qui stimulantem eius indolem consideret, aut actionem in renes, et vesicam reputet, qua saepe ciet urinas, atque interdum eo impetu, qui nutrimentum ipsum non aegre subtrahat, aut cum HUXAMIO animadvertat in morbis nullam adhuc maciem praeseferentibus ipsam Aquam calcis diu adhibitam, tabem, aut phthisim non raro intulisse.

1696. Id quidem averti, ac simul prohiberi, ne in pulmonum, intestinorum, aliorumve viscerum ulcere, caeterisque morbis Calcis aqua ullo modo sumentibus officiat, provida eius cum lacte admixtione plerique nos monent. Sed aliter quibusdam Auctoribus, ac speciatim RUTTYO visum est, qui eiusmodi methodum reprobandam censuit, quia in MACBROIDII experimentis apparuit Aquae calcis lac adiunctum praecipitem Calcem dare ob gasticum elementum, quod e lacte ipsa Calx abripit. Hinc, ne eiusdem Aquae tollatur integritas, neve imminuatur efficacitas, idem

RUTTYUS aegris praecipit, ut quo tempore eam interius usurpant a fructibus horraeis, a saccharo brunneo, similibusque abstineant, nec alimentis utantur, quae, copiosum aerem dum evolvunt, Calcem ex aqua praecipitant. Quapropter, ubi haec plus, quam deceat, calefacit, alvum exsiccat, aut corporis maciem minitatur, quidam arbitrantur eam parva quantitate rectius propinari, quam succis Vegetabilium recens expressis, mucilaginibus, syrupis, aliisve contemperatam; quemadmodum nonnulli cum BOERHAAVIO consueverant.

1697. Ob non dissimilem quoque caussam, atque ob immutatas eiusdem Aquae calcis proprietates censent alii Nuperiores Aquam calcis compositam Londinensium, seu Aquam benedictam compositam Bateanam minoris faciendam esse, quam alias traderetur, sive Aqua calcis minus composita sit, ut vocatur, quae Cortices Glycyrrhizae, et Sassafras tantum habet, sive Aqua calcis magis composita, ut illa audit quae, praeter utrumque corticem, lignum Guaiaci, et semina Coriandri etiam recepit. Solent nihilominus plerique Chirurgorum saepius eam exterius adhibere Oleo, Adipi, Melli, Saponi, Cortici peruviano, aliisve rebus admixtam, ut ulcera abstergant, exsiccent, ac corrigant, ut manantes ichores, scabiem, et tineam sanent, aliosque effectus consequantur, quos praeterea non mediocris eius antiseptica virtus, quam suo loco proposui (§. 1028),

pollicetur, atque extrinsecus praesertim adhibita utilissime exerit.

1698. Vix igitur, quo ad modum Calcis Aquae adhibendae, inter se Clinici conveniunt, quando ad noxium stomachi, intestinorumque acorem praecavendum, corrigendumve, atque ad inde natam quamcumque aegritudinem sanandam eius usum, qui, ut iam monui (1014) magnopere praestat, commodissime instituunt. Tum nimirum Aquam calcis nullo admixtam remedio usurpant. Nec dissimili ratione se gerunt qui eam in chronico rheumatismo, in arthriticis diuturnioribus affectibus, atque in podagra valde proficuam cum ALSTHONO habentes interdum aegris praescribunt, quia existimant integritatem eius omnino requiri, ut instar similium absorbentium queat huiusmodi morbis auxiliari, quorum incommoda, sicuti Clinici observant, quodvis acido contrarium saepe compescit, atque interdum discutit. Puram quoque eam adhibent, qui eius viribus in albo mulierum fluore, atque in blennorrhoea non parum tribuunt. Num vero contra vermes intestinorum, ac contra diabetem sola, an aliis addita remediis expediat, non facile dixerim, cum anthelmintica eius potentia non satis evicta, tum in compescendo, aut tollendo diabete anceps eius usus mihi hactenus videatur.

1699. Caeterum ex iis, quae hucusque disserens de Aqua calcis, de Sapone, ac de Saponariorum Lixivio circa eorum lithontripticam facultatem, quae huius loci est, specia-

tim monui, apprime declaratur, frustra ex eorundem usu calculi solutionem Medicos pollicitos alias fuisse, quemadmodum perperam quidam sive olim, sive nuper a purioribus, validioribusque *Alcalinis causticis* expectandam esse voluerunt. Nam haec quoque, quae cautissime etiam exhibita, prudenterque mitigata admodum periculosa sunt, intus recepta ad calculum dissolvendum non valent. Quod quidem iudicium rationi, atque experientiae consentaneum, ac Sapientium Clinicorum auctoritate firmatum cum de istis remediis profero, longe abusum, ut in eorum sententiam concedam, qui *Alcalinis* vim omnem lithontripticam negantes, atque iure nobiscum censentes eam Nitro, aliisve *Neutris salibus* immerito a non nullis fuisse relatam, a vario *Acidorum* genere idoneum calculo dissolvendo remedium petendum esse duxerunt.

1700. Nempe nego internum Acidorum usum ad firmiter concretos calculos dissolvendos satis posse. Nam, ut mittam *Acidis vegetabilibus* eos non solvi, *Acidi citrici* alias laudatissimi exemplo (§. 1675.), ac quosdam etiam e corpore eductos *Acidis mineralibus* affusis resistere, qui profecto istis obtemperant, tam pura, ac valida acida ad solutionem requirunt, quae ob causticam indolem intrinsecus usurpari non possint. Saepe enim animadversum est dilutum, aut quovis modo contemperatum *Acidum*, vel *sulphuricum*, vel *nitricum*, vel *muriaticum* in dissolvendis calculis spem perpetuo fefelisse. Siquidem in

calculorum valetudine opportune tentatum, et largiter, diuque adhibitum *Acidum sulphuricum dilutum* seu Spiritus vitrioli vix illud commodum attulit, quod aegris poterat ex diuretica potissimum eius facultate polliceri. Nec Acidum ipsum, ut copiosius posset sine ullo stomachi dolore, aliave noxa assumi, syrupo idoneo, aut gummi admixtum plus boni praestitit; imo tum urinas minus ciendo, minus quoque proficuum visum est, ideo forte „ quod Acida, ut Ill. QUARINIUS inquit, „ inviscantibus obruta vim salutiferam amittere videntur ". Cum autem a quibusdam experiretur in Calculosis *Alcohol sulphuricum aromaticum* seu Elixir vitrioli correctum Mynsichti, aut Elixirium Vitrioli Anglicanum utpote, stomacho confirmato, et pituitoso, ac tenaci humore resoluto, maioris efficacitatis remedium, obvium fuit cognoscere, in calculorum aegritudine ob sui stimulum magis adhuc alienum esse, quam in morbis pulmonum appareat, in quibus sane hic loci vix interdum, nec unquam insigniter profuit.

1701. Atque huius quidem Aromaticae acidae tincturae iuvabit meminisse, ut e vestigio rationem reddam, ob quam Expectorantia persequens, eam omiserim, quae aegre spirantibus, pectore suppuratis, et phthisicis utilissima dicitur. Eiusdem itaque eo loco non memini, quia in phthisi nunquam illam omnium symptomatum emendationem, atque inprimis sputorum, et tussis afferre observavi,

quam HAENIUS promittit, etiam ubi morbus originem ducebat ab inflammationis, aut suppurationis materie e sanguine in integros pulmones transudante. Vidi praeterea hoc medicamentum, quod a paucis guttis ad plures paullatim quotidie sumptum, et diutissime datum nullum unquam incommodum aegris intulisse traditur, etiam multa solutum aqua, ac melle edulcatum sanguineis, sensilioribus, febre occupatis, et tussientibus generatim, irrequie, et calore auctis, ac tussi exasperata, manifeste officere, neque in stomachi, intestinorum, aliarumve partium affectibus ex muci copia, et densitate illud emolumentum afferre, quod tum in iisdem a laxitate, primarum viarum sordibus, inflationibusque profectis, tum in nocturnis sudoribus vires absumentibus, atque in putridis morbis, motus fibrarum incitando, ac corruptioni obsistendo, valde opportunum, ac magnum saepissime adducit.

1702. Verum ad Acidorum usum in calculorum aegritudine ut redeam, ingenue fatear me adhuc latere quid verae, ac propriae utilitatis a diuretica vi non derivatae *Alcohol nitricum*, vel *Spiritus aetheris nitrici* seu Spiritus Nitri dulcis in eadem unquam attulerit. Contra vero me neutiquam fugit, eos, qui vel *Acidum muriaticum dilutum* seu Spiritum salis acidum ea ratione paratum, qua interne usui queat inservire, vel *Alcohol muriaticum*, aut *Spiritum aetheris muriatici* seu Spiritum salis dulcem lithontripticum arbitrantur, aut saltem reliquis acidis in cal-

culorum aegritudine longe anteponendum, praestantissimumque iudicant, satis firmis rationibus opinionem suam tueri non posse. Nolo quidem modo disputare de utriusque liquoris evidenti, atque insigni utilitate, quam alteruter vel sumptus aqua apte remixtus in immodicis alvi fluxibus, et putridis, pestilentibusque morbis exerit, vel idonea methodo gargarizatus in quibusdam anginae speciebus edit, vel penicilli ope modo per se, modo cum melle, aut simplici, aut rosaceo illinitus in aphtis, oris ulceribus, et stomachace, passim praestat, vel cum aliis remediis prudenter coniunctus, atque impositus in humida gangraena, aliisve morbis affert. Nimirum nolo nunc quaerere num multiplex istud commodum, quod Spiritus salis in allatis casibus adducit, eius supra spiritum vitrioli, aut Nitri praestantiam arguat, an communem tantum eius cum istis adstringendi, exsiccandi, reprimendi, ac putredinem emendandi facultatem ostendat; unde, priori sententia admissa, verisimilius videatur iis assentiri, qui in renum, et vesicae affectibus, ac speciatim calculosis eam singularem virtutem Muriatico acido tribuunt, quod duobus aliis fossilibus non competere vel ipsi mecum fatentur. Ineptientis quippe hominis esset huius virtutis caussa eam quaestionem aggredi, cui iam nullus locus esse potest, postquam nostra aetate observatio Clinicorum luculenter evicit GLAUBERUM, aliosque, qui Spiritum Salis intrinsecus recte adhibitum calculi ge-

ne-

nerationem certo impedire, eumque dissolvere dixerunt, deceptos fuisse, nec in doloribus, aut caeteris malis compescendis ab eo, sive in renibus, sive in vesica haerente excitatis eundem Spiritum *Acido sulphurico* diluto antecellere, cui diuretica etiam vi, quam non mediocrem quoque habet, praestare non videtur.

1703. Eritne igitur, spectata tot rerum ad calculum dissolvendum propositarum inefficacitate, cum Nuperioribus quibusdam concludendum eius solutionem uno *Aere fixo* perfici, atque ita quidem, ut verum nobis tandem Lithontripticum monstraverint, qui CAVENDISHII, PRIESTLEY, PERCIVALII PRINGLEI, aliorumque experimentis innixi veluti dissolvendo calculo parem, tutissimamque *Aquam acidulam* seu Aquam aeris fixi, tum praesertim *Aquam mephiticam alcalinam*, aut *Liquorem carbonatis lixiviae aciduli* (*a*) nuper obtulerunt? Profecto non ignoro Minerales Aquas, in quibus eadem principia delitescunt, alias lithontriptica facultate probatissimas fuisse, et adhuc probari, tum easdem arte comparatas, excitis similiter urinis, eductis e renibus, ac vesica arenulis, sabulis, minoribusque calculis, sublatis nephralgiae doloribus,. addito partibus robore, aliisve praestitis salutaribus effectibus, Calculosis saepe profuisse. Sed hoc medendi genere, maximeque Aquae mephiticae alcali-

(*a*) Pharmacop. Austr. Provinc. 1794.

nae usu non minus innoxie, quam tuto vesicae calculum dissolvi ne hactenus credam cum HULMIO, PERCIVALIO, DOBSONIO, et FALCONERO, quos caeterum insignes Viros magni facio, vetant aliorum pericula, atque observata, quae ex voto non acciderunt.

1704 Quare, etsi Medicina non destituatur auxiliis, quibus queat Calculosis subvenire, caret adhuc remedio, quo in renibus, ureteribus, ac vesica morantem calculum dissolvat, imo diu, multumque fortasse carebit. Etsi enim absolute nequeat denegari lithontripticum nullum esse; eius tamen inventio Ill DESAULTIO (*a*) non verisimilis, aliis difficillima videtur.

(*a*) Journal de Chirurg. Second. an. T. 3. pag. 350.

CAPUT IX.

De iis, quae cutis exspirationem, sudoremve eliciunt.

1705. Idoneo ad medendum declarato eorum usu, quae interius, exteriusve corpori admota cutis exspirationem movent, haec quidem Auxilia, cum eam plus, vel minus copiosam, sensibusve manifestam efficiant, in duo summa genera dispertienda esse Scriptores Artis olim duxerunt. Nimirum exspirationem hanc, cui naturaliter corpus in universa cute patet, quae ita intenderent, ut ea ex cutis relaxatione, mollitie, et madore vix aliquo, aliisque signis aucta videretur, Diaphoretica vocarunt; quae vero ita sollicitarent, ut eadem uberior, et crassior facta sudoris specie, seu aquei humoris per cutem exundantis, atque exteriori frigore guttas referentis e corpore flueret, Sudorifera dixerunt. Quae porro remediorum per cutem evacuantium divisio plerisque Auctoribus rationi consentanea, et necessaria ex eo praesertim videbatur, quia, posito inter vaporem, quem cutis indesinenter exspirat, ac sudorem, quem interdum emittit, insigni discrimine, dissimile quoque rerum genus requiri iidem concludebant, nobisque revera suppetere affirmabant, ut alterutro modo, quae expediret, exaninitionem e cute moliremur.

1706. Profecto in ea etiam, qua adhuc premimur, obscuritate circa copiam, modum, atque indolem rerum, quae e corpore, sive exspiret, sive sudet, effluunt, nequit diffiteri sudorem inter, ac vaporem, insensili, ut dicunt, cutis exhalatione erumpentem quaedam discrimina occurrere. Hic enim, licet ob aqueam indolem subtili, fugacissimoque non inodoro elemento admixtam conveniat, vix quidquam pinguis materiae secum abripit, tenuitate halitum aemulatur, sano cuique proprius est, undique effluit, atque iugiter emanat. Ille vero, etsi interdum bene valenti ob consuetudinem, corporis habitum, vitaeque genus neque insolens, neque inutilis esse queat (§. 484), naturalis nunquam est, non semper e quavis parte erumpit, plus generatim olei e celluloso textu, et folliculis adimit, salis saporem nonnihil refert, quo etiam principio urinae propior appareat, in auras ita partim abripitur, ut crassior aquae forma magis consistat, ac tot denique quoad densitatem, tenacitatem, odorem, saporem, colorem, naturam, atque in morbis commoda, et pericula dissimilitudines exhibet, quot ex ipso sudore proficisci Pathologi tradunt.

1707. Veruntamen cum utraque exhalatio ab eadem corporis parte fiat, ab eodem vasorum genere moveatur, atque ab iisdem Auxiliis incitetur, propositam sane horum divisionem probandam non esse sapientiores Therapeutae arbitrantur. Hi siquidem, sive sudorem copia potius, et specie, quam indole ab

exspiratione distinctum spectent, sive indicatum remediorum discrimen ab uno efficacitatis gradu, aut ab una administrationis differentia deductum reputent, sive experientiam consulant, qua constitit sudorem eas saepe res movisse, quae solum exspirationis augendae caussa adhibitae fuerant, aut vicissim; singuli tamen nostra aetate consentiunt satius, et tutius nobis esse, si, nulla inter Diaphoretica, et Sudorifera distinctione habita, illa omnia, quae uno, aut altero modo salutarem cutis exhalationem expediunt, alterutro nomine designentur. Ex quo quidem ratio intelligi poterit, ob quam Auxilia nunc traditurus, quorum usu Medicina complures morbos sanat, aut avertit, motibus naturae ad criticam e cute exinanitionem perficiendam, vel ad imminutam, aut alicubi retentam consuetam eius exspirationem restituendam provide determinatis, vel adiutis, eadem indiscriminatim Diaphoretica, et Sudorifera dicam, nec genere seiungam, quemadmodum alias, ut initio monui (§. 1708.), fieri consueverat.

1708. Ut ista praeterea Auxilia per cutem evacuantia coniunctim spectentur par eorum proximae actionis, ac potiorum effectuum ratio postulat. Quae enim vaporis, sudorisve secretionem, exitumque e cute promovent, singula necessario ponunt sive vim cordis, atque arteriarum, proindeque circumeuntis sanguinis, ea ratione auctam, qua hic ad exteriora corporis maiori, quae non nimia tamen sit, celeritate feratur, tribuatque facile cuti

illius partem humoris, quem secus tenuem, aqueum, et subsalsum ad renum tubulos praesertim detulisset; sive actionem exhalantium, quae in cute sunt, vasculorum, ob stimulum remote, proximeve applicitum ob singularem consensus legem, ob naturales resistentias amotas, aut ob morbosa quaelibet impedimenta sublata incitatam; sive utramque, sicuti plerumque solet evenire, uno, eodemque tempore tam provide excussam, ut ex virium coniunctione maior a recte usurpatis Auxiliis effectus consequatur. Qui quidem eo maior generatim est, quo plus partium tenuitate etiam, atque indole huic exhalationi aptissimarum ipse sanguis naturaliter habet, vel a rebus ad eam adiuvandam adhibitis accepit.

1709. Effectuum vero, qui generatim incitatam cutis exhalationem sequuntur, non dissimilis ratio est, sive eadem adhuc tenuis, et fere inconspicua augeatur, sive sudoris specie eliciatur rerum idonearum, aut Remediorum virtute. Utroque siquidem exhalationis modo docent Therapeutae humorum quantitatem, ac praesertim tenuiorum imminui, eosque ad cutem ita diduci, ut superfluae, corruptae, ac nocuae quaecumque particulae foras erumpant; cutis spiracula ob eam mollem factam, atque ex spasmo, aut quovis alio morboso, aut etiam naturali impedimento sublato relaxatam patefieri; sanguinis circuitum, atque impetum ita in caeteris corporis partibus moderari, ut quaelibet alia exinanitio, ac praesertim urinae, copia deficiat, aut cohibeatur; vim absorben-

tium vasorum excuti; atque illarum denique partium conditionem maxime immutari, cum quibus naturaliter cutis magis consentit.

1710. Quod si quidam adhuc velint pervicaciter contendere utriusque exhalationis effectus ideo insigniter differre, quia longe copiosior humor e corpore inter sudandum effluit, ac potest copia id in morbis uberrimam exinanitionem requirentibus praestare, quod ab exhalatione sine sudore promota sperare non licet, animadvertant quaeso discrimen istud nec necessarium, nec perpetuum, nec Clinici observatione generatim dignum esse. Saepius enim in illis morbis visum est valde incitatam cutis exhalationem, quin sudore corpus madefactum esset, summopere profuisse; tum hoc modo plus humoris, imo quidquid corpus ex hac parte ad salutem excreturum erat, ob minus, aut vix ullum virium detrimentum, utilius emanasse, quam si sudor elicitus fuisset. Hic nimirum, inquit Cel. GREGORYUS (*a*) „ a sola fere cutis relaxatione » haud raro pendet, exhalatio vero a corpo» ris vigore, et sanguinis impetu, et actione » vasorum summae cutis magis exprimitur „.

1711. Cum praeterea eadem in aegro phaenomena sint, quae Artificem adducunt sive ad sudorem eliciendum, sive ad cutis halitum, qui auctus specie tamen sudoris non exeat, incitandum, sintque pariter eadem ge-

(*a*) Op. cit. n. 1501.

nera morborum, quae alterutro exinanitionis modo indigent, ut mitigari, ac discuti queant; novam inde caussam Therapeutae nuperiores deducunt, qua remediorum, quae alias in Diaphoretica, atque in Sudorifera seiungi consueverant, actiones, vires, atque usus coniunctim expendant, atque explicent. Alterutram porro e cute exinanitionis speciem indicant aegri temperies, habitus, ac consuetudo, perspecta singularis morbi indoles, aut iam cognita epidemicae constitutionis ratio cutis excretionem ad salutem requirens, futurum ex hac ipsa erumpente beneficio remediorum, quae naturae motus per se impares dirigant, atque incitent, aegritudinis levamen, signa coctionis, cryses ex hac corporis parte prae caeteris salutares, ac necessariae, quae arte promovendae videantur, atque alia eiusmodi; quemadmodum contraindicant vigens adhuc irritationis, inflammationis, viriumque excessus, haemorrhagiae metus, humorum nimius lentor, aut contra sanguinis inopia, nimia solutio, magna virium debilitas, macies, tabes, atque alia, quae speciatim a Clinicis exequuntur.

1712. Alterutrum item exinanitionis modum generatim desiderant, atque ex eo aptis rebus provide tentato bene habent catarrhales, rheumaticae, aliaeve passiones ab imminuta, aut retenta exspiratione, vel salutari temere cohibito sudore excitatae; rheumatismus, arthritis, podagra, ischias; quaedam viscerum, glandularumque obstructiones; plura impetigi-

num, ac morborum cutem afficientium genera; quaedam vitia humorum ab acri, venenato, impuroque miasmate orta; quaedam hydropises, ac paralyses: quarum omnium aegritudinum species, quibus incitata cutis exhalatio opitulatur, indicare ad eos proprie pertinet, qui Therapeuticen specialem tradunt. Eorum quippe est in adductis morbis dispicere casus, in quibus pro dissimili eorum caussa, aegrorumque natura non solum cutis exinanitio non proficit, verum etiam aliena est, aut plurimum nocet; sicuti eorum pariter est singulas exceptiones rimari, quibus eadem in acutis aegrotationibus maxime patet.

1713. Porro licet vel ipse vetustissimus Auctor HIPPOCRÀTES observaverit acutas passiones sudore generatim iudicari, et solvi, Medici pariter iam cognoverunt raro in iisdem naturam ad eum movendum Artis subsidio indigere, tum, si quando indigeat, plerumque rebus opus habere, quae, sublatis potius impedimentis, quam incitatis motibus, exspirationis incrementum, sudoremve adducant. Noverunt siquidem, duce SYDENHAMIO, acutarum passionum curationem cum HELMONTIO, eiusque asseclis credere auxiliis, quae ad cutem valido suo stimulo pellunt, atque ex ea humores potenter eliciunt, idem esse in inflammationibus, et febribus praeternaturale virium incitamentum praeseferentibus ac novam iniurioso stimulo praestare vim, qua calore, et febre auctis certius, ocyusque immedicabilis, ac lethalis morbus evadat; tum in febri-

bus, quas putridas, nervosas, malignas, ac pestilentes vocant, in quibus cerebro, nervis, et musculis insitae vires langueant, aut deficiant, stomacho laeso, putredine promota, ac corpore humoribus, viribusque exhausto aegri exitium certum reddere, ac properare. Triste » sane est, inquit apposite GREGORYUS, mente » revolvere quam funesta humano generi fuerit » talis medendi ratio diu stabilita, et passim » adhibita. Vix enim dubitari potest magnam » febricitantium partem, cui morbus pepercis» set, remediis huiusmodi turpissime fuisse » trucidatam (*a*).

1714. Praeter commodum vero, aut detrimentum, quod medicamenta, sive exspirationem tantum, sive sudorem opportune, vel intempestive movendo similiter possunt afferre, ne eadem in Diaphoretica, et Sudorifera dispertiantur, ultima Therapeutis ratio est eadem utrisque natura. Cum enim ex pari materiae genere utraque necessario desumi vel ii concedant, qui inter se distinguenda esse adhuc praecipiunt, illorum sane sententia magis confirmari videtur, quae constituit neque ex sudore, utpote non naturali, sicuti tenuis cutis halitus est, neque ex dissimili actionis gradu, qui absolute, ac perpetuo determinari non potest, neque demum ex diverso administrationis modo, qui parem semper effectum nequit praestare, eam divisionem recte dedu-

---

(*a*) Op. cit. n. 1498.

ci. Quare eorum opinionem secutus si deinceps ea omnia, quae ad exinanitionem ex cute avocandam valere censentur, persequens Diaphoretica, et Sudorifera, nulla habita distinctione, promiscue vocavero, non verear ne quidquam mihi iure opponatur.

1715. Maxime vero quia Medicorum nemo iam potest ignorare saepe in horum remediorum usu evenire, ob dissimiles, nec prius facile eruendas aegrorum proprietates, morborumque singulares affectiones, ut quae debuissent cutem ad exhalandum potenter compellere, eam vix, ac ne vix quidem sollicitent, quam deinde alia generatim parum efficacia mirifice determinant. Certo enim auxilio adhuc destituitur Medicina, quamquam multiplex habeat, quod saepius respondet, quo tuto, et perpetuo queat cutis exspirationem, sudoremve movere. Quando autem movet, qua parte potissimum, aut proxime affecta, quaque mechanice hanc convellendo remedium operetur, eadem quoque nondum certo potest constituere. Nonnulla enim auxilia movendo sudori usurpata eum nonnisi movere videntur, quam cor, et vasa sanguinea proxime affecerint, ac sanguinis motum in universum incitaverint; quaedam contra eum pellere vasculis, quae in cute exhalationi dicantur, solummodo perculsis; quaedam utrumque pariter vasorum genus pari modo, et tempore aggredi; tum alia primitus tentato lymphaticorum systemate cutis exhalationem adducere. Sunt item quae exterius tantum applicita su-

dorem per se avocant, dum reliqua intrinsecus recepta externo etiam auxilio indigent, ut facile, ut certe, ut abunde eum promoveant. Denique inter ea etiam, quae intus assumuntur, occurrunt nonnulla, quae stimulo suo licet ventriculum solummodo afficiant, eorum nihilominus actione ad intimiora quaeque corporis nervorum, vasorumque ope facile, atque illico propagata, cutis exinanitionem afferunt, dum alia in sanguinem advehi debent, quemadmodum revera ei affunduntur, ac proxime maiora vasa, aut cum iis etiam minora in cute exhalantia aeque, imo interdum validius debent attingere, ut suo effectu potiantur.

1716. Hinc pronum est intelligere quomodo tam dissimiles inter se res, ac tam varia proinde genera remediorum ad hoc Evacuantium Caput a Therapeutis soleant optimo iure revocari, ac seiunctim proponi. Quae quidem ratio divisionis non ita est concipienda, ut insigni spectata, quo ad originem, naturam, proprietates, et reliquos usus, rerum sudorem moventium dissimilitudine, a nobis improbetur, aut negligatur generalis illa distinctio, qua Medicinae Scriptores communiter usi Diaphoretica, aut Sudorifera in Externa, atque Interna seiungunt. Hanc enim retinendam esse ducimus, quoniam eadem non solum ex dissimili administrationis modo, verum etiam ex aliis principiis tuto, utiliterque deducta videtur. Nimirum priora, quae exterius tantum admoventur, in ipsa iam vascula vaporem, sudoremve exhalantia proxime agunt

atque humorem copiosius, ac manifestius eliciendo per se sufficiunt, dum altera cutis spiracula remote percellunt, atque illorum conspirante actione indigent, ne secus inutilia evadant.

1717. Cum enim ad Externa diaphoretica res omnes pertineant, quae dum frigus arcent, corporis naturalem calorem conservant, retinent, atque augent, sitque revera evictum sine eiusmodi conservatione, aut incremento nullam reddi, imo etiam contrariam effici actionem eorum, quae intrinsecus assumpta expediendo sudori efficaciora censentur; oportet fateri haec, quaecumque ea sint, ab Externis subsidium perpetuo requirere. Et re quidem vera aucto cutis calore non solum fiunt persaepe efficacissima, quae secus parum idonea fuissent; verum etiam quaelibet intus data validiora Diaphoretiea, eo vi frigoris imminuto, spem medentis eludunt, ac sudoris loco aliam exinanitionem adducunt. Nimirum fluxum urinarum, ut passim experimur, adducunt; quemadmodum e contrario, summa cute ab externo frigore munita, ac provide calefacta, ipsa Diuretica medicamenta exspirationem, sudoremve invitant. Quare tutum erit in expendendis Auxiliis, quae ad cutis exinanitionem sollicitandam Medici usurpant, eos Therapeutices Scriptores imitari, qui eadem in Externa, atque Interna generatim dividunt.

1718. Ad prima autem, cum proprie pertineat calor corpori applicatus, referuntur non solum calidus aer, calens aqua, aut quod-

vis corpus ad sensum calidum quatenus susceptum calorem cum externo corporis habitu communicant; sed res etiam aliae exteriores, quae sive arcendo aeris frigus, sive impediendo, ne calor e corpore indesinenter effusus propere diffletur, sive incitando exterius vim illam, quae caloris interioris evolutionem, ac diffusionem in singulas partes perficit, sive una avocando apto stimulo, aut quovis alio principio aqueos humores uberius ad cutem, huius vascula ad copiosiorem exhalandum humorem paratissima efficiunt, nisi iam determinent. Quod cum ita sit, caussa cuique patebit, ob quam ad Externa sudorifera iamdudum revocata fuerit omnis ratio vestium, et tunicarum, quibus homo induitur, itemque linteorum, stragulorumque, quibus lecto stratis cubans tegitur; quoniam scilicet horum beneficio vel frigus densitate, et crassitie indumentorum repellitur, atque una evolutus, erumpensque calor prope corporis habitum retinetur, magisque potest explicari, vel eorum amictuum asperitate, qui cuti adhaereant, ob lenem, ac perpetuum stimulum magis excutitur.

1719. Quod quidem commodum magis praestant pingues vestes (§ 74.), ac praesertim laneae tunicae carni adhaerentes, quae prae lineis subuculis, aut indusiis acceptum calorem melius retinent, continuam, licet mediocrem, irritationem cuti afferunt, humoremque ex ea prodeuntem aptius absorbent, ne dicam quod animadvertunt Therapeutae, minus necessariam reddi subitam illam, ac frequentem subuculae

aut cuiusque amictus mutationem, cui imprimis quisque sudans obnoxius redditur, qui lintearia potius re, quam lanea ad carnes ob velandas utitur. Ex quo evenit, ut sanis, quorum valetudo defectu insensilis exspirationis, aut consueti sudoris, cui forte citra noxam assueverint, saepe tentatur, valde idoneum sit subuculam ex lana induere, dum ex lino contexta ob plures caussas reliquis, quorum inculpata sanitas viget, aptior est.

1720. Huius etiam loci habentur Frictiones in universo corpore, aut in aliqua eius parte institutae, quarum, ubi tamdiu protrahantur, donec cutis incalescat, et rubeat, vires in exspiratione promovenda, ac salutares effectus, prout nudis manibus, vel pannis ex lana, aut lino calentibus fiunt, aut peniculis, vel strigilibus suscipiuntur Veterum more, qui hisce non minus in balneis ad radendas sordes corporis, sudoremque tergendum, quam ad hunc provide avocandum utebantur, satis iam alibi proposui, (§. 452. 453. 454) ut modo de iisdem iterum dicendum sit. Sicuti vero Frictiones, utpote quae, osculis exhalantibus minimorum vasorum affectis, uberiorem vaporis fluxum e cute efficiunt, ad Externa diaphoretica pertinere censentur; ita eorum numerum augent illae omnes corporis Exercitationes, quae aucto inprimis circulatorio sanguinis motu, huius impetum, caloremque ad cutem deducunt, eamque cogunt copiosius tenuem humorem secernere, atque ocyus exhalare. Eiusmodi sunt Ambulatio (§. 433.) Saltationes,

Choreae, Tripudia, (§. 435.) Lucta cum umbra, (§. 436. et seq.) Pilae lusus (§. 439. et seq.) atque Equitatio (§. 444. et seq.), quae exercitationis genera cutis exhalationem mirifice promovent ad Gymnasticae Medicinae leges suscepta, de quibus pariter suo loco iam abunde traditis non est quod modo dicatur.

1721. Potius oportet monere, praeter calida quaelibet corpora, ac speciatim calefactos lapides, quos pannis involutos ad sudorem excutiendum plantis pedum, aliisve partibus pro re nata Vulgus adhuc admovet, huc quoque usum Electrici ignis a Medicis revocari. Hunc enim, sive per ictus, sive per scintillas corpori humano prudenter admotum multiplici sua actione, qua vires fibrarum, vasorumque excutit, tam idoneum cutis exhalationi promovendae Clinici repererunt, ut huic imprimis auctae, aut inexpectato alicubi ad naturae ordinem restitutae referenda videatur utilitas, quam non raro rheumatismo diuturniori, ischiade, et paralysi laborantibus attulit (§. 839.). Quare etiam si generatim credam hoc auxilium non uno hocce agendi modo prodesse, imo nolim Ill GREGORYO plane obsistere reputanti, ubi cutis exinanitio molienda sit, rectius agere qui, Electrici ignis administratione posthabita, ad efficaciora remedia confugiunt; contendo nihilominus tum propriis, tum alienis observationibus ductus eam hoc potissimum fine tentatam id interdum

com

commodi afferre, quod aliis adhibitis praesidiis Ars nequit aegris praestare.

1722. Hisce interim auxiliis cum Calida balnea longe antecellant, de quibus vix quaedam aliis locis (§. 486. 670. 671. 703.) e vestigio indicata fuerunt, oportet nunc eorum discrimina, vires, atque usus, prout decet, exponere. Pertinent quippe ad antiquissima, atque ad sudorem evocandum, aliasque una sano, aut aegro corpori utilitates afferendas valentissima Auxilia, quae Ars invenit, quaeque revera et olim ad medendum feliciter traduxit, et adhuc magno humanae salutis commodo adhibet. Nempe postquam innotuisset saepe ad secundam valetudinem tuendam, atque ad restituendam adversam magnopere expedire sudorem promotum, atque elicitum certo gradu caloris, (qui a naturali sanguinis temperie neque multum recederet, neque eandem nimium superaret), ab aere, vel ab aqua, vel ab huiusce vapore suscepti, ac cum humano corpore apte communicati, haec medendi ratio apud Graecos primum, ac dein apud Romanos Medicos plurimum invaluit.

1723. Cum autem ad complures arcendas aegritudines, atque ad iam natas discutiendas alterutro caloris admovendi modo passim uterentur Veteres, ac maxime Romani, et calorem nunc siccum, quem calefactus arcte conclusus aer praestaret, nunc humidum, quem in calidam aquam mersus homo experiretur, corpori admoverent, ad utramque administrationem paratissimum locum balneum vocatum,

qui domi non haberent, in publicis Balneis commode inveniebant. Cuius quidem praesidii usus primum admissus ad sordes abstergendas, ad coquendam cruditatem, ad lassitudinem ex labore levandam, ad cibi desiderium excutiendum, atque ad supervacaneum, et nocuum humorem e cute extrudendum, ac creber dein factus ad sanitatem restituendam apud Viros cuiusque aetatis, atque apud Mulieres, quae ab illis seiunctas lavationes, ac sudationes habebant, frequentissimus demum voluptatis etiam, et luxuriae caussa evasit.

1724. Erant vero in Balneis plura distincta loca, ut Apodyterium, seu Spoliatorium, in quo balneum ingressurus vestes deponebat, quas, accepta mercede, Capsarius suscipiens servabat; ut Hypocauston unctorium, seu cella, in qua Aliptae post sudationem, aut lavationem, nisi exoticis unguentis, saltem oleo, vel pingui quovis succo salutis, aut deliciarum caussa membra perungebant; ut Cellae, in quarum parietibus valde capacia sinuabantur Baptisteria, in quibus calida, frigidave aqua lavari, mergi, atque innare quisque facile posset. Hisce alia variis vitae, ac salutis commodis apta nectebantur loca, adiacebant calidae, frigidaeve peramplae Piscinae, quae latius, et tepidius natationis genus permitterent, nec procul aberant, nisi etiam apodyterio, aliisve balinearum aedificiis superposita essent, Sphaeristeria cubicula, in quibus liceret cuique sive ante, sive post balneum, et sudationem pilae ludo, aliove multiplici exercitationis genere commode uti.

1725. Tria vero erant praecipua balneorum membra, nempe tria in iisdem veluti coenacula, quorum summum calidi aeris plenum Laconicum, aut Vaporarium, aut Caldarium audiebat, aut etiam Sudatorium, quia in hac prima balneorum cella orbiculari ambitu in se recurva sicco aeris calore, igne sine fumo accenso, sudor provocabatur. In medio coenaculo aquae calidae erant, quas ingredi, atque diu etiam, protracta mersione, experiri quisque commode posset, qui vellet iis non minus elui, ac perfundi, quam humido aquae calore ad sudorem, qui futuras averteret aegritudines, aut iam ortas discuteret, facile eliciendum summam cutem, atque universum corpus adducere. In tertio autem, vel imo coenaculo erant frigidae aquae, quibus uteretur qui calidis lavationibus, aut sudationibus non indigebat, sed potius istis, quique ex calido in tepidum, ac dein in frigidum balneum descendens melius habuisset.

1726. Frigida autem balnea cum ea proprie essent, quae balneorum appellatione veniebant, quaecumque loca calida, quae vel siccum calorem corpora exhausturum continerent, vel calidis lavationibus essent accomodata, Thermas aptius dicere Veteres consueverant. Quare siccas Cryptas, quales in quibusdam Italiae provinciis occurrunt olim Populi frequentia celeberrimae, nec hodie prorsus ad Medicinae usus neglectae, calidi nimirum aeris naturaliter plenas Thermas quoque dicendas esse ii etiam concedunt, qui nolunt,

quamquam immerito, balnea, quae igni calefiebant, at tantum, quae natura calida sunt, Thermas apte vocatas olim fuisse.

1727. Porro vel ipsae structiles Thermae, in quibus calefiebat aqua fornacibus, ideo locis, ubi aderant aquae sponte calentes non minus sanis, aegrisve corporibus idoneae habebantur, quia, cum calidae, tepidae, ac frigidae aquae in omnes balneas transcurrerent, ac singulari artificio in eas perenni fonte deducerentur, Aqua eodem semper tenore, ac calore in labrum influebat, ubi considentes lavabantur; quia item provisum erat, ut tum in hac cella, innexisque penetralibus locis, quae e balneo egressi iteratae lotionis, frictionis, atque inunctionis caussa petebant, antequam vestes induerent, aeque tepidus esset aer, tum in Laconico pari semper modo siccus calor ita perveniret, ut facile etiam esset eum intendere, vel imminuere; quia denique, iuxta quorundam sententiam, licebat cuique, ob vim caloris e subterraneis tubis effusi vaporosis valde redditis balinearum fontibus, vel denso in altum sublato humore ex aqua in pavimentum marmoreum proiecta, salutares effectus illius prope balnei experiri, quod a fervidissima aqua in vapores resoluta praestitum, ac Vaporosum vocatum, Moschorum maxime usu nostra aetate inclaruit.

1728. Tot itaque, tantisque commodis cum essent instructa loca ad balnea suscipienda, atque una essent diligenter constituta praecepta, quae exteriorem Aquae usum ad com-

plures vincendas corporis aegritudines idoneum iamdiu compertum cum omni revera iucunditate, securitateque efficacissimum redderent, facile in balnei administratione Graeci, et Latini Medici adeo processerunt HIPPOCRATI, qui ceterum eam nec parvi fecerat, nec raro admiserat, ut CELSI aetate cum balneo iam audacter usus ASCLEPIADES fuisset, Antiqui timide istud auxilii genus adhibuisse viderentur (*a*). Quo quidem tempore duplicem balnei usum generatim fuisse idem CELSUS monet. „Nam modo, inquit, discussis febri„bus, initium cibi plenioris, vinique firmio„ris, valetudini facit; modo febrem ipsam „tollit. Fereque adhibetur, ubi summam cu„tem relaxari, evocarique corruptum humo„rem, et habitum corporis mutari expedit„.

1729. Quare illud etiam accidit, ut dum isti, aliique sequentium aetatum celebriores Medici ita balneis favebant, ut nihilominus docerent quibus sanis, aegrisve neque utilia, neque tuta, imo aliena, et nocua essent, quidam non defuerint, qui nimium iisdem tribuentes temere existimarent nullum prope morbum incidere, nullumque posse aegrum occurrere, cui balneum non conduceret. Quorum quidem sententia mihi perpetuo non minus improbanda visa est, quam eorum videatur, qui hisce diebus, etsi tepidi, calidive balnei utilitatem, opportunitatemque in quibusdam speciatim

(*a*) Med. lib. II. pag. 82.

morbis denegare in tanta Medicorum consentione haud possint, attamen eo vel rarissime, vel numquam utuntur.

1730. Habet utique usus balneorum suos limites, extra quos nequeat extendi, quin praesens valetudo labefactetur, aut adversa magis infirmetur; sed tot quoque vires habet in corporis conditione utiliter mutanda, totque commoda affert rite, apteque institutus, ut merito Proceres Artis soleant vehementer exoptare, ut bene constitutae Civitates, ac maiores maxime Urbes, et Valetudinaria publicis tandem aliquando balneis instruantur, quae conservandae, restituendaeque valetudini pateant, utque saltem iis locis, ubi neque naturales, neque structiles thermae suppetunt, commodum Medici haud negligant, quod domi comparatum balneum, modo calidum, modo tepidum, privatim cuique potest afferre.

1731. Maxime vero quia hodie satis compertum est magnam partem exceptionum, quibus patere istius balnei usus plerisque olim videbatur, tum a neglectis in eo suscipiendo regulis, quas iamdiu Veteres sanciverant, diligenterque servare consueverant, tum a minus recte perspectis eiusdem remedii in cutem, ac totum corpus agendi rationibus, vel a falsis hypothesium quarundam principiis originem duxisse. Nam, ut recte animadvertit Cel. MACQUARTIUS (*a*), a non satis determinato gradu

---

(*a*) Manuel sur le propriétes de l'Eau. Paris 1783.

caloris, qui cuique aegritudinis, atque aegri rationi speciatim opportunus sit, facile potuit balneum aliam, oppositamque actionem exerens nocere, quod secus profuisset; tum, ut sapienter monuit Ill. TISSOTUS, ex praeconcepta de nervorum morbis opinione, quae eos a fibrarum laxitate deduceret, ac simul ex constituto principio, quo in earundem relaxatione potior tepidi balnei efficacitas quaerenda esset, BOERHAAVIUS, et WHYTTIUS, eorumque asseclae in illis affectibus curandis eiusmodi medendi genus perperam omiserunt. Eo siquidem uno prudenter adhibito post HIPPOCRATEM, ARETAEUM, CELSUM, GALENUM, aliosque Veteres in nervorum morbis discutiendis feliciter usos persaepe fuisse HOFFMANNUM, RAULINUM, LORRYUM, POMIUM, et PERCIVALIUM idem praestantissimus TISSOTUS apposite observat, atque etiam recte docet effectus, quibus ex balneo fibra, vel per se sumpta, vel mortua obnoxia est, temere iis iudicari tum prorsus, tum perpetuo aequales, quos in totius viventis corporis compage idem balneum edit (*a*).

1732. Praesertim cum ipse Vir summus ostenderit hocce balneum, sublata aegritudinis caussa, cui morbosa fibrarum laxitas accessit, non solum tunc aegro ob restitutam functionum integritatem vires reddere, verum etiam

---

(*a*) Traité des Nerfs, et leurs maladies Tom. II. Part. II. pag. 359. et seq.

fibris densitatem, contractilitatem, et robur afferre; ac praeterea sit insigne huiusce remedii pretium ad plures passiones curandas luculentius adhuc probaturus iis quam primum editis libris, qui, aureum de cognoscendis, et curandis nervorum morbis inchoatum opus dum perficient, facem Clinicis praebebunt, cuius clarissimo lumine tantis discussis tenebris, quibus eorum morborum curatio hactenus premitur, aegris minus incommodam, atque ancipitem, imo iucundam, et tutam medicinam adhibeant.

1733. Ne autem partes relaxando, atque humores detrahendo tepidum, calidumve balneum solummodo proficuum quisquam forte existimet, quaeso reputet animo idem complures alios salutares effectus sanis, aegrisve corporibus simul afferre. Nimirum non prius cutem laxat, eiusque expirationem restituit, auget, atque ad sudorem adducit, quam sanguinis circuitum acceleraverit, eiusque impetum ad cutem avocarit, et humectando, atque emolliendo spissa diluerit, impacta disiecerit, atque obstructa reseraverit, aquam potissimum ab extimis cutis vasculis absorptam, atque ad interiora delatam affundendo, qua melius temperet, demulceat, solvat, atque intime liquores admisceat, quaque etiam id interdum rependat, quod secus corpori e sui pondere ob auctam expirationem solet adimere. Quibus sane consuetis balnei, de quo loquor, effectibus si addimus mutatum modum absorptionis, cui interiores quoque partes obnoxiae sunt,

perculsum ubique multimodis systema lymphaticorum, ac fibras nervorum, qui maxime ad cutem pertinent, aut cum istis magis nexu, atque actione conspirant, ita affectas, ut, spastica cutis irritatione sublata, consensus lege necessario intimior quaelibet nervorum, et cerebri passio ex irritamento, aut spasmo orta mitigetur, et cesset, comperiemus profecto tantam esse huiusce praesidii in corporis conditione immutanda, tamque multiplicem potestatem, ut fatendum sit rectum eius usum ad maiora, tutioraque Artis auxilia pertinere.

1734. At cum tot mutationes, ac tantas utilitates in secunda, atque in adversa valetudine illud solummodo balneum queat afferre, cui certus, atque iustus sit calor, aptusque modus, sunt huius loci quae ad utrumque pertinent. Quare primum significabo istiusmodi balnei discrimina, ac dein potiores adhibendi regulas exequar. Differentias autem attingens consulto praetereo illam, quae oritur a generali, aut singulari eiusdem balnei administratione, qua vel totum corpus, vel aliqua tantummodo eius pars aquae actioni subiicitur, ne frustra repetam, quae de hac ipsa re, ac speciatim de Semicupio, aut Insessu, de Pediluvio, de Maniluvio, de Lotione, aut Lavamento, de Fomento, et de Stillicidio aliis locis (§. 638. 670. 671. 703.) opportunius tradita fuerunt. Potius dicam humidi calentis balnei duplex genus, quo ad gradum caloris, qui ad naturalem referatur corporis temperiem, a sapientioribus nostrae aetatis Me-

dicis veterum Graecorum, et Romanorum sententiam, ac morem sequutis constitui, ac proinde hocce balneum in Tepidum, et Calidum distingui.

1735. Communiter nimirum perhibent, Reaumuriano thermometro tamquam indice caloris adhibito, generatim tuto posse constitui Tepidum esse, in quo calida aqua hydrargyrum a gradu vigesimo quinto supra fixum congelationis punctum ad trigesimum quintum evehit, ac Calidum, in quo calidior aqua ab hoc gradu ad quadragesimum, aut paullo supra, idem hydrargyrum attollit. Quae quidem distinctio, aut constituta ratio post MARETUM ab ipso etiam optimo auctore TISSOTO cum aliis admissa, ubi eo in sensu accipiatur, quo accipiendam revera esse tum isti, tum experientissimi quique Therapeutae voluerunt, non erit profecto quod ipsa veluti generalis regula prolata cum Ill. Viro, ac de Balneorum viribus, usibusque eximio scriptore MARCARDIO (*a*) prorsus reiiciatur.

1736. Quisque nempe Clinicorum concedit, ac speciatim docet Cel. TISSOTUS in ea latitudine, ut loquitur, quae ab indicatis numeris metitur, gradus teporis iuxta dissimiles hominum proprietates adeo differre oportere, ut qui teporis sensum uni praestat, alteri frigoris, aut contra caloris impertiatur (*b*). Ob

---

(*a*) Ueber die Natur und den Gebrauch der Bàder. Hannov. 1793.

(*b*) Op. cit. pag. 360.

quam rem arbitratur propius adhuc iusti temporis, ac cuique idonei balneum constitui ab ea aquae calefactae temperie, ex qua quisque sine ullo frigoris, aut caloris incommodo iucundum sensum experitur. Quam quidem iustam, ac suavem caloris temperiem cum non omnes, ut passim experior, sive sani, sive aegri, praesertim apud nos, percipiant, quotiescumque aquae calor uno saltem, alterove gradu illi cedit, qui humano sanguini proprius est, imo non pauci ad eiusmodi assequendam voluptatem eo indigeant, qui naturalem hunc vel aequet, vel duobus saltem, aut interdum tribus etiam superet; subscribere sane iis non possum, qui novissime arbitrati sunt, omni sublata inter Tepidum et Calidum balneum divisione, Calidissimum vocandum esse illud, quod humani sanguinis calorem vel parumper excedit, tum Tepidum, aut Calidum indiscriminatim habendum, quod ita suave, atque iucundum est, ut tamen ipsius sanguinis temperiem nunquam attingat.

1737. Quicumque porro sit gradus caloris, quem Aqua debeat pro vario naturae constitutionis, consuetudinis, et regionis discrimine suscipere, ut grate tepidum balneum sanis, aut aegris largiatur, scire expedit hoc ipsum esse, quod Veterum exemplo Nuperiores generatim arbitrantur, ob iam propositas multiplices eius vires (§. 1733.), subinde, apteque tentatum securam, ac longam valetudinem iis efficere, qui exsucci, biliosi, natura fervidiores, irritabilioresque, litterarum studiis,

et vitae sedentariae dediti, gracilesques cum sint, aut provecto senio rigescentes, impedire sedulo debent, ne ex hisce caussis in morbum incidant; tum secundam iis pariter afferre, qui ex cutis expiratione retenta, aut imminuta, ex solidarum partium rigiditate, et tensione, ex fluidarum densitate, aut insigni aliquo vitio, ex viscerum obstructione, ex perturbato, aut deficiente secretionum, atque excretionum opere, ex coctionis defectu, ex insolatu, atque ex irritatione, dolore, ac spasmo aegri evaserunt.

1738. Hinc non erit arduum intelligere quomodo Therapeutae generatim tradant hoc auxilio maxime iuvari rheumatismo, arthritide, atque ischiade laborantes, syphilide implicatos, pellagrosos, cutis, oculorumque morbis obnoxios, obstructa, aut tumore obsita quaecumque viscera habentes, renum, et vesicae multiplici affectu, calculo, ac cruciatu detentos, ventriculi, intestinorumque doloribus occupatos, hyppochondriacos, hystericas foeminas, cerebri, nervorum, musculorumque convulsivis, spasticisque affectibus vexatos, atque ipsos denique ex tabe, aut ex lenta febre sine ulcere marcescentes. In quibus sane morborum omnium, reliquorumque generibus, in quibus vel admittitur, vel iure potest Tepidi balnei usus, tum leniminis, tum curationis caussa interdum admitti, et quando, et quonam modo revera conveniat, ne secus minus proficiat, aut inutile, nisi etiam nocuum sit, ab iis proprie traditur, qui singulares eorum curationes exequuntur.

1739. Quapropter de Calidi balnei usu modo dicturus, ut id solum assumam, quod meae partis est, non cuncta docebo, quae de eius in morbis administratione proponi possent. Satius proinde erit monuisse Calidum balneum, sive toti corpori praeter caput, sive eius particulae admoveatur, Tepido potentius avocare, uberius humorem ex cute elicere, id, quod crassiorum partium est, facilius extrudere, ac validius penetrare ob maiorem cum stimulo fluiditatem, quam aqua ex aucto calore accepit; tum indicasse, generatim prodesse in iam enumeratis passionibus, ubi isti singulares effectus aegris procurandi sint, ac potissimum a Medicis probari in pertinacioribus rheumaticis affectibus, in diuturnis maioribusque cutis morbis, ac speciatim in herpete, in lepra, in elephantiasi, atque in omni denique casu, in quo utilissimum videatur balnei virtute humorum motum valde accelerare, uberem sudorem movere, ac sanguinis affluentiam, atque impetum (partiali tunc balneo adhibito) ad certas partes, utilissima facta a caeteris revulsione, opportune avocare.

1740. Balneum praeterea, sive tepidum, sive calidum sit, dividitur in Simplex, Compositum, et Minerale. Primum enim, quod aqua communis et dulcis igni calefacta, idoneoque ad lavandum vase excepta, atque ope thermometri in aequali gradu caloris, ob repetitam subinde ipsius fervidae aquae affusionem conservata suppeditat, Compositum vocatur ubi aliis additis rebus medicatius evase-

rit. Negant quidem nonnulli hocce artificio balneum efficacius reddi; sed perperam, quod Veterum, Recentiorumque Artis Procerum experientia evictum est, dubium, aut falsum existimant. Quae enim antiquitus iam innotuerant persaepe probandae Compositi balnei species, sive universo corpori, sive eius tantum particulae essent admovendae, aeque utiles, ac maxime opportunae hodie habentur: quemadmodum sunt paratae ex aqua cum lacte, aut huius sero, ubi demulcere, atque irritationem validius retundere expediat, (olei interim non unam ob caussam admixtione relicta); vel cum aceto, nitro, tartari cremore, similibusque, ubi refrigerare, et temperare; vel cum malvae, altheae, aliarumque emollientium stirpibus decoctis, ubi relaxare magis conveniat; vel cum resolventibus vegetabilibus, ac praesertim sapone, ubi cutem ab ulceribus, impetiginibusque efficacius abstergere, obstructionesque reserare; vel cum vino, aut roborantibus caeteris, adstringentibusque remediis, ubi debiles, et laxas confirmare partes, atque ad naturalem cohaesionis, et densitatis modum restituere oporteat.

1741. Minerale autem balneum vel Marinum est, vel Thermale. Illud, cum, monente MACQUARTIO, eam caloris temperiem generatim exhibeat, quae a gradu duodecimo vix supra decimumquintum extenditur, ac spectari possit veluti compositum balnei genus ex aquae non minus viribus, quam e salibus, reliquisque marinae aquae principiis ortum sibi

propriam facultatem habens, nunquam sane, licet solis ardore vel igne adhibito tepidius evaserit, cum balneo a dulci calefacta aqua praestito convenire quisque cordatus existimabit. Aliam enim, ac multiplicem actionem una exerat necesse est cum salibus, reliquisque medicatis particulis cutem valde abstergat, exhalantium, ac resorbentium vasorum oscula quaeque obstructa potenter reseret, et laxa roboret, atque humorem ocyus, uberiusque ex universo corporis habitu ad cuncta intimiora loca eius indolis deducat, quae ad vasorum, viscerum. humorumque conditiones immutandas ita valeat, ut vitiis quamplurimis emendatis, secretionibus expeditis, ac superfluis, et nocuis recrementis partim e cute, partim ex urinarum itinere provide expulsis, tuendae, restituendaeque valetudini magnum saepe adiumentum afferat.

1742. Et re quidem vera, non solum, ut firmam valetudinem debilibus, cruditate facile laborantibus, valetudinariis, atque ob perturbatum expirationis ministerium morbo saepe obnoxiis comparemus, verum etiam reddamus sanitati, quos gravius, ac pervicacius, ob irritum reliquorum auxiliorum usum, iam detinent a crusta lactea, achoribus, et scrophulis orta mala, non pauca a syphilide relicta incommoda, chronici ex arthritide, et rheumatismo affectus, peiores herpetis species, maioresque caeterae cutis non acutae aegritudines, ac denique ulcera, quae deteriorem indolem praeseferunt.

1743. Quam ob rem cum in istis, aliisque non paucis chronicis passionibus, quas Clinici speciatim exponunt, et saepe mirifice respondeat Maritimi balnei usus, et non raro praestet, quod a reliquis Artis praesidiis vanum esset aegris polliceri; minus dolendum nobis erit, si fateri oporteat emolumentum, quod hydrophobi in mare nec opinantes proiecti interdum percepisse dicuntur, iniecto eorum animis horrori, non ipsius marinae aquae singulari virtuti referendum esse. Praesertim vero cum alibi ostenderim eiusmodi sive in mare, sive in piscinam hydrophobi proiectionem tam incertum, ac plenum periculi auxilium afferre (§. 1241.) ut nesciam iis assentiri, qui saltem credunt in hydrophobia incipiente praestiturum facile id, quod in confirmata haud potest.

1744. Thermale illud Nuperiores balneum vocant, quod sponte calentes e terrae sinu emersi fontes largiuntur. Qui quidem cum praeter varium gradum caloris, quem inter vigesimum septimum, et quadragesimum (paucis exceptis, quibus maior, vel minor est) generatim habent, secum plerumque advehant principia fixa, aut volatilia, aut utraque simul aptissima ad proprias, ac valde salutares vires edendas, balnea largiuntur, quae reliquis ex pura fervida aqua paratis, tepidis, calidisve, singulari virtutis, atque usus ratione antecellunt. Praeter illas quippe facultates, quas iam dixi balneo aquae dulcis tepido, aut calido competere, cum alias agnoscant a medicatis

qui-

quibus plus, minusve abundant, elementis non possunt sane non eas in humanum corpus exerere. Maxime vero quia pleraeque Thermales aquae ab hisce principiis eam quoque proprietatem accipiunt, qua uberius, et promptius avocent, et penetrent, ac cuti mollitiem reddant, quin ullum laxitatis, et debilitatis incommodum afferant, imo utramque tollant, atque externis, interioribusque corporis partibus robur facile impertiantur.

1745. Quae quidem Thermae cum natura, proportione, et copia elementorum, quibus coalescunt, inter se non parum differant, oportet, ut virium quoque ratione plurimum differant. Atque eiusmodi discrimen ideo maius esse nostra aetate evictum fuit, quia Chemicorum industria detexit plerasque Minerales aquas tum frigidas, tum calidas, non a solis principiis fixis, aut ab iisdem calore, aliave caussa in summam tenuitatem resolutis suas proprietates, ac vires agnoscere; sed istas modo omnes, modo praecipuas ab iis accipere gasticis fluidis aeris formam habentibus, quae eaedem Aquae intime consociata vehunt. Ex eo nimirum, quod neque idem gas, neque unum, at interdum multiplex, Mineralium aquarum compositionem ingrediatur, ex huius etiam principii dissimilitudine novae, ac complures in iisdem medicatis fontibus differentiae constituantur necesse est.

1746. Hinc sequitur, ut hodie Therapeutae doceant, non tutam esse rationem antehac servatam, qua olim Thermales aquae

in quatuor tribuebantur genera, nimirum in Simplices, in Salinas, in Sulphureas, atque in Martiales; tum iuxta eiusmodi divisionem generatim ita earum vires constituebantur, ut speciatim dicerentur primae naturaliter calidae validius penetrare, ac reliqua commoda certius afferre ipsis aquis arte calefactis; secundae potenter resolvere, aperire, atque educere; tertiae efficacissime abstergere, ad cutem avocare, et plura solidarum, fluidarumque partium vitia auferre; ac postremae tutissime roborando, atque adstringendo laxitatem, debilitatemque tollere, ac corpus firmius reddere.

1747. Quare Mineralium Aquarum dissimilibus speciebus constituendis, earumque peculiaribus viribus, usibusque aestimandis aptiorem, tutioremque rationem Therapeutae nunc sequentur, si a recentioribus Chemicis, ac speciatim a Cel. FOURCROEO (*a*) prolatam divisionem, paucis mutatis, mecum amplecti voluerint. Nempe ipse non ita huius sententiae adhaereo, ut hactenus credam ex classe naturalium Thermarum, quas Medicina adhibeat, expungendas esse illas, quae Calidae simplices, et Saponaceae iamdiu a Medicis vocantur. Nam neque primae possunt cum aqua communi fervefacta confundi, postquam huic, ob magis dulcem, ac magis penetrantem qualitatem, valdopere praestare Ill. TISSOTUS evi-

(a) Elémens d'Hist. Natur., et de Chimie 1791. Tom. V. pag. 84.

cit (*a*); neque alterae, quas caeterum Cel. DUCHANOEUS fidenter admisit, ac saponis proprietatem ab *Alumina* seu Argilla accipere arbitratus est (*b*), ideo possunt excludi, quia adhuc licet dubitare utrum eiusmodi qualitas, ac medicata vis ab alumina, an ab alio quocumque principio in aqua delitescente proficiscatur. Ut istas siquidem Aquas a caeteris distinguam satis mihi est eiusmodi revera indolis adesse, inter quas in Lotharingia, quae Plombierii dicitur, celeberrima est, atque easdem tamquam valde efficaces, ac peculiaribus usibus opportunas spectasse TISSOTUM (*c*), quem sequi tutissimum est.

1748. Itaque praeter modo propositas Aquas erunt huius loci, ubi saepius indicatum habeant caloris gradum, *Acidulae calidae*, ipsae quoque instar earum, quae frigidae sunt, alcalinae; *Salinae sulphuricae*, et *Salinae muriaticae*, quae ob varias sulphatis et muriatis species inter se admodum differunt; *Sulphurosae simplices*, et *Sulphureo gasosae*, quae a BERGMANNO Hepaticae vocatae inter se omnino discriminandae ob sulphurum alcalinum, aut calcarium, atque ob gas hydrogenum Sulphuratum FOURCROEO (*d*) videntur; et *Ferrugi-*

(*a*) Op. cit. pag. 393.

(*b*) Essais sur l'Art d'imiter les eaux minérales. a Paris 1780.

(*c*) Op. cit. pag. 394.

(*d*) Op. cit. Vol. V. pag. 81.

neae simplices, *Ferrugineae atque acidulae*; ac *Ferrugineo Sulphuricae*, quae quidem Martiales aquae in tres ideo species ab eodem Praestantissimo scriptore seiunctae fuerunt, quia non leve inter easdem discrimen occurrit. Nam aliae, cum ferrum excedentis acidi carbonici copia solutum contineant, sapore acidulae acri etiam gustu mordent, quaedam ob nullum eiusmodi acidi excessum acidulae gustantibus non apparent, ac denique nonnullae sulphatem ferri vehunt. Caeterum abs re non erit monuisse cum eodem FOURCROEO in Martialibus Aquis cretam, sulphatem calcis, ac varias muriatici salis species una cum ferro occurrere.

1749. Ab hoc igitur multiplici Thermarum genere commodum Medicis comparatur, quo aegris queant aptius subvenire. Quoties enim eam speciatim aquam ad balneum eligant, quae, dum sudorem molitur, propria sua facultate possit reliquas mutationes, quibus infirmus ad sanitatem recuperandam prorsus indiget, facile afferre; toties hunc longo etiam, ac gravi morbo conflictatum uno aquae beneficio celeriter, atque iucunde persanabunt. Quamobrem iis, qui Medicinae studiis incumbunt, suntque eam bene docti aliquando Populo facturi, auctor esse soleo, ut quae ad Medicinalium fontium pertinent historiam, ex qua eorum discrimina, ac cuiusque vires, atque usus eruantur, diligenter ediscant, tum speciatim quae sunt illius regionis, in qua cupiunt salutarem Artem profiteri.

1750. Nempe iam habent cultiores quaeque Europae Gentes eximios Mineralium Aquarum tum calentium, tum frigidarum Scriptores, qui novis Physices, et Chemiae rationibus adiuti cuiusque medicatae Aquae evoluta principia, ac vires experientia firmatas tam accurate, absoluteque nuper exhibuerunt, ut eos consulere idem sit, ac speciales cuiuslibet aquae facultates, atque usus intelligere. Quo quidem docentium commodo neque Italiae Medici carent. Nam, ubi illa etiam negligantur, quae ante hocce seculum de Calidis, Frigidisque Aquis, et Balneis abunde ad rem medicam pertinentia prolata fuerunt, complura diligentius conquisita, ac firmius constituta, paucis ab hinc annis edita sunt. Quod enim adiumentum in hac re attulerunt Germanis Celeber. Viri CRANTZIUS, BERGMANNUS, WESTRUMBIUS, CRELLIUS, aliique, Gallis aeque Clar. VENELIUS, THOUVENELIUS, CARRERIUS, LASSONIUS, LEROEUS, NICOLAS, ac FOURCROEUS, caeterique, et Anglis CAVENDHISCIUS, PRIESTLEYUS, DONALDUS MONROUS, aliique non pauci, Italis quoque doctissimi Medici, ac Chemici praestiterunt.

1751. In horum sane censu potissimum enumero, quin tamen reliquorum meritis quidquam detraham, Cel. ANDRIAM ob illustratas utriusque Siciliae Minerales aquas (*a*), Ill.

(*a*) Trattato delle Aquae Minerali Napoli 1783.

BICCHIERAIUM ob absolutum, elegantissimumque editum de aliquot Mineralibus Hetruriae Aquis tractatum (*a*), Cl. pariter TOFANIUM ob caeterarum, quae in eadem Provincia praesto sunt, Medicinalium aquarum analyses, quas nobis protulit (*b*), et Ill. SANTIUM ob revelatum id, quod in eximio COCCHII libro de Pisanis balneis circa principia Chemici nuperiores quaerebant (*c*); Cl. DUCCINIUM ob Lucensium fontium post BENVENUTI, aliorumque labores principia exposita; Celeb. MALACARNIUM, GIOANNETUM, et IOUBERTIUM ob tradidam historiam de Pedemontis, et Sabaudiae praecipuis medicatis fontibus (*d*); tum Ill. MANDRUZZATUM, LORGNAM, et PASTAM ob iure probatissimos editos tractatus de iis Aquis mineralibus, quas Patavinis, Veronensibus, et Bergomatibus provide natura largita est (*e*); tum denique municipem meum, atque amicum doctrina, et artis usu Praestantissimum MATIUM ob prolatas nobis analyses Mineralium omnium Aquarum, quae in tota Italia Medicinae usibus inserviunt (*f*).

(*a*) Dei Bagni di Montecatini. Firenze 1788.

(*b*) Opuscoli Chim. e Fisici di BERGMANN tradotti con aggiunte, e note. Firenze.

(*c*) Analisi delle Acque dei Bagni Pisani, ec. Pisa 1789.

(*d*) Delle Terme di Acqui. *Des Eaux de S. Vincent, etc.* 1779. *Des Eaux de Vaudier* 1793.

(*e*) Dei Bagni di Abano. Pad. Vol. 1. 1789. Vol. 2. 1793. Delle Acque di Ricoaro. Verona. Delle Acque Miner. del Bergamasco.

(*f*) Manuale di Chimica di BAUMÈ.

1752. Ut isti siquidem labores in maiori nunc pretio habeantur, quam alias haberi potuissent, insigne subsidium postulat, quod iidem Chemicis, Medicisque afferunt ad propius, certiusque Minerales quaslibet aquas iis praesertim locis arte imitandas, quae tanto naturae beneficio careant. Haec enim imitatio a GALENO, aliisque Veteribus non praetervisa, atque ab HOFFMANNO non raro tentata, imo commoda, atque utilis observatione evicta, utilissima dein, ac saepe necessaria nostra aetate demonstrata est. Nempe evolutis, ac prorsus declaratis tenuissimis, fugacissimisque elementis, quae prae reliquis fixis principiis Mineralibus aquis, sive frigidae, sive calidae sint, medicatam potentiam tribuunt, cura imprimis Illustr. CAVENDISHII, BROWNRIGII, PRIESTLEY, REVELLII, MACQUERII, atque ACHARDII, tum methodis, ac regulis in earum imitatione sequendis provide inventis, ac constitutis, studio potissimum PRIESTLEY, BERGMANNI, et DUCHANOEI, expeditissimum nobis iam est levi opere, ac tenui pretio artificiales cuiusque generis Aquas componere, quae Naturales virtute attingant, imo istis maiori commodo, aliisque caussis interdum praestent. Ego quidem ita arbitror, cum in quamplurimis morbis curandis iisdem Aquis usus hic loci sim pari adhuc felicitate, ac alibi summi Viri BERGMANNUS, PERCIVALIUS, FALCONERUS, HULMIUS, INGHENHOUZIUS, caeterique eas usurparint; quemadmodum libro edito, qui sub praelo iam versatur, fuse ostendam.

1753. Interea iuvabit meminisse, ne quorundam opinione minoris fiat istud commodum ex artificiosa Mineralium aquarum compositione profluens, perperam eos contendere ad calidas aemulandas aquas ipsum non extendi. Quod enim docent ope machinularum, quibus aquae vulgari mineralis cuiuslibet principia, qualitates, ac vires tribuimus, possibile non esse tantam huiusce copiam facile, ac prompte assequi, quae Balneo totius corporis sufficiat, id iam nequit concedi. Quandoquidem eo apparatu, quem Cl. HAYGARTHIUS invexit, atque ante me Cl. TOFANIUS probavit (*a*) eam licebit cuique sibi comparare iusto, constantique caloris, ac virtutis gradu praeditae Aquae quantitatem, quam universale balneum postulat.

1754. Sed praeter adducta Balneorum genera animadversionem sibi vindicat illud, quod Vaporosum audit, cum non ipsam Aquae massam, at eius vaporem vi caloris resolutum, qui facilius cutem permeet, atque interiora subeat, corpori admoveat. Caeterum hoc quoque in Simplex, et Compositum, atque in Universale, ac Partiale solet discriminari. Simplex est quod e sola aqua assurgens vapor largitur, quemadmodum idem ex ea cum aceto, vino, huius spiritu, aliisve medicatis rebus, liquoribusque admixta erumpens Compositum praebet. Istud vero etsi priori prae-

---

(*a*) Op. cit. Diss. delle Acque Min. calde.

praestare interdum queat, neutrum tamen, animadvertente apposite MACQUARTIO, discrimine vacuum, vereque utile, ac quibusdam morbis vincendis idoneum, unquam est, nisi calor tam accurate dirigatur, ut vapor calore lenis, et tenore aequalis facile penetrare, atque efficaciter agere possit, quin cutem mordicus irritet, urat, aut aliter laedat.

1755. Universale vero eiusmodi balneum, in quo vapor vel totum corpus, vel ipsum capite excepto debet percellere, ut rite suscipiatur, aptam cellam requirit, quae vaporem, qui indesinenter effundatur, vel subinde renovetur, cuti proxime applicet, aut potius indiget ad id aptissimo machinamento, quod ad meliorem, et cuique commodam huius balnei administrationem Cl. ALBERTUS invenit, ac superioribus annis, ut aegro cuique auxilio esset, Lutetiae Parisiorum construendum curavit. Partiale autem balneum affert utique vas quodvis idoneum aqua repletum, quae satis continuatum vaporum efluvium emittat, quando insignis aliqua corporis pars eis obiicienda sit; at quando perexigua illius particula, praesertim in uno veluti puncto, calidi vaporis actionem debet experiri, exigit instrumentum eo elaboratum modo, quo receptum inferius vaporem ex augusto orificio superius effundens iusto loco admodum densum, ac proinde efficaciorem impellat.

1756. Atque hisce profecto rationibus tutissimum erit Clinicis Vaporosum balneum crebrius, quam soleant, tentare sive ad avo-

candum sudorem, quem potenter elicit, sive ad quamvis aliam ex eo utilitatem aegris procurandam. Etenim qui Partiali, modo simplici, modo composito Vaporoso balneo vix unquam utuntur, magno carent auxilio, quo Antiquiorum methodum sequuti Nuperiores Proceres Artis in chronicis capitis, oculorum, aurium, narium, dentium, faucium, vaginae, uteri, atque intestini recti passionibus, in artuum contractura, ac flexilitate sublata, in externis tumoribus, atque in exosthosibus, morbi lenimen, aut etiam salutem suis aegris passim attulerunt. Quare, cum certis solum partibus applicitus humidus vapor tanta efficiat, consonum videtur existimare non minus emolumenti eum allaturum esse universo corpori admotum, ubi ista medendi ratio inveteratis cutis, aliarumque partium morbis, in quibus calidum, tepidumque balneum, generatim licet utile, tamen non profuit, crebrius instituatur, atque ad alias tum arcendas, tum sanandas aegritudines consulto administretur.

1757. Cum igitur iam evicta sit utilitas, quam Universale etiam balneum rite susceptum in tuenda, restituendaque valetudine affert, ego quidem caussam non invenio, ob quam eius usum Medici nostrates generatim refugiant. Nam qui ei ideo repugnant, quia observant antiquiores Graeciae, ac Latii Medicos, dum partiali vaporoso balneo ad medendum crebro utebantur, eodem universali nunquam usos fuisse, neque aequam caussam, qua ab utili curationis genere abstineant, neque veram for-

tasse rem in medium adducunt. Qui enim acriter defendunt solo humido calentis aquae vapore sudorem provocare, atque alia commoda corporibus afferre Veteres non consuevisse, mihi videntur, quod eorum testimoniis adversatur, inconsiderate defendere. Nam licet concederem de huiusce balnei modo aperte eos non loqui, quae tamen ipsi de quibusdam Thermis, ac Calidis naturaliter locis commemorant, e quibus nostra adhuc aetate calens humidissimus vapor iugiter, et copiose erumpit, ex quo totum corpus sudoribus facile diffluat, quae passim indicant de vaporosis Balinearum fontibus, earumque locis humido aere repletis, imo nebulis, densaque vaporis caligine obsitis, quaeque tradunt de ingenti calidae Aquae copia, quam et solia perampla, et valde capacia miliaria vasa ad eam calefaciendam destinata continebant, eiusmodi sunt, ex quibus liceat coniicere neque Veterum Medicinam commodo caruisse, quod calidus humidus vapor totum corpus proxime, aequaliter, valideque attingens recte utentibus largitur.

1758. Verum non est quod laborem, si ex istis, ex Vaporarii voce, atque ex ipsa Vitruvii Balinearum descriptione potius eruere malint nonnulli Graecos, et Latinos in balneum calidum cum descenderent exhalantis humidi vaporis beneficium una percepisse, quam concludere, eos revera vaporibus a fervida aqua emissis, ac distincto loco exceptis seiunctim a balneo usos fuisse, ut a labore,

ab aestu, a siti, a contusionibus, atque a febre ex nimia exercitatione orta levarentur. Mihi enim satis est, spectata Vaporosi universalis balnei efficacitate, atque iam evicta eius ab Angliae, et Galliae Medicis nostrae aetatis in morbis quibusdam arcendis, curandisque utilitate, nostrates etiam Clinicos allicere, ut eiusmodi quoque medendi genus tum ad sudorem evocandum, quem potenter movet, ac diu protrahit, ubi quis, cute abstersa, calidum lectum petat, in eoque, quantum expedit, maneat, tum ad quamvis aliam aegris, aut sanis idoneam mutationem procurandam, quoties expediat, caute quidem, at fidenter adhibeant.

1759. Caute, inquam, quoniam non is sum adeo imprudens, qui velim eius usum indiscriminatim proponere, aut hic, aliisve Italiae locis tam saepe opportunum existimare, ut apud Moschos, et Finlandos esse generatim solet. Non me siquidem latet quam insigne inter horum, nostrorumque corporum proprietates discrimen ex regione, soli natura, vitae genere, victus ratione, consuetudine, aliisque caussis ortum intercedat. Ex quo fit, ut hi Septentrionales Populi istud balneum conservandae, restituendaeque valetudinis caussa, et passim adhibeant, et eius vim excitantibus, calefacientibusque potionibus sumptis augeant, et eiusdem vaporis ob iteratam quovis quinto saltem horae minuto super ignitos, candentesque silices, ac lapides frigidae affusionem renovati ad sudorem eliciendum potentiam

facile sustineant, et ob vim consuetudinis horae saltem spatio experiantur, licet calor quadragesimum quintum gradum interdum attingat, aut etiam paullo superet, et ob virium robur post frictionem sapone, Tiliaeque ramis peractam, (nisi calefactum lectum petant quo sudor adhuc trahatur), ac post tepidae aquae lotionem, non levem huius frigidae copiam situlae ope capiti affundant, imo in rivulos, aut stagna frigidissima se proiiciant, atque in iisdem natent, aut in nive volutentur, istaque omnia impune ferant, utiliterque suscipiant, quae generatim neque commoda, neque gravi periculo vacua nobis essent.

1760. Ergo ubi Vaporosum balneum experiri utile, aut necessarium videatur, quisque prudens intelligit nec tanto gradu caloris utendum esse, nec moram in eo ultra viginti, aut triginta horae minuta esse trahendam, etiam si aeris, ac vaporis frequens renovatio, ob quam Moschorum balnea, ut SANCHES recte monuit (*a*), magnopere praestant, studiose curetur, nec horum regulas, ac consuetudines temere ad nos traducendas esse. Quod quidem postremum disserens de Balneis, cum in universum perspicerem, arbitratus sum nullam caussam praesto esse, ob quam deberem quae apud alias Gentes sunt Balneorum discrimina cum non mediocri etiam usus, rationum, prae-

(*a*) Memoire sur les Bains des Vapeur de Russie inserée dans les Memoires de la Societé de Medicine 1779.

ceptorumque varietate coniuncta hic loci proponere. Praesertim cum ea, quae ad praecipuas Balneorum differentias iuxta varios Gentium usus pertinent, cognoscere quisque facile possit, qui una voluerit illa conferre, quae idem SANCHES de Moschorum balneis, et TIMONIUS de iis tradunt, quibus passim Turcae utuntur, ac SAVARIUS, et ANQUETILIUS circa Aegyptiorum, Indorumque balnea nuper retulerunt.

1761. Hisce igitur praeteritis rectius sermonem deducam ad eam balnei speciem, quae ad tepidum, calidum, ac vaporosum etiam balneum pertinet. Eam nimirum intelligo, quam Stillicidium, aut Embrochen vocatam cum alibi proponerem (§. 638.), dixi Aquam vel simplicem, vel thermalem, vel medicatam toties suppeditare quoties eadem ex alto guttatim, aut indeficienti rivo in aliquam corporis partem depluat, ac maiori vi, aut minori impingat. Haec siquidem medendi ratio praeter effectus valde salutares, quas emolliendo, discutiendo, et resolvendo exerit in tumoribus, caeterisque indurationibus, atque in humorum congestionibus, ac praeter roborantes vires, quas frigida, maximeque martiali, aut apte medicata adhibita aqua in fibrarum cuiusque generis debilitate, et laxitate utiliter explicat, quando certo praedita gradu caloris diu, copioseque in partem aliquam irruit, sudorem ita avocat, ut eadem ad remedia, quae ipsum generatim eliciunt, iure pertineat.

1762. Iam vero huic medendi rationi solent aliam Therapeutae subiungere, quae aegris corporibus fit apte impositis naturalibus Thermalium Aquarum subsidentiis, quae vulgo Thermarum sedimina, aut Luta vocantur. Horum quippe virtute, ubi laborantibus membris et rite, et saepius applicentur, vel antiquitus Medici cognoverant quod nostra aetate passim experiuntur, nempe artuum debilitatem, difficilem, aut prohibitam flexionis, ac motionis libertatem, et multiplex vitium rigiditatis, contractionis, imminuti, aut sublati sensus, ac deficientis nutritionis, quod maxime ab inveterata rheumatica, aliave humorum labe, ab imperfecta anchylosi, atque a praegressa paralysi originem duxerit, non raro tolli, imo interdum discuti, ubi caetera prius tentata intus, exteriusve remedia haud profuerint.

1763. Quam profecto Lutorum efficaciam cum nuperrime ostenderit Cl. noster BRUGNATELLIUS (*a*) in quibusdam Thermalibus aquis pendere a Sulphureto calcis, quod eadem Luta ad duas tertias circiter continent cum una parte ex terra, et reliquiis corruptarum plantarum ad Cryptogamas pertinentium; ostendit quoque tutissimam Medicis viam, quam ad naturale eiusmodi Lutum arte aemulandum inirent. Veruntamen cum istud auxilium roborandi potius, et discutiendi fine adhibeatur,

---

(*a*) PASTA Acque Min. del Bergamasco pag. 67.

quam sudoris eliciendi caussa, ac Lutum praeterea, quo ad vires, atque effectus, propius indolem, et vim sequatur Mineralium aquarum, e quibus sponte subsedit, non est quod de eo hic loci ulterius dicatur.

1764. Potius dicam de alio remedii genere, quod Luto virtute aemulum sudori praeterea movendo aptius plerisque videtur, scilicet de Vindemiarum foecibus, Vinaceis vulgo dictis, quae praegressae fermentationis calorem cum adhuc retinent, vel uni, vel pluribus humani corporis partibus instar balnei admoventur. Hoc quippe auxilium in debilitate, in paralysi, in pertinaciori rheumatica passione, atque in aliis inveteratis artuum morbis non minus ut stimulans, penetrans, motum humorum incitans, ac discutiens remedium, quam ut sudorem ob gas, quod caloris actionem auget, largiter proliciens saepe profuisse quidam magni nominis Clinici perhibent, atque inter eos TISSOTUS speciatim docet felici experientia suffultus, cui mea etiam observatio plane respondet. Saepius enim quam infirmis eram pollicitus haec medendi methodus iis prospere cessit, sive brachia, aut suras, et pedes pro re nata in faecibus mergerent, sive inguinibus tenus in iisdem certum temporis spatium quotidie singulis diebus transigerent. Ne siquidem in eiusmodi balneo totum corpus demittatur, neve, cum aliqua in eo particula detinetur, id fiat vase, quo Vinacea continentur, aperto Clinicorum observata commonefaciunt, quae in utroque casu ab erum-

pen-

pente gastico facile lethifero aere metum subesse nos iure docent, ne instar deterioris cuiusque mephitis repente occupatus aeger gravi confestim morbo laesus, aut in vitae discrimen adductus negligentiae suae, aut Artificis imperitiae poenam luat.

1765. Huius praeterea loci censentur quaedam aliae medendi rationes, quae in Veterum Medicina iam admissae, atque hodie, nisi omnes, saltem aliquae, sudori praesertim avocando idoneae iudicatae Balneorum nomine improprie veniunt. Eiusmodi sunt, quae Balnea Terrae vocantur, ea nimirum praestita ab arido, atque arenoso solo ita defosso, ut in ductam caveam aeger demissus, ac terra dein tectus, capite excepto, quaquaversus aequaliter compressus Solis vim experiatur. Profusus enim hoc modo sudor cacheticis, hydropicis, arthritide, et rheumatismo diu occupatis, phthisicis, viperarum, aliorumque animalium venenato morsu laesis, atque alia lenta, et chronica passionae detentis valde utilis, ac curationi non raro idoneus et olim habebatur, et a quibusdam adhuc habetur. Sed qui animadvertat hanc medendi methodum nullum singulare actionis principium exerere, gravi incommodo obnoxiam esse, imo expectationi raro admodum respondere, Nuperioribus non succensebit qui ab ea perpetuo abstinendum esse mecum iudicant.

1766. Neque altera sicci, calidique Balnei species, quam Insolatus Veteribus afferebat, qui solebant uncti nudum corpus ad So-

lem exponere, pluris nunc fit, imo a prudentioribus prorsus reiicitur. Etsi quippe concedatur aegris, qui vel modo propositis morbis laborarent, vel obesitatis incommodis obnoxii essent, Solis ardores, quovis noxio humore discusso, atque abunde, prompteque e cute elicito, auxilium afferre potuisse; quisnam est qui non videat id experiri nec necessarium esse, cum sicci caloris laesis partibus admovendi alia aeque efficax ratio nobis suppetat, nec vacuum revera periculo cum ab Insolatu, ut Ill. TISSOTUS maxime observat, gravissima male facile cuique immineant?

1767. Ex hac quidem duplici caussa neque illud adhibendum amplius volunt Clinici, qui prudentius se gerunt, Arenae balneum, quod Veterum consilio aegri, tum arena prope maris litus solis ardore calefacta nudum corpus, aut aliquam partem obtegendo, tum in ea sese volutando non raro suscipiebant, ut alterutro modo, (qui nunc sicci caloris, nunc huius ac simul frictionis beneficium afferret), sudoribus diffluerent, atque ab inveteratis persaepe morbis convalescerent. Itaque hisce, similibusque hodie relictis praesidiis, ac vix laboranti corporis parti, cui expediat, interdum calidis Cineribus impositis, vel calefactis, ut iam dixi, (§. 1722.) silicibus, excoctisve lateribus ei pro re nata admotis, Nuperiores Therapeutae potius quaerunt a Clinicis, ut experiantur num speciales vires cum tutissimo usu coniunctas Salia, aut alcalica, aut media, apte calefacta, ubi pluribus parti-

bus imponantur, in quibusdam morbis edere queant.

1768. Ut autem ad hanc Calidi salis adhibendi rationem antiquitus admissam, ut ex CELSO maxime patet (*a*), iterum tentandam Medici alacriter nunc contendant, monebo eam oedematosis inferiorum artuum tumoribus ex laxitate, ex retenta cutis expiratione, atque ex imminuta urina ortis discutiendis valde idoneam iam apud nos visam esse. Etenim Cel. SCOPOLIUS Salibus praesertim usus, quae aquam potentius ob affinitatem attrahunt, eiusmodi oedemata non semel perbelle sustulit. Cuius profecto Viri auctoritas nisi illa firmasset, quae nonnulli Medicinae Scriptores ad istius auxilii pretium declarandum alias protulerant, de eius usu, veluti nimis ancipiti, nihil proposuissem: quemadmodum alio loco ne attingenda quidem duxi Balnea aeris, eorum inutilitate abunde perspecta. Audieram enim a Summo Praeceptore BURSERIO (quod et candide testari, et saepe monere solitus erat), haec Balnea a quibusdam Exterarum Gentium Scriptoribus, clari licet nominis, ad medendum proposita in Italia postea ad conservandam, restituendamque valetudinem studiose tentata non bene cessisse.

1769. Sed ad sudorem sicco calore avocandum praeter indicata subsidia a Sale, Arena, Milio, similibusque rebus calefactis, aut

(*a*) Lib. II. pag. 86.

a Solis ardore petita, alias aptissimas rationes a Veteribus accepimus. Quas quidem complexus est CELSUS (*a*), cum Fomenta quoque calida esse monet, si minori vi opus est, etiam sola lintea calefacta, ac si maiore, extinctos titiones, involutosque panniculis, et sic circumdatos, quin imo calido oleo repletos utriculos super id membrum, quod fovendum est, apte collocatos; tum tradit idoneum calorem esse vel Laconici, vel Clibani, vel quarundam naturalium Sudationum, quales maxime utiles, et siccas super Baias in myrtetis terra profusus calidus vapor, atque aedificio inclusus tunc temporis afferebat, ac nunc aliis etiam Italiae locis, ac praesertim utriusque Siciliae, e siccis quibusdam Cryptis emissus suppeditat.

1770. Naturales vero istas Sudationes cum minus commode referret Clibanus, licet eius amplitudinis, ut ad sudorem, depositis vestibus, e nudo corpore eliciendum aptus esset, propius imitati sunt Veteres sicco calore ex igne in ea cella recepto, quam Laconicum dixi, (§. 1725.) sic nempe vocatam a Laconibus, qui extructa hoc modo sudatione frequenter utebantur, ut crudum humorem coquerent, inutilemque, aut nocuum e cute extruderent. Qui quidem locus, Assum quoque dictus, Clibano longe aptior eliciendo sudori, commodissimusque habebatur, quia, auctore

---

(*a*) Lib. II. pag. 86. et Lib. III. pag. 162.

VITRUVIO ab excitato igne sub vacuo, suspensoque pavimento, Hypocausto vocato, calor non sine flamma tubis inclusus in cellam perveniebat, summamque eius curvaturam, in cuius medio aderat foramen obstructum clypeo aeneo catena munito, quo remisso calor superius evectus aestum loci minueret, aut contra reducto inferius retentus eum intenderet.

1771. Atque hoc quidem modo cum expeditissimum esset idoneum cuiusque corporis rationi calorem experiri, et huius nimii molestiam prohibere, cumque praeterea tutum in Laconicum transitum efficeret prius ascitus in Tepidario remissior calor, merito Therapeutae arbitrantur Veterum Assas sudationes hodiernis Hypocaustis anteponendas esse. Saltem ita censent, qui obsoletam apud plerasque Gentes methodum hanc sudoris sicco, et calido vapore avocandi, non minus, ut secundae valetudinis praesidium, quam adversae remedium, eo magis dolent, quia probe perspiciunt eiusdem admittendae opportunitatem non raram esse. Eiusmodi quippe afferunt cruditates variae, polysarchiae periculum, excedens aquearum partium copia, ac singulares corporum naturae, propria quaedam actio remediorum, chronica cutis exanthemata, et deteriora quaedam eiusdem vitia, inveterati rheumatici affectus, inutiliter tentatae res aliae sudori movendo pares, aut huius uberioris efficiendi necessitas, illae hydropisis species, quas Laconico sublatas CELSUS, RIVERIUS, aliique testantur,

atque illae denique omnes aegritudines, ad quas antiquitus probatum istud medendi genus non minori utilitate nunc etiam ii Italiae Populi adhibent, quibus istae siceae et calidae Sudationes naturales sunt.

1772. Verum cum neque ista, neque quaevis alia hactenus proposita Balnei species possit unquam et tuto, et utiliter tum sudorem movere, tum salutarem quemque effectum edere, nisi opportune tentata, consulto etiam, recteque usurpetur; oportet nunc, sicuti iam pollicitus sum (§. 1734.), praecipuas observationes attingere, quas cuiusque Balnei usus sibi vindicat. Istas igitur ex Veterum, Recentiorumque praeceptis deductas ego quoque expediam, ita tamen, ut prius moneam ad Externa Sudorifera ipsum etiam Frigidum balneum, cuius vires, atque usus in secunda, atque in adversa valetudine aliis locis proposui (§. 485. 786, et seq.) a Therapeutis revocari. » Primo saltem aspectu, inquit Cel. GREGORYUS (*a*), valde dissentaneum videbitur frigus quoque inter remedia enumerare, quae » vel exhalationem per cutem promovere, vel » sudorem etiam elicere possint; res tamen » non eo minus vera est. Talis quidem frigoris effectus minime perpetuus est, scilicet » qui multum pendet a statu corporis, cui admovetur; robustis autem et validis, quae » id bene tolerare possunt, egregio saepe re-

(*a*) Op. cit. n. 1496.

» medio est. Sic multis haustus aquae frigidae
» sudorem aliquando movet, et usus balnei
» frigidi exhalationem per cutem insigniter
» promovet: nec desunt multae observationes,
» quae suadent, et homines nonnulli, qui te-
» stantur se fuisse expertos, aera frigidum
» (modo siccus fuerit) corpori libere admo-
» tum similes praestare effectus, iuvante prae-
» sertim idonea corporis exercitatione. Huius-
» modi frigoris effectus viribus eius stimulan-
» tibus, forsitan etiam roborantibus plane sunt
» tribuendi „.

1773. Profecto cuicumque referatur principio Balnei frigidi vis, qua sudori eliciendo expedire interdum queat, ad consueta eiusdem Balnei phaenomena pertinere iamdudum Physici, et Clinici repererunt, post primum illum, quam Aquae frigus repente admissum excitat horroris, tremoris, contractionis, anxietatis, ac deficientis roboris sensum, acceleratum pulsuum motum, caloris sensim evoluti incrementum, vires admodum erectas, respirationem maiorem, vividioremque factam, ac cutis demum exspirationem ab istis revera idoneis naturae motibus non mediocriter promotam. Accidit proinde, ut hicce iam incitatus erumpentis e cute humoris fluxus in eo, qui e balneo egreditur, persaepe non illico cesset, imo ulterius trahi possit, magisque evocari, quo universum corpus sudoribus difluat, modo idonearum vestium usu, modo lecti tepore, modo etiam apta, quae supervenerit, exercitatione. Cuius quidem ope Fri-

gidi balnei, etiam post irritum Calidi usum, utilissime avocati sudoris, qui postea aegritudinem iucunde, ac prompte discuteret, cum apud Clinicos plura exempla occurrant, nec ex propria observatione sumpta mihi desint; periti Artificis erit hoc etiam, ubi expedire videatur, ad humorem e cute detrahendum auxilium non negligere; quemadmodum prudentis est in omni casu caute, diligenterque adhibere.

1774. Quae vero in singulis iam propositis Balnei generibus animadvertenda sunt, tam multa quidem reperiuntur, ut vix potiora, perpetua, et communia a nobis hic tradi possint, reliquis praeceptis eorum observationi permissis, qui specialem, ut dicunt, Therapeuticen exponunt. Hi siquidem dum tradunt, non minus iuxta dissimiles corporum habitudines, ac proprietates, quam iuxta varias morbi cuiusque species quodnam in quovis casu proprie Balneum aut conveniat, aut alienum sit, et docent quae speciatim sint capitis, ac pectoris affectiones, quae viscerum inflammationes, quae febres, quae nervorum passiones, quaeque debilitatis, paralysis, plethorae, haemorrhagiae, cacochymiae, cachexiae, atque hydropisis singulares rationes, quibus balneum, et cuius revera generis idoneum futurum sit, (quod secus non minus nocuum censetur, ac suppuratione tentatis, ulceratis, phthisicis, atque in syncopem pronis esse perpetuo soleat), non omittunt regulas indicare, quas quisque in eiusmodi Auxilii usu privatim sequatur.

1775. Quoniam igitur a nobis illa solummodo exequi debent, quae Balnei cuiusque, maximeque sudori movendo idonei, tuto aggrediendi, satis protrahendi, recteque finiendi rationes generatim respiciunt, scire iam expedit, quod CELSUS monet, gravi tempore balneum, ac sudorem vitandum esse, quoniam haec, ut subdit LOMMIUS (*a*), corporibus partim dissipatis vires consumunt, partim rarefactis facilem aeri noxio ad viscera accessum praebent; tum quaedam interdum ex Medicorum consilio utrique utiliter praemitti, non frictiones modo, aut non absimiles Veterum consuetudini inunctiones, at illa etiam, quae vasorum plenitudinem imminuunt, haerentemque intestinis, aut stomacho alienam, et corruptam materiam sine virium detrimento, aut sine incommoda irritatione eliminant.

1776. Scire item iuvat generatim tutam esse eorum sententiam, qui tradunt provecto potius vere, aut aestate, quam autumno balneum, sive Frigidum, sive Subfrigidum tentandum esse; tum Tepidum, quod vel naturales Thermae, vel Maris aquae suppeditant, ac moderate Calidum, sive naturale, sive domesticum sit, aestate magis convènire, quamquam quod Tepidum proprie est, vel simplex, vel medicatum quavis tempestate conducat; ipsumque balneum, quod in mari, aut lacu, aut flumine suscipitur, non tam perpetuo commodum

---

(*a*) Comment. De Sanit. tuend. pag. 325.

esse paullo ante Solis occasum institutum, sicuti plerique censent, ut non etiam pro coeli, loci, ventorum, aliarumque caussarum discrimine alia diei parte usurpatum ob idoneam aquae temperiem aeque proficiat, imo commodius cedat. Caeterum qui credunt in universum ex ipsa aetate constitui posse aptum esse, veluti sanitatis praesidium, Balneum Tepidum infantibus, et pueris, Subfrigidum Adolescentibus, Frigidum iam Adultis, et Calidum, sive a lavacro, sive ab humido vapore praestitum Provectioribus, Senibusque, id sane perhibent, quod ob varium coelum, dissimile vitae genus, ac diversum corporis robur in maximas exceptiones venit.

1777. Perpetuum magis est, ac Veterum, Recentiorumque observatione firmatum quodvis Balneum, (uno interdum Tepido excepto, et quidem ab aegro, non a sano tamquam remedio admisso) ieiuno stomacho, atque eo a potu non minus, quam a cibo vacuo tentari oportere. Ita quidem, ut a lavatione arcendos voluerit HIPPOCRATES (*a*) qui non longo ante tempore vel ptisanae cremorem sorpserant, vel quippiam biberant, ac dixerit CELSUS (*b*) non quibusque fatigatis, at post fatigationem cibum sumpturis balneas convenire. Etenim non poterant isti, aliique Artis Proceres non probe cognoscere Calidum, aut

---

(*a*) De Vict. rat. in Morb. Sect. III.
(*b*) Lib. 1. pag. 22.

Tepidum balneum revera cruditatis, et obstructionis periculum afferre, aliisque modis nocere, cum vel ipsum Laconicum ad iam praesentes cruditates digerendas, et solvendas, atque ad ultimae coctionis reliquias dissipandas solummodo tutum haberent; tum non minus innoxium Frigidum balneum reputare, cum scirent a cibo, et potu proxime tentatum gravissimi morbi, mortisque caussam non raro attulisse.

1778. Quod si istis non levibus periculis, quae imminent saturis, addatur etiam, ubi haec neutiquam sequantur, tentati auxilii inutilitas, aut imminuta saltem efficacitas, maiori adhuc studio erit curandum, ne quis cibo, potuve onustus balneum ingrediatur, sed, iam absoluta coctione, suscipiat; quo nimirum tempore vasa corporis quaelibet humore minus distenta salutari aquae, et caloris actioni mirifice obsequuntur. Tunc enim, cum ocyus aqua cutem penetret, copiosior interiora subeat, atque ad quaeque permeanda paratissimam viam, ob auctam internam absorptionem inveniat, eiusdem sane virtute materiae vacuandae tenuari, cutis spiracula patefieri, obstructa diduci, tensa laxari, dura molliri, aut debilia, et laxa firmari facile, prompte, ac tuto solent.

1779. Unum igitur est Tepidum balneum, quod dixi in hac re aliquando exceptionem afferre, non quidem quia probe saturis, quibus inimicum est, convenire nonnunquam possit, sed quia a debilibus, gracilibus, atque exsuccis, et frequenti refectione, ob levem, quam sumunt,

cibi materiam, indigentibus tentari solitum, atque ad non mediocre temporis spatium saepe continuatum propriam animadversionem desiderat. Nempe istis non modo ieiunium ante balneum necessarium non est, sed saepius officit, quatenus eius beneficium impedit, aut longam, ut decet, in eo moram non permittit, aut vires, quas conservare opus est, enervat, aut denique sub ipso iam balnei initio aegri e solio protinus eximendi necessitatem facit, ne is animo linquatur, aliisve incommodis multetur. Quare istis conducit plerumque balneum ingredi vix duabus, aut tribus horis post levem cibum exactis, cuiusmodi esse solet, quod liberaliter educatis ientaculum praebet, imo interdum bene cedit, quemadmodum non semel vidi, si in ipsomet balneo, in quo duas, tresve horas, nec semel die, transigere debeant, si aliquid panis, aut levis cibi non avide sumant, aut quidpiam apti potus cyatho, aut fistula hauriant.

1780. Sicuti autem nonnisi stomacho a cibis vacuo, aut saltem iisdem non onusto Balneum prodesse vel ipsi vetustissimi Medicinae Professores intellexerant; studiose idcirco praecipere consueverant, quod adhuc communiter admittitur, matutinis horis, et meridiei proximis ipsum esse usurpandum. Sed eiusmodi quoque praeceptum, etsi ob alias etiam caussas satis obvias, atque a praegresso potissimum nocturno somno derivandas amplectendum generatim sit, ut tamen persaepe ab eo declinetur, non una caussa postulat.

Nam, ne dicam in morbis curandis Tepidarii siccum vaporem, maximeque Tepidum aquae balneum saepius intra diem aegris concedendum non raro esse, sunt qui Maritimum, vel magis Tepidum, vel moderate Calidum, sive in Thermis, sive domi ob civiles necessitates, aliasque caussas vespertinis horis pari emolumento adhibeant, nec desunt, qui ab hisce balneis mane, et vespere quotidie usurpatis par quavis vice beneficium experiantur. Quare latius, et iuxta commodius cuique videtur Nuperiorum praeceptum, quo constituunt ad balneum accedere quemque posse, quod vespere suscipere velit, aut iterato experiri, sicuti magnopere saepe conducit, ubi sobrie pransus ea, quae assumpsit, recte concoxisse cognoverit.

1781. Quantum praeterea temporis cuique Balneo dandum sit, ut sanorum, aegrorumque commodo satis ei datum videatur, non sine aliqua contentione adhuc quaeritur. Quod enim nonnulli habent eo minus temporis calidae, et siccae Sudationi, aut Balneo calido, et humido, aut huic Vaporoso concedendum esse, quo caloris vis maior est, vel haec sub illius usu intenditur, atque ad plures horas protractam Tepidi, sive sicci, sive humidi, caloris administrationem convenire; id aliis ob tam vagam rationem, quae nullam, quam certo sequamur, regulam exhibet, probandum non videtur. Isti vero quod docent Calidum humidum balneum, tum Vaporosum, ipsumque Laconicum non ultra quartam horae partem, aut, ubi remissior sit calor, vix ad semihoram

tuto suscipi, et Tepidi balnei (ne de Frigido, aut Subfrigido dicam quod alibi monui), ac Tepidarii usum ad unam horam, vel ad sesquialteram protrahi debere; ab iis pariter non admittitur, utpote regulam adeo determinatam exhibens, ut nimiis exceptionibus pateat.

1782. In hac sane re dissimiles corporum proprietates a coelo, a victus ratione, atque a consuetudine profectae, varia morborum genera, eorumque species, et caussae, ac diversa in iisdem Balneis admittendis Medicorum consilia insignem differentiam ponunt. Sic, ut unum tantum exemplum afferam, Tepidum balneum, quod ubi valde emollire, et relaxare conveniat ad tres etiam horas continuatum prodesse plerique Clinicorum fatentur, frustra ad tantum tempus protrahi nos monent, ubi humoris absorptionem curare maxime oporteat, quae fere omnis semihorae spatio perficitur, ac proinde docent tunc, ut huius augeatur effectus, aut iteretur utilitas, bis, terve intra diem idem Balneum adhibendum esse. Quare speccata rei difficultate ignoscendum Veteribus est, si generatim docuerint Balneis finem imponere faciei ruborem, venarum inflationem, vividum oculorum obtutum, arteriarumque validiorem, celerioremque motum, quibus sudor succederet. Nos enim vix possumus istis addere eo minus Balneis dandum esse, quo citius, et plenius expectati eorum effectus se exserunt, curandumque perpetuo, ne diutius adhibita, quae Calida sunt, anxietate, aurium tinnitu, vertigine, et animi deliquio accersitis,

plurimum noceant, aut, sudore nimium profuso, corpora utilibus humoribus privent, viresque conterant, neve quae Tepida sunt, praeter modum continuata ob nimiam inductam mollitiem, laxitatemque fibrarum, tantam imbecillitatem inferant, quae cum sensuum hebetatione pluribus morbis pateat, imo ne utraque haemorrhagiis, cachexiae, hydropi, et cerebri, nervorumque passionibus viam sternant.

1783. Quamquam neque ista sunt omnia damna, quae Laconico, aut Balneo male utentibus impendunt. Nam, praeter haec ab aestu, a nimia laxitate, ab exinanitione, atque a fracto corporis robore illata, aliis etiam, nec levibus plectuntur incommodis, cephalalgia, anxietate, convulsionibus, doloribus, et rheumaticis affectibus, aut febribus qui Balneo, aut Laconico usuri alterutrum vel imparati ingrediuntur, vel curae expertes relinquunt. Ex quo quidem utroque errore non levis etiam detrimenti est tentatum remedium aut nihil, aut parum saltem proficere. Quam ob rem, ut sine ulla noxa utrumque sudationis genus institui posset, riteque susceptum perpetuo prodesset, studiosissime Veteres cuncta curabant, quae potissimum impedirent, ne subito transitu in calidum, aut frigidum locum corpora laederentur, neve externis iniuriis obnoxia fierent. In hunc finem Balneum, aut Laconicum ingressuri, nisi in Sole exusti essent, quibus protinus in illud eundum erat, depositis iam vestibus, in ipso Apodyterio aliquan-

tisper versabantur, vel potius in Tepidario sedebant (quem temperati pariter caloris locum distinctum ab eo, licet proxime innexum, in Balneis quoque fuisse existimo cum Laconico perperam confusum) antequam in cellam calidi lavacri, aut in alteram calentis sicci aeris venientes in solium bene calidum descenderent, vel Laconici valido calori se obiicerent. Quando autem utrique satis datum cognoscerent ita egrediebantur, ut ab aqua, aut a sudore linteorum ope abstersi in eam balneorum cellam transirent, cuius idoneo calore et commodum esset sudoris beneficium protrahere, interdum etiam multa idonea veste corpori circumdata, aut frictione adhibita, aut apta potione sumpta, et simul tuto liceret strigilibus, spongiis, et linteis omnem sordem, humoremque detergere, atque oleo guttatim affuso totum corpus inungere: quod sudoris continuationem inhiberet, atque ab exterioris aeris iniuria communiret, in iis praesertim, quibus erat alienum a Calido in Tepidum, atque ex hoc in Frigidum balneum venire, aut in frigida Piscina innatare.

1784. Ex quibus intelligi facile potest quam optimo iure Therapeutae huius aetatis in hac re cautissimos esse Clinicos velint, adductis Veterum commodis praesertim destitutos, eorumque animis inculcare soleant, ut sanus homo, vel aeger in Hypocauston, aut in Balneum iturus, neutrum ingrediatur, nisi prius calore paullatim ascito maiorem ferre queat, atque ei satis, erumpentique sudori re-

sistere; ut plerumque a Tepido calente balneo initium fiat, praesertim, ubi sub primo aquae contactu summa cutis inhorrescat, sicuti paullatim debebit is frigori assuescere, ipsoque balnei tempore, cui gracili, atque admodum sensibili a Tepido ad Subfrigidum balneum transeundum sit; ut, dum cubiculi, quo balneum sumitur, salubritati, et omni metu nidoris, mephitis e carbonibus, ac cuiusque vitii ex aere sublato, et huius renovatione prospicitur, ne ad eum, qui usque ad genua, vel ad inguina, vel ad cervices in solio sedet, frigus aspiret; ut qui ex isto, aut ex hypocausto egreditur, omni humore rite absterso, in proximum temperati caloris cubiculum transeat, in eoque paullisper maneat, imo potius et melius, et diutius sudaturus calidum petat cubile, in quo, antequam cibum assumat, quiete etiam, et brevi somno reficiatur; ut denique e lecto assurgens curiose vestimentis involutus sensim minus calida loca petat, donec exteriorem aerem, a quo et incommodum frigus, et noxius humor absit, sine ulla noxa sustineat.

1785. Haec erant de Balneis, quae alicui fortasse nimia videbuntur, quamquam immerito. Nam haec pauca sunt, si multo maiora spectentur, quae circa hanc medendi rationem, atque usum in acutis passionibus, in febribus, et in chronicis morbis afferre ex Veterum lectione potuissem; sunt etiam, ni fallor, presse dicta, si conferantur cum iis, quae post SAVANAROLAE de Italiae Balneis, et BACCII de

Thermis peramplos tractatus nuperi Clar. Viri MARTEAUS (*a*), MARETUS (*b*), MACQUARTIUS, et MARCARDIUS (*c*) disseruerunt; suntque denique non inutilia de Antiquorum Balneis speciatim proposita, si possunt et Clinicos monere, ut eorum more non paucas aegritudines istis potius naturalibus praesidiis, quam pharmacis, simplicius, iucundius, ac tutius curent; et Principum, ac Magistratuum studia excitare, ut in Nosocomiis saltem, et Valetudinariis erectis, constructisque Thermarum, et Balinearum aptis aedificiis conservandae, restituendaeque Hominum sanitati providentissime consulant; et eorum denique animos commovere, qui praedivites, et splendidi magnifice vivunt, ut laxas, quas habent domus, aut ampliores aedificent, veterum Romanorum exemplo nobiliores reddant privato addito Balneo, quo non luxui, aut voluptati indulgeant, at suam, atque una Coniunctorum, Amicorumque valetudinem diligentius curent.

1786. Iam vero cum sim hactenus singula prosequutus, quae a Medicis Calidum regimen, ut loqui solent, constituere dicuntur, quaeque praebent auxiliorum cutis exspirationem, sudoremque moventium primum genus, quod Externa sudorifera exhibet (§. 1716. et

---

(*a*) Traité theorique et pratique des Bains d'eau simple, et d'eau de mer etc. Paris 1770.

(*b*) Mem. sur la manière d'agir des Bains etc. Dijon 1769.

(*c*) Op. cit.

seq.), ad alterum nunc expendendum accedo, quod a Vegetabilibus, Animalibus, et Fossilibus ducta, modo simplicia, modo praeparata, modo composita, modo multiplici arte elicita, atque immutata Interna Sudorifera complectitur. In quibus profecto recensendis, quamvis ex instituti ratione quaecumque cogar commemorare, quae in monumentis Medicorum legerim; ea tamen probabo, ac speciatim expendam, quae cum idoneos auctores habeant, sola inserere huic operi meo voluissem. Praesertim qui saepe experiar vel ista, tum a me, tum ab aliis Clinicis opportune adhibita crebrius, ac Vulgus existimet, expectationem eludere.

1787. Et re quidem vera ipsa Aqua calida, a qua dicere incipiam, utpote quae ore sumpta inter Sudorifera interna simplicior, potior, atque usitatior sudoris avocandi ratio habetur, quoties, exterioribus etiam adiuta iam propositis idoneis rebus, effectu non caret? Nempe eo interdum caret, licet iustum nacta sit gradum caloris, quo apte solet interiores corporis partes, ac stomachum maxime, proximeque ita afficere, ut vasorum, nervorumque potissimum consensu celeriores, validioresque redditi circumeuntis sanguinis motus, atque una incitatae, auctaeque exhalantium cutis vasculorum vires facile sudorem determinent, ac copiose exprimant; licet pariter exiguis quidem, at crebris, ut decet, haustibus sumatur, quo tam saepe repetito stimulo

aeque renovata stomachi actio incitatos iam motus sustineat, atque intendat; licet denique et magis idoneo morbi tempore, et diu, eaque etiam copia detur, ob quam sat multa in sanguinem influens alias quoque mutationes posset inferre, quae invitando, augendoque sudori aptissimae censentur.

1788. Nimirum ob dissimiles corporum naturas, et consuetudines, atque ob diversas, morborum species, eorumque caussas evenit, ut istud ex epota calida aqua auxilium, quod cum diaphoretico regimine adhibitum ad sudorem movendum generatim valet, parum, aut nihil interdum respondeat, dum contra oppositum remedii genus conducit. Occurrunt porro quidam bene valentes, aut aegri, ut (§. 1772.) alibi monui, qui emolumentum istud, quod eis creber Calentis aquae potus nequit afferre, facile, ac plene percipiant a Subfrigidae potione, eoque maius, quo studeant amictuum, vestium, et lecti calore motos sudores diligentius promovere. Ex qua observatione cum declaratur ipsum quoque Frigidae aquae potum a rebus, quae intrinsecus sumptae sudorem movent, prorsus excludendum non esse; illud etiam intelligitur perperam nonnullos Calidae aquae frequenter haustae actionem externo calore promotam, ut vere, absoluteque specificum Sudoriferum olim spectasse, cui proinde concederent virtutem, quam ego in nullo remediorum genere hactenus detectam invenio.

1789. Porro Stirpium recensionem aggrediens, quae ad Interna Sudorifera pertinere

dicuntur, inter Coniferas iam nullam reperio, quae ad sudorem pellendum multi facienda sit. Quamvis enim ex iis pene singulis, quarum alibi memini (§. 1603. et seq.) ob resinam potissimum, quam continent, desumpta folia, et ligna calido servato regimine adhibita sudorem invitare possint, ac speciatim ob maiorem stimulum tunc possint, quae ex iisdem praesto sunt Resinae liquidae, aut siccae, Balsama, Olea, et Spiritus; attamen et minori adhuc efficacitate, et maiori incertitudine sudorem pellunt, ac dixi urinas ciere, ubi sub contrario, nempe frigido, ut loquantur, regimine propinentur. Hinc etiam duo illa, quae ad praeparata Coniferarum remedia spectant, Picis infusus, aut Aqua picea BARKELEY (§. 1614. 1615.) et Roob Iuniperi (§. 1618.), quorum viribus sudorem avocantibus plerique olim non parum tribuebant, vix quorundam fiduciam adhuc retinent.

1790. Ex Amentaceis vero quae sudoris movendi caussa video proponi, neque ex Medicorum usu deprompta reperio, si perpauca excipiantur. Nam revera, ubi excipiam mediocriter excitasse sudorem hic loci adhibitum decoctum ex cortice fructus exteriore viridi *Iuglandis regiae* seu Iuglandis cum aqua paratum, cui exterius usurpato in variis ulcerum speciebus, tum interius in rebellibus syphilidis affectibus Cel. HUNCZOWSKYUS multum tribuit, ut eiusdem corticis extractum Syphiliticis utile Ill. Eq. BRAMBILLA iamdiu credi-

derat (*a*) ubi id, inquam, excipiam, reliqua solos ex Populo auctores habent. Sunt eiusmodi, quae audio Vulgum apud nos de eiusdem *Iuglandis regiae* cortice fructus exteriore post tostionem contrito, ac de florum Spicatorum pulvere cum vino sumpto, veluti potenter sudorem avocante, olim sensisse; tum apud Brunsvicenses eundem credere de pulvere glandum *Quercus roburis* seu Quercus (§. 746. et 1621.) ex quo cum Cerevisia calide epoto sudorem in lecto elicere tentant, qui erysipelatem discutiat (*b*); ac demum apud Svecos de viribus foliorum *Betulae albae* seu Betulae (§. 1612.) existimare: quibus, inquit MURRAYUS „ euporiston contra arthritidem, et rheu„ matismum est, sternere foliis lectum, in quo „ aeger totum corpus, praeter caput, foliis „ obtegit; unde paullo post sudor abundan„ tissimus erumpit, pluribusque levamen con„ tigit (*c*).

1791. Fac interea haec vera esse; merito adhuc quaeras, utrum propriam earundem rerum sudoris proliciendi qualitatem satis arguant, qua ad Interna sudorifera iure debeant revocari, an potius notam Vini, et Cerevisiae potentiam, atque irritationem a foliis Betulae cuti solummodo praestitam significent. Ut prae-

---

(*a*) Abhandl. der Medicinisch-Chirurg. Acad. zu Wien Vol. I. pag. 237. et seq.

(*b*) LANGE Verit. misc. pag. 88.

(*c*) App. ed. 2. Vol. I. pag. 118.

terea inter easdem Amentaceas de opportunitate adhibendi, ut sudorem elicias, ligni nodosi, extus fusci, intus ex albedine flavescentis *Pistaciae lentisci* seu Lentisci ne quidem dubites, sufficit Medicorum consensus, qui iam ex eo paratum infusum, qui avocatis sudoribus, rheumaticos affectus abstergat, nunquam praescribunt, cum noverint ob vix aliquam aromaticam, et resinosam qualitatem levissimi pretii remedium suppeditare.

1792. Potius igitur credas, istis missis, ad sudorem facere eas stirpes, quas e naturali Compositarum classe ad eum movendum Medici frequenter desumunt. Nempe isti crebro, nec sine aliqua evidenti utilitate, in hunc finem speciatim usurpant folia *Cardui mariani* seu Cardui mariae, et Summitates *Centaureae benedictae* seu Cardui benedicti iis rationibus, quas, cum caeteras vires, omnesque usus expenderem, (§. 792. 793. 1513. 1515.) iam exposui; tum potissimum *Arctii lappae* seu Bardanae radicem aegris praebent, quam a me alibi descriptam (§. 1513.) sudoribus, prae urinis, movendis aptiorem mecum arbitrantur. Vis enim ob mitem stimulum resolvens eiusmodi radicis cum aqua inter coquendum communicata, huius idoneo calore tam apte intenditur, ut, aegrum, qui calens eiusdem decoctum saepius sumat, matutinis praesertim horis, et stomacho a cibis vacuo, ad abunde, et diu sudandum facile compellat; quin apud nos opus sit decocti efficaciam acuere addito Vino, aut Cerevisia aquae loco adhibita, aut maiori, quam statui,

(§. 1513.) radicis quantitate usurpata; quemadmodum aliarum Gentium Medici non raro solent.

1793. Neutrum praeterea ideo mihi expedire videtur, quia ex vino, aut zytho non potest non immutari illa virtus lenissime resolvens, ob quam speciatim aliis persaepe remediis antecellit, ex aucta vero dosi confectus potus, et nimis satur, et gustui magis ingratus pondere suo stomachum moleste onerat, et nauseam facit, quam etiam, ubi quorundam more instar quotidianae potionis subinde hauritur, vomitus excipit. Satis vero efficacitatis habet, quando mature, et recte usurpata Bardanae radix partim sudorem excitando, partim resolvendo rheumaticorum affectum, qui recentes sint, curationi favet, eorumque, qui gravius saeviunt, aut inveteraverunt, solutioni prospicit validiorum medicaminum actionem adiuvando, atque ipsos arthritidis, podagrae, et ischiadis cruciatus non raro mitigat; imo interdum eos quoque lenit artuum, aliarumque partium dolores, qui syphilidi superveniunt.

1794. Porro praeter haec, quae Bardanam commoda afferre observavi, maiora ex eius etiam protracto usu aegris polliceri ego quidem non possum, qui diligenter captis experimentis probe didici perperam ei vim, quam dicunt, antiveneream a plerisque concedi, cum Syphiliticis id tantum lenimen rarissime praestet, quod crebrius efficaciora Resolventia, et Sudorifera afferunt; eam item febribus, quae intermittunt, submovendis, visce-

rum obstructionibus reserandis, menstruis avocandis, scrophulisque discutiendis, ut quidam proposuerant, parem non esse; nec demum chronicis cutis vitiis evidenter opitulari, etsi a recens retropulso exanthemate ortis incommodis aliquando auxilietur. Hinc vix possum, praeter iam adductos usus, (§. 1745.) Bardanae illum concedere, quem eiusdem foliorum succo ulceribus illinito, utpote eximio eorum remedio, ex Celeb. PERCY, et HUFELANDII observationibus competere recentissime monet Ill. ALTHOFIUS, quem Virum cum video novam curare operis editionem, quo MURRAYUS (a) immortale sibi nomen comparavit, hunc nobis immature abreptum minus doleo.

1795. Progredior modo ad Sarmentaceas stirpes, praeteritis Umbellatis, quoniam neque ex hisce sumptae radices *Angelicae archangelicae*, et *Imperatoriae ostruthii* (§. 861.), quae sudori pellendo alias, nec forte inutiliter, inserviebant, in usum hodie veniunt. Sarmentaceae vero sub duplici Smilacis, et Aristolochiae genere eas suppeditant species, quae inter Sudorifera interna Medicorum laudibus magis celebrantur. Smilax e tribus eiusdem speciebus tres pariter radices Medicamentariis officinis largitur. Prima audit *Smilax china* seu China, vel Cinna, vel China dulcis, e qua provenit radix iisdem nominibus vocata, quae

---

(a) Appar. Medic. Edit. secund. Gottingae 1793. vol. I. pag. 137.

maris, ex ovato in longum compressa, nodosa, dura, ponderosa, inodora, ac, nisi dentibus confecta, farinae quodamodo saporem explicet, insipida circa medium seculum decimum sextum in Europam primo importabatur. Atque ea quidem in Orientalem e Sinarum imperio, Iapone, et Persia advectam, atque in Occidentalem e nova Hispania, Peruviano regno, aliisque Americae regionibus ad nos allatam non male distinguitur. Nam illa praestantior iudicata maiorem duritiem habet, atque extus fusce rubra intus albescit in modum rubicundae carnis, dum altera nigricante cortice obtecta interius rubet.

1796 Verum nihil interesse arbitror num una potius, quam altera ad nos advehatur, qui neutram, ob eius inutilitatem, ad nos advehendam existimem. Etenim toties ita censeo, quoties reputo hanc radicem in syphiliticis morbis curandis liberalius licet, et diutius decocti forma adhibitam, quam eo tempore, quo veluti certum syphilidis absolutorium innotuit, Clinici consueverant, (qui eius unciam tum ad primum parandum decoctum, quo copiosa dein calente aqua diluto sudor moveretur, tum ad secundum, seu Bochetum quotidie insumebant) non plus efficere, quam dulcis aquae calidae potu profusus sudor efficiat; in rheumaticis affectibus, in chronicis cutis vitiis, in morbis caeteris a qualibet humorum labe derivatis, quae viscera etiam, et glandulas infecerit, atque in lentis febribus, et pectoris, renum, nervorumque passionibus

cum macie, et tabe coniunctis emolumentum, quod interdum attulit, referendum esse vel cum CASPARE HOFFMANNO calenti aquae largiter epotae, vel una adhibitis ex Guaiaco, et Stibio remediis, vel lacti, aliisve simul usurpatis auxiliis; ac denique eam vix ob sua principia nutrientem a plerisque iudicatam, atque hoc in sensu demulcentem, infringere quidem lignorum, aliarumque rerum, cum quibus coqui solet, medicatam vim, non vero acuere, aut utiliter cum hac conspirare. Qua de caussa ego mirari plane debeo eorum fiduciam, qui eam tam saepe praescribere adhuc solent, et nondum verentur rei tam inutili maiorum quoque aegritudinum curationem credere: quo proinde videtur magis exoptandum, ut, eadem ex Officinis tandem sublata, ipsa inconsulto agendi, errandique occasio istis tam perfunctorie medicinam facientibus provide auferatur.

1797. Alteram contra radicem Officinae retineant, quam e *Smilace sarsaparilla* desumptam, ac non multo post Cinnae radicem a Peruvia, et Mexico ab Hispanis allatam receperunt nomine Sarsaeparillae, vel Salsae, aut Spartaeparillae. Huius namque e parvo trunco exsectos medullosos vimines, seu radiculas longissimas, instar pennae anseris crassas, flexiles, longitudinaliter striatas, inodoras, sub tenui cortice exterius lutescente, vel rufo in luteum valde declinante medullam occludentes albam, in modum farinae concretae friabilem, sapore praeditam glutinoso, vix salso, et fere subamaro, atque exile ligneum meditullium in centro ha-

bentem, ac simul fasciculorum modo colligatas qui Medicorum nostrae aetatis tam parvi, aut nihili faciunt, ut inefficacibus, aut ob parem in aliis vim supervacaneis rebus accenseant, quibus Officinae onerantur, sententiam proponunt, quae mihi sequenda, ab Italis saltem, non videtur.

1798. Ne enim cum VITETO, aliisque Sarsamparillam inertem existimem vetant quae saepe animadverti eiusdem efficacitatis indicia: quae nimirum eius decoctum iusta radicis quantitate paratum, licet vix tepidum aegris exhiberetur, evidenter proferebat accelerato pulsuum motu, aucto calore, elicitis cito, et abunde sudoribus, imo interdum clarius edebat (quod crebro in sensilioribus, irritabilioribusque evenit) iis concitatis perturbationibus ex nimio aestu, anxietate, ventriculi, intestinorumque irritamento, convulsione, aut febre, quae remedii continuationem prohiberent. Ne vero cum aliis confundam parum efficacibus radicibus Sarsamparillam, satis mihi est quod nonnulli ponunt, hactenus instituta ad eiusdem principia, ex quibus coalescit, eruenda Chemicorum experimenta nullum ex ea protulisse, ex quo peculiaris, aut insignis virtus coniectanda videatur. Nam, praeterquamquod huiusce radicis naturam nondum sunt Chemici ea, qua decebat, diligentia perscrutati, quam plura occurrunt pharmaca, quorum salutares effectus experimur, etiamsi eorundem ex principiis ratio reddi nunquam potuerit.

1799. Quamobrem non ita ego soleo eorum opinionem improbare, qui adhuc contendunt, quod non potest admitti, syphilidis ab solutorium Sarsamparillam largiri, sicuti olim afferre credebatur, aut specifica prope vi Syphiliticis opitulari, qua recens lue implicatis sine hydrargyro satis subveniat; ut tamen istis non concedam valde opportunam in hoc aegritudinis genere, et plerisque remediis commodiorem esse. Nam ubi etiam tot Procerum artis observationes pene innumeras negligerem, quae id constituunt, ut ita prorsus sentirem quamplurimi aegri me sane commonefacerent, qui vel recens lue implicati insigne morbi levamen perceperunt, vel ab usurpato hydrargyro saluti non plane restituti, facile convaluerunt uno Sarsaeparillae beneficio, quam iisdem ad viginti, ad triginta, aut ultra dies apte decoctam, ac pro re nata, sensim aucta dosi, efficaciorem redditam commodissime obtuli.

1800. Itaque non possum expediendis Syphiliticorum curationibus opportunissimam Sarsamparillam non arbitrari, sive auferat ea mala, quae syphilidi superveniunt, et sine hydrargyro discuti queunt, sive arceat incommoda, quae multiplex hydrargyri administratio interdum suscitat, quemadmodum Ill. Io. HUNTERUS arbitratur (*a*), sive tollat quae eius abusus parit, sive huic remedio ad virus corrigendum, aut eliminandum viam expediat,

---

(*a*) Traité des Maladies Vénér. trad. de l'Anglois a Paris 1787. pag. 401.

sive symptomata eiusdem usui reluctata supe-
ret, sive denique complicatos cum syphilide
rheumaticos, atque arthriticos affectus sanet,
ad quos speciatim vincendos eius usus magno-
pere valet. Tantam siquidem opem rite adhi
bita Sarsaparilla affert aegris, qui citra omnem
latentis syphilidis metum lentis, atque diutur-
nis arthritidis, aut rheumatismi affectibus la-
borant, ut hisce generatim mitigandis, nec
raro vincendis per se, modo decocti, modo
extracti forma, sufficiat; aut saltem in omni
casu simul usurpati Guaiaci, aut Antimonii
maiori efficacitati prospiciat.

1801. Itaque si Sarsaparilla in Septentrio-
nalibus regionibus, ut quidam contendunt,
parum aut nihil valeat, tum ad sudorem pel-
lendum, tum ad auxilium aegris syphilide,
arthritide, ac varia humorum labe detentis
afferendum, id tutum erit aliis potius caussis,
quam eiusdem radicis inertiae referre. Magis
obvia ex hisce mihi videtur ea, quae a prava
remedii qualitate proficiscitur. Nam quoties
apud eos Auctores notas lego, quas proprias
radici in eorum Officinis prostanti reputant,
aut Stirpes, cum quibus hanc ipsam similium
qualitatum ratione convenire existimant; toties
vereor, ne germanam, optimamque Sarsampa-
rillam unquam ad medendum receperint. Ni-
mirum radicem parum medullosam, aegre in
aequas partes longitudinaliter divellendam, aut
iamdudum divisam, et frustillatim sectam, ve-
tustam, cariosam, aut manifeste ex diversa
Smilacis specie, aliove Stirpis genere desum-

ptam usurpasse videntur. Altera vere adeo exiguae, aut pene nullius efficacitatis ratio peti debet a nimis parva dosi, vix scilicet duarum, aut trium drachmarum, qua intra diem sumebatur, vel a non satis protracta eiusdem decoctione radicis. Novi quippe huius saltem unciam quotidie requiri, ut ea manifestos edat effectus, ac dein uncias duas, tresve quavis die insumendas esse, ut satis proficiat; tum minutim concisam radicem prius infusam cum idonea aquae copia ad tertias, aut etiam ad medias coqui oportere, ut omnes suas vires cum aqua communicet.

1802. Atque istis quidem caussis Therapeutae duas illas quoque addunt, quae GEOFFROYO (a) visae sunt impedimento olim fuisse, quominus in regionibus frigidioribus curationes luis venereae, quas Hispaniae, et meridionalis Americae Populi una Sarsaparilla se absolvisse dicebant, cum ea institutae minus bene succederent. Nempe curationis inutilitatem corporibus referebat, quae ob coeli naturam et sudoribus aegre paterent, et tenuem diaetam servare nequirent. Etenim haec duo, copia nempe sudoris, et victus tenuitas, necessaria ad luem veneream Sarsae ope curandam Medicos olim habuisse facile eruitur ex ipsa huiusce remedii exhibendi ratione, quam, utpote alias plurimi factam, ex GEOFFROYO subiungam.

(a) Mat. med. vol. I. pag. 250.

1803. » Sarsaeparillae (inquit) unciae
» quatuor in libris quindecim aquae per horas
» viginti quatuor maceratae, decoquebantur ad
» medias. Decoctum linteolo mundo percola-
» tum ad potandum reservabatur. Huius de-
» cocti prius calefacti unciae octo quotidie
» aegris prius rite praeparatis mane, et ves-
» peri quatuor ante cibum horis propinandae
» exhibebantur; et per duas horas in lecto
» stragulis contecti sudabant. Quidam subti-
» lissimum Sarsae pulverem cum singulis prae-
» dictae decoctionis cyathis permiscebant. Hoc
» remedium in tertium, et quandoque, ubi
» contumax erat morbus, in quartum usque
» diem continuabatur. Decimo quoque die
» purgabantur aegrotantes. Victus ratio tenuis
» admodum instituebatur, nempe ex pane bis
» cocto, et uvis passis.

1804. Quamquam neque desunt observata, quae luculenter ostendant aegris quoque frigidarum Regionum incolis eam opem Sarsamparillam attulisse, quam Syphiliticis, et Arthriticis sub temperato, calidove coelo viventibus affert; etiam si nec sudor fluxisset, nec victus ratio tenuis fuisset. Neutrum enim absolute requiri demonstravit Ill. FORDYCIUS, cui satis fuit ad insigne commodum ex Sarsaparilla aegris procurandum, iis quavis die propinare partite potionem ex tribus optimae Sarsae unciis cum tribus aquae libris ad tertiae partis consumptionem decoctis. Qui quidem praestantissimus Vir cum hoc modo in Anglia

saluti fuerit pluribus Syphiliticis (*a*), ut Vindobonae aliis pariter fuit Ill. STÖRCKIUS post inutilem aliorum medicaminum usum (*b*), abunde probavit ubique locorum non parum efficacem, atque aegrorum rationibus valde idoneam Sarsam esse, ubi etiam velimus existimare, ut initio dicebam, eam in adductis casibus virus proxime non attigisse, neque huic praesentissima virtute instar hydrargyri adversari. Quin imo cum Ill. QUARINIUS nullum dixerit in arthritide chronica decocto Sarsaeparillae, et Antimonii praestantius remedium se animadvertisse, (*c*) satis, superque evicit, ne aliorum Clinicorum testimonia in medium adducam, quanti eadem facienda sit ab iis pariter, quos in frigidis regionibus degentes arthritici, et rheumatici affectus male habent, ac diu excruciant.

1805. Fidenter idcirco aliarum quoque Gentium Medici Sarsaparillae radice, quae optimae notae sit, utantur, nec raro, atque una desinant nobis auctores esse, ut ei sufficiamus radices, quae eiusdem vires prorsus attingere nequeunt; tum inter nostrates praesertim quidam desinant defendere eidem aequissimo iure substitui *Smilacis asperae* seu Smilacis, aut Smilacis asperae radicem. Novi enim, quod ad hanc spectat, imparem esse, licet detur in

(*a*) Review of the Vener. disease 1785.
(*b*) Ann. Med. Vol. 2. pag. 225. etc.
(*c*) Animad. pract. pag. 279.

modum Sarsae, et quidem maiori dosi decoctum paretur, Sarsaeparillae viribus referendis, quoniam observavi raro sudorem, nec unquam valde copiosum, movere, et perpetuo exiguum esse emolumentum, quod aegris affert, quibus Sarsa rite adhibita opitulatur.

1806. Aristolochiae autem genus, ut iam dixi, (§. 1795.) ex diversis speciebus radices exhibet, quae huius loci censentur. Nam licet non omnes, quae veluti medicatae in libris indicantur, nobis usitatae sint, singulae tamen cum reliquis viribus eam quoque sudoris promovendi habere dicuntur. Nempe Materiae medicae Scriptores animadvertunt cuiusque Aristolochiae radicibus commune esse aromaticum, graveolentem, et nauseabundum odorem spirare; amarorem non gratum cum acrimonia coniunctum prodere; gummeis, et resinosis partibus, cum quibus aliquot volatiles particulae sint permixtae, potissimum componi; et vim suam, qua stimulent, excitent, varium exinanitionis genus promoveant, et putredini occurrant, uberius cum alcohole, quam cum aqua communicare.

1807. Interea nobis satis esse debet de duabus agere Aristolochiae speciebus, nempe de *Aristolochia serpentaria*, et de *Aristolochia rotunda*, quarum radices virtute, atque usu reliquis antecellunt, atque aequiori iure ad hunc locum pertinent. Etenim *Aristolochia clematitis* seu Aristolochia vulgaris, aut Clematitis, aliis potius Europae Populis, quam nobis *rotundae* sufficiendam radicem praebet; qui dum satis efficacem

eam habemus, ob minorem tamen vim, alvum etiam leniter ducentem, negligimus. Radicem vero *Aristolochiae pistolochiae* seu Pistolochiae ob remissiores qualitates, quas cum aliis affinibus radicibus comparata, manifeste exhibet, ut priori, aut reliquis succedaneam non amplius probamus. Illam item radicem *Aristolochiae longae* seu Aristolochiae longae, quam adhuc quaedam Officinae apud nos servant, utpote virium ratione a *rotundae* radice minori solum efficacitate distinctam, in iisdem supervacaneam arbitramur.

1808. Ne vero in persequendis viribus *Aristolochiae* tum *tribolatae*, tum *anguicidae* multus sim, nondum apud nos utriusque usus invectus necessario postulat. De priore enim vix possum monere eius Stipites fragrantes, et subamaros instar corticis Padi, qui in America venenatis telorum, et serpentum vulneribus, febribus, et contagiosis morbis mederi avocato sudore dicuntur, a granis sex ad viginti sanis hominibus, experimenti caussa ob Ill. BERGIO (*a*) exhibitos ad sudandum eos adduxisse. De altera autem solummodo licet Ill. IACQUINII auctoritate tradere (*b*) huiusce stirpis in America crescentis nauseabundo halitu venenatos serpentes vehementer commotos protinus ab eo se subtrahere, ex eiusdem succo vix ad unam guttam hausto temulentos eva-

---

(*a*) Vet. Ac. Handl. 1764.
(*b*) Sel. Stirp. Amer. p. 232.

dere, atque ex maiori dosi deglutita inter nervorum distentiones perire: unde mirandum nobis sit eodem succo eos perimi, quo mature assumpto, aut vulneri imposito, eorum ictu laesi homines gravissima mala, mortemque eludunt.

1809. Itaque ad radicem expendendam accedo, quae ex *Aristolochia serpentaria* in Virginia perenni cum desumatur, eoque loco par iudicetur interius, exteriusve usurpata praecavendis, curandisque teterrimis effectibus, quos lethiferi Serpentum morsus inferunt, ab usu Serpentaria, a nascendi solo Virginiana in Medicamentariis officinis nuncupatur. Ea tenuis, aliquot pollices longa, extus fusca, atque intus ex albo flavescens ab exiguo trunco plurimas filiformes, et flexuosas fibrillas emittit; aromatis proprio quodam odore ita fragrat, ut nonnullis Valerianam, quibusdam Camphoram, aliis vero taedam ligni Pini redolere videatur, gustui amara acritudinis sensum imprimit faucibus; suas qualitates, et vires aquae ita tribuit, ut tamen eas alcoholi aqueo plenius eroget; et destillationi commissa, teste LEWISIO, fragrantissimum oleum elargitur.

1810. Ea proinde efficacissima est, atque ob multas, et plane egregias vires ad praecipua Artis auxilia pertinet. Etenim actione sua tam innocue stimulat, vires potenter excitat, efficaciterque putredini resistit, ut tamquam roborans, stimulans, diaphoretica, atque antiseptica multis remediis antecellat. Ex quibus facultatibus iam alibi partim indicatis (§. 805.

1025.), quas exerit radix, sive pulveris forma a granis duodecim ad scriptulum unum, alterumve sumatur, sive a dimidia drachma ad duas ex aqua prius infusa, dein vase clauso decocta, assequimur facile caussam frequentis eiusdem usus in variis humani corporis affectionibus. Eam enim, modo solam, modo, quod crebrius fit, aliis remediis, ac speciatim Camphorae, aut Cortici Peruviano copulatam, utpote utilissimam, morbi generatim requirunt, qui, ut loquuntur, putridi, maligni, nervosi, exanthematici pulsus, et caloris, viriumque incitamentum, ac putredinis, et gangraenae frenum necessario postulant.

1811. In quibus tamen casibus utile est Therapeutarum consilium non ea dosi, et ratione generatim dandam esse, qua movere solet sudorem, quaque ii Medicorum utuntur, quibus arridet usum Serpentariae virginianae a continuis gravioribus febribus ad ipsas quoque intermittentes, SYDENHAMII, et LYSONSII auctoritate, extendere. Quod quidem ne crebrius, quam par est, medendi genus a Serpentariae radice cum Cortice Peruviano coniuncta petitum Medici in hisce febribus apud nos admittant, iure monebo; quoniam, nisi vitae langueant vires, et stomachus imbecillitate valde laboret, nec prodest, nec sine incommodo instituitur. Tantum abest, ut in febribus, quae intermittunt, puris, et legitimis, eadem Serpentaria nobis queat Peruviano cortici aemulum, aut huius generatim vim augens remedium praebere!

1812. Verum si tam eximias vires radicis *Aristolochiae serpentariae* novisse plurimum intererat, non minus interesse puto eos modo cognoscere effectus, quos *Aristolochiae rotundae* radix plerumque cum longae radice promiscue adhibita edere dicitur. Nam cuique medicinam facturo summopere interest scire, non solum huiusce radicis rotundae, rugis ob sitae, extus fuscae, atque intus rufescentis potestatem olim insignem iudicatam ad menstrua, et lochia pellenda arctis admodum limitibus concludi, ut suo loco ostendam, et diaphoreticam eius, resolventemque virtutem in asthmate, aliisque morbis, iis tantum aegris expedire, qui pituitosi sunt, non caeteris; verum etiam ad praecavendam podagram nimis periculosam vim possidere, ut remedium a prudenti Clinico aegris suadendum possit afferre.

1813. Profecto qui adhuc putant Aristolochiae rotundae, aut longae radicem in essentia, in extracto, aut in pulvere diu adhibitam, dummodo caute, et pauca dosi detur, sine ullo futuro discrimine podagrae insultus impedire; tum speciatim existimant GUAINERII potissimum methodo (*a*) eiusdem radicis drachmam melle, et aqua mitigatam quovis vere, et autumno sumptam quotidie, mensis spatio, sine ulla noxa podagrae reditum impedire; non animadvertunt, quod, ut caeteros mit-

(*a*) De Aegrit. iunctur. c. 29.

tam, in hanc rem summi Viri CRANTZIUS, et HALLERUS tradiderunt. Horum quippe alter tantam vim experimentis non respondere, alter eiusdem radicis diuturnum usum gravissimas inferre aegritudines, ac villosam ventriculi tunicam absumere iampridem monuit (*a*).

1814. Quod perspicue iam per se indicat quanto sim potiori iure usum improbaturus famigeratissimi nuper Pulveris Antiarthritici Principis Mirandulae, vel Ducis Portlandiae, qui aequis partibus radicis Aristolochiae rotundae, et Gentianae, ac summitatum, et foliorum Chamedryos, Chamepityos, Centaureaeque minoris simul mixtis componitur. Nullo quippe modo a Podagricis, ut a morbo convalescant, atque a futura eius invasione imposterum immunes sint, unquam apud nos suscipiendam eam arbitror curationem, quae cum hoc pulvere paucos ante annos in aliis Europae regionibus iisdem facta est in hunc modum: sumebant primo Podagrae obnoxii quovis mane adhuc ieiuni drachmam huius Pulveris ex commoda vini, aut aquae quantitate infusam, trium mensium spatio; deinde duo tantum eius scriptula pari modo, et tempore; tum eiusdem dimidiam drachmam ad reliquos sex menses quotidie ita usurpabant, ut cum unum annum curationi dedissent, proxime sequenti ab ea non desisterent, imo ad huius

(*a*) Mat. med. Tom. 2. pag. 187. Hist. Stirp. Helvet. art. Aristol.

quoque terminum alternis diebus pulveris mediam drachmam sumentes ipsam extenderent.

1815. Porro, ut quisque eiusmodi medendi genus perpetuo, mea quidem sententia, refugiat, praestabit summae auctoritatis Virum MURRAYUM audire, qui postquam huic Pulveri similes formulas apud GALENUM, AETIUM, TRALLIANUM, aliosque Veteres passim occurrere erudite monuisset (*a*), apposite inquit: ex » Pulvere antiarthritico multi apoplexiam, paralysim, vel morbos acutos, senes » praecipue, contraxerunt. Et in homine quodam arthritis quidem inde sedata; sed respiratio difficilis, tussis sicca, morsque subitanea successit; tuberculis pulmonum post » mortem conspicuis. Eodem atro carbone » pulverem istum notat Cl. CULLEN observans » in omnibus exemplis, quorum notitiam habuit, ex usu protracto aegros liberatos quidem fuisse ab inflammatoria articulorum affectione; sed sensisse postea apoplexiam, » asthma, vel hydropem, exitio fuisse. Horrendum lectu ex quinquaginta, vel sexaginta aegris, qui pulverem ingesserant, intra » biennium omnes periisse ».

1816. Sed progrediamur ad alias recensendas Stirpes, e quibus Interna sudorifera ducuntur, ad Solanaceas sermone deducto. Etenim sub aliis Stirpium Ordinibus, qui istis antecedunt, vix reperio unum remedium com

---

(*a*) Op. cit. vol. I. pag. 510. et seq.

memorandum, nempe quod confectus ex tostis seminibus *Coffeae arabicae* potus valde satur, et cum succo Limoniorum calens haustus posset interdum caute adhibitus erogare. Quem quidem (§. 1671.) cum sciam ad febres intermittentes apud nos saepe tentatum (etsi plerumque inconsulto, ut ibidem monui) sudoribus viam aperuisse, quos lecti tepor, profusissimos reddebat, non debebam sane hic loci praeterire.

1817. E Solanaceis vero idoneum sudoribus avocandis remedium praestant *Solani dulcamarae* seu Dulcamarae ii Stipites amari, ac dein dulcescentes, quorum iam memini (§. 1532.), qui fervida aqua macerati, ac dein, sive infusi, sive decocti potum revera suppeditant, qui calide sumptus plerumque sudorem largiter invitat, dum alios utilissimos effectus in aegrorum corporibus edit. Ob eas enim vires, quas indicato loco proposui, Clinici nuperiores persaepe potuerunt eiusmodi remedii usu rheumaticos non leves affectus solvere, et rheumatismum chronicum discutere, atque herpetibus, aliisque inveteratis, gravioribusque cutis vitiis mederi. Cuius quidem in adductis morbis praestantissimae virtutis luculentiora adhuc exempla Cel. ALTOFIUS nuperrime praebuit (*a*); etsi ipse apposite moneat curationes morborum se ideo tam feliciter consequutum fuisse, quia perpetuo studium adhibuit, ut aegri a dimidia

---

(*a*) MURR. App. vol. I. pag. 621.

uncia ad quatuor, aut sex usque Stipites decoctionis forma intra diem insumerent, aut extracti aquosi eius loco adhibiti primo scriptulum, ac dein drachmam quater die usurparent: dosi utroque in casu paullatim, et caute aucta, ne inassuetos aegros maior remedii vis vertigine, nausea, vomitu, aliisque incommodis corriperet.

1818. Id vero cum ostendat observationis genus tum ad avocandum copiose sudorem, tum ad valide resolvendum, ut adducti salutares effectus e Dulcamara consequantur, oportere non levi manu eam propinare; poterit quoque caussam iis Medicis aperire, ob quam accidit, ut ab iisdem adhibita neque in levioribus casibus eorum expectationem expleverit. Impar siquidem non poterat non esse remedium, quod vix ad duas, tresve drachmas intra diem usurpabant. Ego profecto, qui unciam, sesquiunciam, aut alteram Stipitum adhibere perpetuo consuevi, incipientes, quas commemorabam, passiones non raro sanavi, ac fortasse inveteratas etiam, et graviores sanassem, ubi consuetudinis vi licet adiuti aegrotantes apud nos maiorem sustinere dosim Stipitum potuissent. Sed neque robustiores poterant; imo non defuerunt, qui neque rite paratum ex decoctu Syrupum unciatim sine incommodo stomachi sensu sustinerent. Caeterum non leve nobis emolumentum iam affert Dulcamara, quando recentibus morbis lavandis, discutiendisque commodum subsidium largitur; etiamsi nequeat in mitigandis syphiliticis doloribus

cum Sarsaparilla, aliisve Vegetabilibus contendere, imo nequeat, sicuti cum Ill. CARRERIO (*a*) experientia ductus existimo, confirmatae syphilidis symptomata, doloresque levare.

1819. Transeo nunc ad Bicornes, ut mentionem iniiciam duarum stirpium, quae licet in Insubriae Officinis nondum receptae sint, aliis tamen Gentibus remedium praebent, in quo etiam virtus sudoris avocandi inesse dicitur. Unum affert *Rhododendron chrysanthemum* seu Rhododendron; e cuius ramulis, et foliis e Moschorum imperio advectis paratum infusum, cum eorum more ad rheumaticos, et arthriticos discutiendos affectus in Europa caute, ne acri, et narcotico viru officeret, Cel. Viri HOMIUS (*b*), et GRUNERUS (*c*) usurpassent, partim sedando, aut consopiendo, partim sudorem, urinarum interdum loco, uberem, ac foetidum avocando ipsis profuisse observarunt. Alterum praebere a quibusdam censetur *Ledum palustre* seu Rorismarini sylvestris herba (caeterum tum abigendis e vestibus, et lectulis tineis, et cimicibus, tum necandis utilissima) ob commodum, quod ab eiusdem infusu Sveci in tussi convulsiva, et fluxu ventris, atque Hungari in angina experiuntur.

1820. E Verticillatis sunt bene multae quae in libris Medicorum veluti diaphoreticae

---

(*a*) Almanach für Aerzte u. Nichtärzte 1783.

(*b*) Clinical experiments pag. 149.

(c) Mem. sur les vertus, l'usage, etc. de la Douce-amère. 1780.

memorantur; suntque speciatim efficaciores habitae Scordii, Camaedryos, Chamaepityos, et Lavendulae herbae, harum, aut similium, Aquae stillatitiae, atque Olea destillatione elicita. Verum haec omnia licet stimulent, atque ita excitent, ut ex ventriculo per nervos deferatur ad cor, atque ad cutis usque vascula stimuli vis; motus tamen eiusmodi generatim nimis propere cessat, ut queat sudorem avocare, atque elicitum promovere.

1821. Usitatius vero hactenus propositis Diaphoreticis, aut Sudoriferis pharmacum praestat ex Rhoeadibus, ac speciatim e *Papavero somnifero* (§. 964.) ductum Opium. Namque ob vires, atque agendi rationes fuse alibi expositas (§. 965. 967. 968. 1176.) cum exspirationi augendae, sudorique largiter movendo par evadat non ex uno actionis, ac mutationis modo, ut in aliis generatim remediis evenit, at ex eo quidem multiplici, non potest sane non istis crebrius indicari, ac proficere. Ea nimirum potestate, qua cordis, arteriarumque motum incitat, qua calorem auget, qua nervorum sensilitatem imminuit, qua spasmo soluto cutem laxat, qua interdum huius vascula speciatim exstimulat (quando pruritu, et eruptione manifestius significat remedium a sanguine deductum proxime eadem attigisse ipse sudor Opium interdum redolens) qua reliquas consuetas corporis exinanitiones retardat, aut supprimit, quaque somnum, et quietem a stimulo conciliat; nonne Opium, quacumque ex istis rationibus operetur, ad sudorem incitandum valeat necesse est?

1822. Ita quidem Opium valet, sive per se, sive cum aliis remediis opportune adhibitum, ut etiam hoc ipso, quod cutis exspirationem, sudoremque avocet, persaepe tum conveniat, tum aegris opituletur; quemadmodum e contrario ob eiusmodi facultatem humoris e cute detrahendi quibusdam non expedit, aut etiam officit aegrorum, morborumve curationibus, quibus secus aliarum virium ratione apprime conduceret. Porro primum luculenter Clinici evincunt, quando Opii, eiusque Praeparatorum utilitatem tam crebram esse animadvertunt in rheumatismo chronico, in arthritide vaga, in rheumaticis artuum, aliarumque partium doloribus, in syphiliticis affectibus (§. 1175. et seq.) in tussi, asthmate, aliisque lentis, et diuturnis pectoris malis, (§. 1279. 1280.) in immodicis alvi fluxibus (§. 1468.), atque in exanthematicis, reliquisque morbis a defectu exspirationis, aliaque caussa ortis, inter quos neque febres, quae intermittunt, excipiunt. Ne enim excipiantur, observata abunde monent Medicorum, quae disserens de Opii usu in febribus intermittentibus Cl. SCHAERTLICHIUS (*a*) protulit, ex quibus liquet non ita in spasticam febris naturam remedium agere, ut non eius sive dati ante febris invasionem, sive caloris tempore exhibiti virtute sudor quoque generatim elicitus toties sit ad salutem,

(*a*) Diss. de Usu Opii in febrib. intermitt. Goettingae 1783.

quoties revera Opium conducit. Rarius autem apud nos ipsum conducere, praesertim sine Corticis Peruviani admixtione, quam alibi possit accidere, ut earundum febrium curatio illi potius, quam huic omnium tutissimo, ac plane innocuo credenda videatur, tum speciatim ei uni ancipiti, et facile nocuo perniciosarum medela permittenda sit; ego iterum cum Ill. STÖRKIO (§. 976.) novis experimentis suffultus candide affirmo.

1823. Alterum autem, quem paullo ante dicebam, Opii usum in morbis vel limitare, vel excludere ob vim sudorem avocantem, quibus secus non una de caussa interdum conduceret, id pariter Clinici ostendunt quando noxas, quas idem Opium in lenibus, lentisque febribus pluries olim datum ad turbas nervorum sedandas saepe intulit, evocato, vel aucto sudori, qui et vires absumeret, et corpus magis emaciaret, scite adscribunt; tum huic improvide elicito partim referunt damna, quae in febribus continuis acutis crebro administratum Opium, sive ut lenimen symptomatum, sive ut morbificae caussae remedium aegris passim infert. Quod porro animadvertisse utilissimum erit, si poterit Artifices monere, qui Artis usu nondum excellunt, ne ex falsis hypothesibus, neve ex dubiis, aut rarioribus, aut ob fortuitam caussarum complicationem prope singularibus observationibus ad Opium crebro, atque audacter in febribus acutis adhibendum allecti, alio quidem principio ducti, at non dissimili eventu, eam quamvis nolentes

calamitatem humano generi inferant, quam a non paucis superiori aetate artem profitentibus ex Opii veluti cardiaci, alexipharmaci, et sudoriferi usu temere illatam adhuc dolemus.

1824. Quam ob rem, etsi eiusmodi metus a nobis quam longissime absit; attamen mihi temperare non possum, quin rem ipsam de Opio propius monentem MURRAYUM non inducam. „ Praeter rem (inquit) (*a*) in hisce » febribus datum, non potest, non accelerando circuitum sanguinis, eumque una cum » vasis expandendo, effrenos, qui iam adsunt, » motus augere, et stagnationes, tam novo » impulsu, quam exsiccante sua, et liquida » per sudores abliguriente potentia, gignere, » iamque natas magis compingere. Ita coctio» nes, crisesque turbantur; symptomata bene » multa intenduntur; et exanthemata varia, » petechialia, erysipelacea, phlegmonica pul» lulant. In biliosis febribus nocet tanto cer» tius, quum corruptelam humorum augeat, » et evacuationes requisitas per alvum sistat. » Febris nervosa ob virium dispendium non » facile Opium admittit, et exigua huius do» sis in ista sedativam suam vim iam declarat.

1825. Caeterum ubi Opii usus ad sudorem eliciendum conveniat, scire expedit ipsum non tam purum, quam aliis potissimum rebus additum, ut dixi, (§. 1822.) in usum apud nos venire. Etenim praeter illa ex Opio Prae-

---

(*a*) Op. cit. vol. 2. edit. 1794. pag. 292.

parata, et Composita, quae alio loco singillatim exposui, (§. 969.) plerisque iam Medicis in eum finem iure arridet Pulvis Doweri (§. 970.) qui cum una drachma Opii, et duabus radicis Ipecacuanhae, sive recipiat septem drachmas sacchari, sive salis alicuius neutri, remedium praebet; cuius octo, decem, quindecim, et ultra etiam grana, (quando consuetudo coeperit) quavis vice exhibita, atque intra diem bis, ter, quaterve propinata sudorem facile, copioseque proliciunt. Atque eo etiam potentius eliciunt, quo maior cura adhibetur, ut idoneo calore cubilis, et calentis potus frequenti usu sudor validior, ac diuturnior evadat, utque eiusdem quantitas remedii, a quo ob alibi adductam caussam nec somnum, nec vomitum generatim metuimus, aegroti naturae accommodetur, ne unquam stomachum laedat, aliove modo illi officiat. Sed dum Medici hunc Pulverem aliis Opiatis anteferunt, Vulgus adhuc, ut in omnibus pene morbis Theriacam Andromachi magnopere facit, Venetiis praesertim paratam, atque usurpat plerumque cum Vino; sic unam adhibet, ut sudorem in lecto calido excutiat, quin ullam ex eo noxam metuat. Ob quam nimiam tam inconcinno, etsi efficaci, Composito medicamento creditam fiduciam evenit, ut huius usum Ruricolis adimere, idem videatur ipsis, ac in eorum salutem paratissima arma adimere.

1826. Sequuntur nunc Papilionaceae stirpes, quae paucis ab hinc annis novum remedium

dium sudori movendo idoneum nobis obtulelerunt; quod primo tentatus radicis *Astragali exscapi* seu Astragali usus ostendit. Cum enim nuper Cl. VINTERLIUS retulisset Ill. QUARINIO eiusdem inodorae, ac cum leni adstrictionis sensu paullo amarae radicis decoctu Mulieres inferioris Hungariae incolas a syphiliticis malis convalescere, hicce praestantissimus Clinicus, eiusdem periclitatus in aegris effectus, quatuor in medium prolatis curationum exemplis, facile evicit tum eius pretium in venereis aegritudinibus, licet gravioribus, vincendis, tum vim sudorem elicientem. Qua quidem auctoritate Therapeutae permoti, si inter remedia sudoribus movendis, et Syphiliticorum rationibus idonea Astragalum iam enumerant, aequiori iure a me fieri debet, qui tanto usus auspice, qui optimus iam fuerat studiorum dux, cum primus in Italia utramque facultatem Astragali radicis, quam magna copia ex Hungaria acceperam, explorassem, de ea dubitare nullo modo possum.

1827. Porro, ut presse admodum attingam, quae alia occasione et fuse, et perspicue ostendam, multarum subsidio observationum, quae in quamplurimis aegris absolutae iustos remedii efficacitati limites constituunt, dicam profecto per se datam Astragali radicem ad duas, tresve drachmas cum aqua ad tertias decoctam vel inter initia suam actionem patefacere; hanc deinde ad mediam unciam, vel ad sex drachmas semel, aut bis die sumptam clarius patefacere; vel primis diebus prompte,

ubertim, ac quaquaversum effundere sudorem, quem prae aliis exinanitionibus invitat, licet interdum urinas eliciat, atque alvum quandoque leniter ducat; nulli aegrorum, utut languido, sensiliori, et macie adducto, aut stomachi molestiis, aut torminibus, aut aliis illatis incommodis officere; syphiliticos artuum dolores noctu potissimum saevientes tam prompte, efficaciterque compescere, ut iam primis diebus multo tolerabiliores fiant, ac sequentibus in recenti, nec gravi morbo plerumque penitus cessent, in confirmato, ac graviori valde mitigati rarius etiam insurgant; tumque ulcera, si quae adsunt, ita immutare, ut indolem meliorem adepta in primo casu sine interno hydrargyri usu coalescant, in altero cum eo promptius, quam secus accidisset, ad cicatricem perducantur; blennorrhaeae incommoda mitigare; ac syphilidi vincendae, evellendisque radicitus gravioribus symptomatis licet imparem, horum tamen mitigationi ita generatim prospicere, ut progredienti morbo inducias commode afferat, eumque ocyus hydrargyro sanabilem efficiat.

1818. Atque haec cum non sinant limitare ad solas arthriticas, et rheumaticas aegritudines Astragali efficaciam, ut quidam malunt, cur eiusmodi radix, utpote impar syphilidi sanandae, negligenda sit ego quidem non video. Feram utique eam tunc negligi, ubi evictum sit, quod exoptantis potius, quam sperantis videtur, duas nuper detectas in America, atque in Hispaniam iam advectas Stirpium species,

quarum alteram *Agave*, alteram *Begoniam* nominant, eam revera tam insignem, praesentissimamque facultatem possidere, quam libri, quem nondum legi, titulus pollicetur (*a*).

1819. E Multisiliquibus quoque stirpibus quam aptum sudori in quibusdam morbis utilissime avocando medicamentum Clinici ducere possent Ill. Archiatr. Caesar. Comes STORCKIUS insigni aegrorum commodo iisdem monstravit. Nempe invenit ex herba, licet Animalibus brutis, et Hominibus usque ad necem infensa, *Aconiti napelli* seu Napelli, aut Aconiti, expressum succum, atque in Extractum rite inspissatum non minus impune pauca dosi, sanis, atque aegris propinari, quam magno auxilio istis esse ob alienam, morbidamque materiem alicubi haerentem, aut coalitam, postquam eius virtute discussa est, apte resolutam facile, expediteque e cutis meatibus, incitata exspiratione, aut effuso largiter sudore, quam crebrius urinis, et alvo invitat, ad salutem excretam. Siquidem hoc uno remedio a paucissimis primum granis, deinde ad plura quotidie exhibito tum ipse potuit, tum alii eius exemplo potuerunt (*b*) rheumaticas, et arthriticas diu-

---

(*a*) Specifico antivenereo nuovamente scoperto nella virtù delle due piante Americane Agave, e Begonia. Opera di D. Francesco Saverio Balmis. Trad. dallo Spagnuolo. Roma 1795. in 8.

(*b*) Lib. de Aconito; item Libell. de Stramonio, et Contin. experiment.

turnas, valde excruciantes, gravioresque aegritudines sanare, ischiades inveteratas discutere, podagrae nodos solvere, viscerum indurationes, glandularumque scirrhos dissipare, paralyses tollere, ac, ne singula persequar, artuum doloribus, ulceribus, tophis, exosthosibus, aliisque syphilidis effectibus, etiam hydrargyro reluctatis, mederi.

1830. Hinc ego pariter potui, (qui ad tot, tamque gravia corporis mala Aconiti napelli Extracti saccharo mitigati usum tuto, atque utilissime revera extendi Vindobonae videram) hoc uno pharmaco eas hic loci curationes septendecim ab hinc annis perficere rheumatismi, arthritidis, atque ischiadis, sive rheumaticae, sive nervosae, quas non solum Medicinae Candidati, at diu etiam exercitati Artifices mirarentur. Hi profecto vel dubii, haerentesque circa pharmaci efficacitatem, vel in eiusdem usu nimio virus metu perterriti, cum aut nunquam remedium tentassent, aut tam timide, ut satis prodesse non potuerit, perpetuo adhibuissent, mirabantur tum promptitudinem, qua Extractum sudorem eliciebat, laborantem partem exstimulabat, atrocissimos antea dolores leniebat, atque iucunde inveteratum saepe morbum persanabat; tum eius plane innoxiam in aegros actionem, qui initio ipsius dimidium granum cum octo, aut decem sacchari quavis vice sumentes impune, dein paullatim aucta dosi, et una sacchari proportione imminuta, tot grana usurpabant, ut partite intra diem duo, aut tria etiam scriptula commode insu-

merent. Ultra enim hanc dosim nec dabam tunc, nec dare nunc soleo ratus, ubi hac Extractum non sufficiat, vanum esse, nec generatim tutum, (sive per se, sive cum aliis remediis tentandum sit), STOLLII, aliorumque exemplo audacter propinare. Namque saepe observavi, ubi ad drachmam assuetis quotidie oblatum non proficiat, aut non conveniens esse, aut commisceri oportere modo, ut STORCKIUS docuit, cum Cicuta, aut cum Mercurio dulci, modo, quod ipse utilissimum reperi, cum mitiori aliqua Antimonii praeparatione, ut magis efficax, imo medicatissimum evadat.

1831. Aliud etiam ad Multisiliquas pertinere remedium Diaphoreticum ii iudicant, qui animadvertunt non minus auctis urinis, quam motis sudoribus prodesse medicamina, quae *Clematis recta* seu Flammula iovis Cel. STORCKIO omnium primo elargita est. Alterutram enim exinanitionem, raro alvum, movisse Infusum ex Foliorum, aut Florum drachmis duabus, tribusve ex aquae libra paratum intra diem partite haustum, vel herbae Extractum a medio grano cum viginti, aut triginta sacchari, ad octo, aut decem usque, paullatim prolata dosi, bis, terve die sumptum Praestantissimus auctor testatur (*a*). Quod erat monendum, ut hic neglectum hactenus medicamenti genus commemorarem, quo intrinsecus caute dato,

(*a*) Libell. de Flammula Iovis, et Libell. de Pulsat. nigric.

ne sua valida admodum acrimonia noceat, artuum dolores, tophos, ulcera, cancrum, excrescentias, tumores, aliosque syphilidis contumaciores affectus, ac melancholiam sustulisse, et extrinsecus quoque adhibito forma pulveris, aut iniectionis, ulcera, fungos, atque urethrae vitia se curasse idem Cel. STORCKIUS, in medium adductis observationibus, luculenter demonstravit.

1832. Pomaceas item stirpes, atque Hesperideas hic loci Therapeutae attingunt, ne videantur oblivisci quorundam sudorem interdum apte moventium medicaminum, nempe Polopuntiae (§. 317.) ex una parte succi *Citri medicae* seu Citri mali, (§. 188.) Sacchari, et Spiritus sacchari (§. 315.), ac duabus aquae partibus confectae, et calide epotae; calentis hausti Infusus flavedinis tum *Citri medicae* (§. 189), tum *Citri aurantiae* (§. 807.) ex aqua, aut vino facti; potus calide sumpti, quem ex integris fructibus Aurantiis assatis, aut ad nigredinem corticis torrefactis, ac dein vino perfusis, et saccharo conditis expressum, utpote Germanis usitatum, Ill. Viri PLENKIUS (*a*), et MURRAYUS (*b*) commemorant; tum ex Oleo, seu Essentia sive Citri, sive Aurantii confecti Elaeosacchari; et denique Olei Caieputi (§. 943, et seq.), ac similium oleorum e Vegetabilibus aroma habentibus elicitorum, quae variis medicamentis ad-

(*a*) Bromat. pag. 108.
(*b*) App. Vol. 3. art. 381.

dita horum vim sudorem moventem, ob auctum stimulum, intendunt.

1833. Celebrius interim auxilium hactenus expositis sudorem pellentibus remediis Gruinales stirpes erogasse censentur, cum ad eas pertineat *Guaiacum officinale*, cui uni plus, quam caeteris Vegetabilibus, scimus revera ad syphilidem, elicito potissimum sudore, sanandam a Medicis tributum fuisse statim ac eiusdem lignum veluti illius aegritudinis absolutorium seculo decimo sexto ineunte ex America in Europam Hispani advexerant. Hi quippe Americanorum fide tantam virtutem polliciti mature curarunt ex Insula S. Dominici, aliisque Meridionalis Americae regionibus, in quibus Guaiaci arbor sponte crescit, ad quasque Europae Gentes mittere eius Corticem, et Lignum, (serius gummi, aut potius resina ad medendum recepta) quae duo remedia antecellere reliquis existimabant, quae poterant caeterae arboris partes afferre. Tunc autem Medici lignum hocce cum indiscriminatim Guaiacum, aut Sanctum dixerint, nunc quoque vocant, etsi quidam Botanicorum affirment primum a *Guaiaco officinali*, alterum, praestantius odore, et virtute, ex *Guaiaco sancto* provenire; quia eiusmodi opinio satis evicta non videtur.

1834. Indiscriminatim igitur Guaiacum, aut Sanctum in Medicamentariis officinis dicitur lignum e trunco, vel e maioribus ramis arboris iuxta sui longitudinem, aut transversim exsectum, quod durissimum adeo etiam ponderosum est, ut in aqua subsideat; colorem in

medulla ex viridi fuscum, in alburno pallide flavicantem praesefert; facile inflammatur, ac flammam cum ex igne conceperit, resinam fundit; plus huius, quam gummi continet; odore vix aliquo pollet levissime aromatico; et gustanti apparet paullo amarum cum aliqua acritudine, fauces eo magis pungente, quo magis eiusdem recens scobs dentibus conficitur. Cortex autem, quo lignum obtegitur, saltem qui ex eo in Officinis Insubriae evellitur, durus, crassus, longitudinaliter striatus, in strata facile secedens, ex variegato colore pallide fusus qualitatum ratione, et resinae copia ligno ita concedit, ut plus gummi contineat. Illa vero materies, quae Gummi Guaiaci nomine apud Medicamentarios occurrit in massas non exiguas conformata, ponderosa, friabilis, ex varietate coloris flavi, rubri, viridis profunde fusca, ac nihilominus fere pellucida, cortici adhaerens, aut huius frustis admixta, gummi proprie non est. Etenim ubi genuina sit, nec balsamo sulphuris, pice, aliisve rebus adulterata, aut ex ligno educta, at tum sponte, tum incisione Corticis ex ipsa arbore proveniat, sapore donatur amaro, paullo acri, et pungenti, atque odore balsamico, grato, praesertim si purior est: quemadmodum Solis ardore ex arbore efflorescens esse solet, quae speciatim ob minimam vim gummi admixtam, resina proprius vocanda esse videtur.

1835. De singulis autem istis dicturus monebo ea tantum, quae ad Ligni, et Resinae usum pertinent, cum iam Cortex apud nos vel nun-

quam, vel solummodo cum ligno coniunctus raro adhibeatur: Quamquam de ligno etiam in scobem redacto significare protinus oportet eius quoque usum nunc infrequentem esse, qui alias creberrimus fuerat. Etenim heic etiam receptum erat, quod adhuc in Calidioribus Italiae Provinciis fieri quandoque solet, ut, Guaiaci scobe in multa aquae copia ad tertias, aut ad medias decocta, additis plerumque radicibus Sarsaeparillae, et Chinae dulcis, ac ligno Sassafras, cuius aliquot cyathos intra diem aeger calido regimine, et tenui victus ratione usus sorberet, syphilidis curatio, hydrargyro plane posthabito, institueretur, vel saltem ad huius vim adiuvandam nunquam omitteretur. Licet porro huiusce decoctus formula, ob variam dosim Guaiaci, ac ob varia sive remediorum additamenta, sive etiam rerum, quae saporis gratiam conciliarent, non una esset; Medici nihilominus inter se consentiebant in statuendo meracissimum decoctum bis saltem quotidie hauriendum esse; tum paratum e residua Guaiaci scobe, nova aquae affusione, Bochetum, quavis curationis die quotidiani instar potus crebro ita usurpandum, ut excitus sudor validior, et diuturnior evaderet; atque hoc modo a viginti ad quadraginta usque dies protrahendam remedii administrationem, ad quam modo ligni ipsius libram, modo huius alteram, modo plures impendere solebant.

1836. Hac potissimum methodo Guaiacum Syphiliticis saluti pluries olim fuisse, uberrimo erumpente sudore, subinde aliis excitis

exinanitionibus, in tanta, quae suppetit, copia observationum denegari haud potest; quemadmodum verum est Syphiliticis aliis profuisse tum lenius administratum, tum exhibitum, copiosa aqua dilutum, et frigido servato regimine, quo urinarum, non sudoris fluxus utiliter proliceretur. In eo vero Clinici consentiunt persaepe Guaiacum iis venerea lue implicatis remedium praestasse, qui vel ob malam hydrargyri administrationem, vel ob scrophulosam, aut scorbuticam labem una coniunctam, vel ob singularem corporis naturam, vel ob aliarum aegritudinum complicationem hydrargyrum impar morbo sanando, aut aegro alienum, vel noxium videbatur, aut iam exstiterat.

1837. Non inde tamen consequitur, quod nonnullis adhuc, Italis praesertim, Medicis videtur, Guaiacum hydrargyro suffici generatim posse. Nam post ea, quae Clinicorum non pauci docuerunt, mihi facile innotuit, sive olim recepta methodo, sive leniori Guaiacum Syphiliticis experimenti caussa exhibenti, neutram confirmatae syphilidi, vel antiquae, vel recenti radicitus apud nos evellendae parem esse. Brevi quidem vis morbi in iis etiam rursus efferebatur, in quibus fracta, aut prorsus victa curationis tempore apparuerat; tum in aegris, qui nullam cum viru complicationem praeseferebant, imo in caeteris, qui admodum irritabiles viribus parum constabant, auctis artuum doloribus, ventris torminibus excitatis, et febre accersita evidenter exasperabatur.

1838. Profuit potius Guaiacum, sive urinas, sive sudores proliceret, et mitigatione symptomatum in corporibus pituitosis, satis virium habentibus, atque ita dispositis, ut omnis metus abesset, ne aegritudo febrim, quandam acutiem, aut inflammationem contraheret; et ipsa imprimis curatione ulcerum, dolorum artus obsidentium, vitiorumque cutem occupantium, aliorumque malorum, quae vel hydrargyro restiterant, vel ex hoc male usurpato supervenerant, vel ab arthritica, aut rheumatica caussa cum syphilide coniuncta pendebant. Ex quibus, ut notum est, luem simulantibus tam obvia errandi occasio in adhibiti postea ad salutem medicamenti, virtute aestimanda parum exercitatis, ignobilibusque Medicis imminet; maxime qui ignorent usum Guaiaci, utpote stimulantis, discutientis, atque evacuantis medicamenti recte institutum ad glandularum, et viscerum obstructiones, ad cutis vitia, ad paralyses praesertim ex rheumatica caussa, ad rheumatismum chronicum, arthritidem non acutam, et podagram speciatim utilissime extendi, ac denique, ut caetera morborum genera mittam, ipsum Guaiacum decoctum intus adhibitum, exteriusque usurpatum rebellibus, corruptisque ulceribus non parum conducere.

1839. Quamquam periti, ac nobilis Medici iam censetur, ligni usu Syphiliticis relicto, ad rheumaticas, et arthriticas passiones discutiendas, mitigandas, praecavendasque Gummi guaiacum (nec illorum tamen

rationibus inutile) provide adhibere. Hisce quippe morbis, cum nec febris, nec metus inflammationis, nec aestus corporis, aut nimia irritabilitas adesset, remedio saepe fuisse istud medicamenti genus, modo alcohole aqueo, ac speciatim spiritu sacchari (§. 315.) solutum, modo in pilulas ope syrupi, aut conservae conformatum, etsi non recte, modo mucilagine aliqua subactum, indubiis plane complurium Medicorum testimoniis monemur. Quae profecto perhibent nunc per se, tenui servata victus ratione, rite adhibitum, nunc cum lacte, aut sapone, aut Antimonio, eiusque Praeparatis, aut volatilibus medicamentis opportune iuxta variam morbi, vel aegri conditionem propinatum, quam saepe mirifice profuisse. Nempe cutis exspiratione valide aucta, plerumque ad sudorem, quem calens diluens potus promovebat, atque alvo bis, terve intra diem soluta, rheumatismum, arthritidem, ischiadem, podagram, nodos, tophos, aliaque e rheumatica, aut arthritica labe orta mala in corporibus praesertim laxis, et pituitosis Guaiaci resinam sustulisse, aut saltem mitigasse, tum, victo morbo, continuatam podagrae, atque affinium morborum reditum non raro avertisse in America, atque in Europa auspicato peracta experimenta luculentissime evicerunt.

1840. Doleo proinde in Italia, si clariores quosdam Clinicos excipiam, reliquos Artifices ad effrenem, indomitamque turbam malorum, quae rheumaticum inveteratum virus tam frequenter suscitat, removendam, aut mi-

tigandam, aut arcendam nunquam hocce pharmacum usurpare. Maxime vero cum istud crebre, utiliterque adhibens, omni periculo, et noxa vacuum perpetuo reperiam, quando mucilagine potissimum subactum, additoque etiam saccharo, aut syrupo mitius redditum, exceptumque aqua, modo pura, modo aromatica, modo parum alcoholis habente, unius, aut alterius drachmae pondere partite quotidie sumitur, ac vitato diligenter corporis frigore, imo lecti tepore, calenti potu, atque idoneo victu eiusdem salutaris actio promovetur. Hoc siquidem pacto stimulans, fervidumque medicamen nec ardore corripit fauces, nec stomachum laedit, nec tormina movet, nec alvum nimium solvit, nec inflammationem minitatur, nec febrem accersit, nec, ut quidam metuunt, aegritudinem exasperat, deterioremque, aliis accitis aerumnis, efficit. Qui enim haec timent, vel illata fuisse narrant, aut nunquam, aut prava methodo, aut non iusto aegritudinis tempore, acrium, et stimulantium admixtione non omissa, aut nimis audacter, diuque remedium propinarunt, aut etiam neglexerunt ei, prout interdum expedit, sanguinis missionem praemittere, eius vim diluentibus temperare, et promovere, aliaque speciatim indicata cum eo remedia coniungere, vel haec saltem prudenter, apteque interponere.

1841. Veniendum nunc esset ad Caryophylleas stirpes, si ad sudorem movendum tanti facerem *Saponariae officinalis* seu Saponariae herbam viridem, ac radicem eius exsiccatam, ino-

doram, et primo dulcescentem, dein amariusculam, quanti utramque a quibusdam Medicinae Scriptoribus fieri video; qui instar Sarsaeparillae usurpatam ad eadem plane aegritudinum genera valere, imo Syphiliticis commodiorem esse affirmant. Scio equidem Sarsam inter, et Saponariam non unum interesse discrimen; atque ex longa experimentorum serie perspicue cognovi virium ratione illi nimis fidenter hanc suffici, quae potius decocti, aut Extracti forma maioris habenda, (quemadmodum haberi a plerisque solet) mihi videtur ob resolventem, et saponi vegetabili persimilem qualitatem, qua eius usus quorundam morborum curationi conducat.

1842. Rectius proinde ad Dumosas me conferam, quae ex *Sambuci* genere duas species Medicinae erogant, nempe *Sambucum ebulum* seu Ebulum, et *Sambucum nigrum* seu Sambucum, quarum utraque diaphoretica, aut sudorifera iudicatur, non eiusdem licet efficacitatis. Etsi enim Ebulus virtute par Sambuco existimaretur, diferre hodie dicitur ob vim magis purgantem in radice, et cortice, magis diureticam, et vomitum molientem in seminibus, ac contra resolvendo minus idoneam in floribus, et baccis, e quibus Roob Ebuli paratur. Quapropter Ebulus aut nunquam, aut vix in hydrope a quibusdam interdum praescribitur, dum Sambuci flores, atque e recentibus baccis expressum succum cum saccharo apte inspissatum, seu Roob Sambuci creberrime in usum venire nemo ignorat. Nam

flores exsiccati, quin alvum ducant, ut recentes solent, cum efficaciter sine nocuo stimulo resolvant, avocentque facile Theae instar infusi sudorem, evidenti aegrorum utilitate, in herisipelatis, variolarum, morbillorum, tum exanthematum cuiusque generis, catarrhalium, aut rheumaticarum passionum, febrium, aliarumque generatim aegritudinum curatione, in quibus resolvere, et pellere ad cutem sine maiori, aut stimuli, aut caloris, incremento conveniat. Roob vero ad eadem valet, imo sapore grate acidulum, et colore sanguineum, cuiusmodi esse solet e recentibus baccis sine ullo ambustionis metu confectum, in adductis casibus usitatius est ad duas, tresve uncias partite (ne secus alvum solummodo solvat) quotidie insumptum modo per se, modo resolventibus additum mixturis, aut decoctis; quia et sub minori volumine maiorem resolvendi vim complectitur, et praeter cutem, reliquas etiam vias urinarum, atque alvi effluxuris humoribus aperit.

1843. Tricoccas vero stirpes attingere vix non inutile cuique videbitur animadvertenti neminem fere ignorare insigne commodum, quod e foliis infusis *Theae*, sive *boehae*, sive *viridis* (§. 318.) paratus potus calide sorbillatus, elicito efficaciter sudore, prestat omnibus, qui ex cutis exspiratione retenta laborant, eaque tuto revocata, protinus convalescunt; tum praesertim ea reputanti, quae alibi (§. 358. 1341. 1676.) abunde de eodem potu disserui. Interea huius iterum meminisse supervacaneum non erit, si possum eos monere,

qui auctores sunt, ut aegri apud nos sufficiant potui e Theae foliis, aut Sambuci floribus parato infusum Florum *Papaveris rhoeadis* seu Papaveris erratici, aut Rhoeadis, ne credant hoc modo theae, et sambuci vires compensari. Etenim Papaveris flores vix praestare possunt, quod paullo mucilaginosa reddita calida aqua demulcendo potest, nec revera eorundem efficacitati debetur, sed aliis una adhibitis remediis, auxilium, quod in pertinacioribus pectoris affectibus catarrhalibus, et rheumaticis Medicorum quidam ipsis Floribus retulerunt.

1844. Ad Oleraceas vero cum properat sermo, de uno speciatim disseram ex iisdem desumpto ad sudorem movendum medicamento. Nam tradere caussas, ob quas vel Camphora ei avocando praestantissima est, ac frequentissime in hunc finem adhibetur, vel Cortex Cinnamomi, aut quodvis ex eo paratum remedium illi eliciendo par quandoque est, supervacaneum plane esset post ea, quae suis locis (§. 849. et seq. 912. 869. 870.) monita fuerunt. Ex hisce enim quisque facile assequitur quonam modo Camphora magnopere valeat ad morantia, aut retropulsa exanthemata cum sudore revocanda; ad aegritudines a cohibita cutis exspiratione mitigandas, aut discutiendas; ad criticos iam instantes, vel aegre erumpentes sudores eliciendos; atque ad salutares illas humorum, recrementorumque cutem versus conversiones procurandas, quas in acutis morbis natura quandoque utilissime molitur.

1845.

1845. Loquar proinde de uno *Lauro sassafras* (§. 1558.) quatenus non pauci Medicorum eiusdem ligni rasi ad tres, aut quatuor drachmas in aquae libra infusi, aut clauso vase decocti, calideque epoti virtute non solum elici plerumque sudores, ut interdum cientur urinae, animadvertunt, (quod verum plane est); sed etiam ipsius quotidie usurpati facultate, Guaiaci instar (quod admitti non potest) Syphiliticorum, aliorumque aegrotantium rationibus apprime convenire. Verum qui ita sentiunt, Guaiacum inter, et Sassafras obvia discrimina temere negligunt. Lignum porro Sassafras ex America Septentrionali advectum in frusta oblonga, levia, parum dura, ex rufo albescentia modo cortice, qui crassiusculus, rugosus, foras cinereus, intus ferrugineus est, obtecta, modo eo spoliata, odorem spirat fragrantem in Foeniculum incidentem; saporem ostendit aromaticum, et leniter dulcem, ac paullo acrem; destillationi traditum Oleum ligni sassafras praebet, similibus oleis ponderosius, admodum odorum, acre, et fervidissimum; potiorem vim, et principiorum copiam habet in cortice, qui nihilominus usu ligno non anteponitur; ac plus gummi, quam resinae continet.

1846. Neque solum, ex hisce, at ex effectibus etiam, quos Sassafras edit in morbis, a Guaiaco abunde distinguitur. Nam per se adhibitum rheumaticas, atque arthriticas aegritudines generatim non superat, venerea mala, quae Guaiaco cedunt, raro mitigat, nunquam

vincit, sudoremque, aut urinam minus efficaciter suo stimulo sollicitat. Quam ob rem celebriores nostrae aetatis Clinici vix interdum Guaiaco, et Sarsaeparillae ad decocta paranda lignum Sassafras admiscent, eius Corticem nunquam usurpant, atque inter Praeparata, et Composita Officinarum Sassafras Oleum, Extractum, Essentiam simplicem, aut compositam, et Syrupum non recipiunt.

1847. Ex quo liquet quam aequiori iure negligenda sint ea ligna, quae et sudori movendo, et aliis assequendis effectibus cum paria olim Guaiaco haberentur, huic substitui, aut admisceri fidenter solebant. Ea enim vel supervacanea, vel non satis medicata, vel diversa facultate praedita esse sedula Nuperiorum observatio evicit. Nempe haec monstravit Lignum Citrinum, seu potius *Iuniperi communis* male Guaiaco comparari; lignum Buxi in Hispania e *Buxo sempervirente* desumptum nullo modo eiusdem Guaiaci vim attingere; Colubrinum, seu potius *Strychnos colubrinae* in Ceylano crescentis arboris ligneam radicem inodoram, acrem, atque amarissimam, et venenatae indolis esse, et prorsus dubiae virtutis; item Serpentinum, aut Serpentum lignum, ad *Ophioxylum serpentinum* dubitanter relatum non minus genere, quam viribus parum notum esse; Rhodium vero, seu *Genistae canariensis* vires, quas pollicetur, nondum ostendisse; tum Santalum rubrum, seu Sandalum, petitum e *Pterocarpo santalino*, Ceylani arbore inconsulto sudoriferis additum decoctis olim fuisse, quod vix

aliquam adstrictoriam qualitatem habet, ac proinde nequit Santalo sive Citrino, sive Albo antecellere, quorum primum ad superflua remedia, alterum ad inertia MURRAYUS (*a*) recte amandavit; ac denique ex arbore ignoti generis, et speciei lignum Aloes, seu Agallochi, quod selectum, optimumque Calambacum audit, (cui alias Lignum Aspalathi ex India pariter advectum substituebatur) resinosum, et leniter amarum, ad suffimigia necessarium non esse, ac nulli peculiari usui prospicere.

1848. Sed si haec Ligna ex variis Stirpium ordinibus deprompta ad sudorem pellendum, aut ad quamlibet aliam aegris afferendam utilem mutationem non amplius adhibentur, supervacanea etiam e Scabridearum ducta radix iam iudicatur, cuius caeterum efficacitas satis constituta est. Nam revera radix Contraiervae, quae e nova Hispania adfertur, atque indiscriminatim peti potest e *Dorstenia* tum *drakena*, tum *houstoni* Serpentariae virginianae radici suum locum adeo cessit, ut a plerisque Europae Medicis utpote inferior virtute, ac vere superflua iam negligatur; quamquam eiusdem vim, et sensiles qualitates praenuncient, et certius manifesti eius in morbis effectus evincant. Siquidem radix eiusmodi e trunco tuberculato, et pollice longiori, cum minori latitudine fusiformis, ac fibras ramosas, tenues, nodosas, et longas inferne potissimum

---

(*a*) Op. cit. vol. 2. pag. 116.

emittens, foras e rubro fusca, atque intus albida aromatico, et paullisper gravi halitu donatur, ac saporem inter manducandum explicat amaricantem cum fervidae acritudinis sensu, quae valide, et diu os, et fauces exstimulet, quaeque melius a spiritu vini, quam ab aqua una cum mucilagine, caeterisque principiis extrahitur. Salutares vero eiusdem radicis effectus in morbis exanthematicis, in acutis, et nervosis febribus, in ipsa gangraena, cui etiam imposita conducit, atque in reliquis affectibus, (quatenus ea ab una drachma ad duas, tresve infusa, aut ab uno scriptulo ad sesquidrachmam forma pulveris usurpata, modo per se, modo aliis remediis addita, vires incitat, motum humorum accelerat, ad cutem pellit, ac putredini adversatur), experimenta Pringlaei, Collinii, aliorumque extra humanum corpus capta, et complurium exempla curationum ostendunt. Nihilominus cum vis Contraiervae a Serpentaria, Camphora, similibusque facile superetur, eiusdem sane usus in dies magis apud nos rarior evadit, quibus ipsius Contraiervae Syrupus in Officinis quibusdam servatus magis adhuc supervacaneus videtur.

1849. Non solum autem alienum, verum etiam persaepe nocuum Therapeutae nuperiores arbitrantur, ut sudor moveatur, a Liliaceis remedium petere. Quamvis enim ducta ex istis remedia, ut caetera generatim Diuretica (§. 1593. et seq.) calido adhibito regimine, sicuti monui (§. 1717.) Diaphoretica fiant; attamen

in hunc finem adhiberi non solent, cum ea dosi plerumque danda sint, ut minus anceps eorum effectus evadat, qua molestiam sumentibus pariunt, et stomachum potissimum laedunt. Quod equidem imprimis sentio de *Alii sativi* (§. 1562.) usu alias ad sudorem pellendum nimis crebro adhibitum non solum ut remedium, aut praesidium pestis, (in qua forte alia ratione potuit prodesse) verum etiam ut idoneum auxilium intermittentibus febribus submovendis, earumque saltem horrori praecavendo, ubi ante febris invasionem sumatur ex CELSI consilio: quod doleo Agricolas, gravius inde laborantes interdum amplecti.

1850. Relinquam vero exterarum Gentium Medicis, ut e Calamariis stirpibus promant radicem, quam *Carex* sive *disticha*, sive *hirta*, sive *arenaria* suppeditat, quae iisdem Sarsaeparillae loco sit. Nam praeterquamquod analyses Chemicorum longe absunt, ut eiusmodi virium consensionem innuant, » reliqua, dicam cum MURRAYO (*a*) nonnisi experimentis » in aegro corpore repetitis certo evinci pos» sunt, quorum per partes enucleata parciora » hactenus extant, quam in votis est ». Quamobrem mihi videtur prudentis hominis esse in ea potius admittenda opinione adhuc haerere, quam ad rem probandam festinare, cui postea experientia haud respondeat. Quo quidem ductus principio neque ex Campanaceis in me.

(*a*) Op. cit. vol. 5. pag. 315.

dium protuli radicem *Lobeliae syphiliticae*, cui hydrargyro parem syphilidi vincendae facultatatem, Americanorum septentrionalium fide quidam Medicinae Scriptores adscribunt. Quod enim isti ferunt radicis manipulum in larga aquae copia decoctum, cuius libra ter die generatim exhibetur, soluta saepius alvo, Syphiliticis adeo prodesse, ut protracta ad duas hebdomadas curatione, lotis etiam exterius eodem decoctu partibus morbo infectis, tuto convalescant; id nondum idoneos in Europa auctores habere potest, ubi a Medicis ea explorata hactenus non est. Namque remedii defectus reliquos Clinicos ab experimentis prohibuit; ego autem e Lobeliae syphiliticae variis plantis in Ticinensi Horto Botanico una crescentibus evulsas e fibrosa radice albas, parum crassas, et mediocriter longas fibras, (quas duorum spatio annorum collectas Cl. SCANNAGATTI nostri diligentia mihi servaverat) vix potui ea quantitate nancisci, quae parando decoctui, exhibendoque semel, et iterum duobus aegris sufficeret. Ex quo proinde experimento licuit solummodo eruere vel dilutum decoctum acri stimulo stomachum percellere, et tormina movere antequam alvum solvat. Caeterum Herbae cum Floribus usus laudatore in Europa non caret; quandoquidem Cel. DUPAUS eam in Syphiliticorum curatione Parisiis periclitatus fatetur quosdam inter eos solo hoc remedio, quod parva manu datum sudorem, pleniori alvum, aut vomitum movebat, sanitati

redditos fuisse (*a*). Utinam id et caeteris aegris, in quibus Lobeliae herbam, aut radicem poterunt deinceps Medici experiri, aeque auspicato contingat!

1851. Quamquam neque ista hactenus exposita Diaphoretica, tam multa, sunt cuncta, quibus e Vegetabili regno desumptis utitur Medicina. Novit quippe aegrorum modo salute, modo incommodo ad sudandum quaedam alia remediorum genera valere, ac prae caeteris quandoque proficere. Eiusmodi sunt ea Vegetabilia, quae vomitus excitandi potestatem habent, parva dosi, seu ea proprie exhibita, quae stomachum commovere, non subvertere queat; sunt haec ipsa praesertim cum Opio coniuncta, quoniam, ut vidimus de Doweri pulvere (§. 1825.), ex Emetico medicamentum Opio admixto emergit remedium certius, et validius sudorem movens, quam si alterutrum per se adhiberetur; sunt quoque Opio similiter admixta quaedam alvum ducentia, quae interdum sudorem, etsi remissius agant, opportune tamen, apteque proliciunt; sunt denique Olea Volatilia, aut Empyreumatica (§. 934. 942.), ac pleraque eorum medicaminum, quae virtute praestantiora de Stimulantibus, de Sedantibus, ac de Antispasticis disserens commemorabam.

1852. Speciatim vero huius loci censentur tres liquores, nempe *Vinum*, *Acidum ace-*

(*a*) Journal de Paris 1780. 299.

ticum, atque *Alcohol*, cum et vegetabilis sint originis, et sudoris avocandi virtute emineant. Neminem quippe latet quam efficaciter Vinum, aut Zithum (§. 304. et seq.), eoque validius, quo generosius est, ac plus alcoholis, minusque acidi habet, ad cutem pellat, ac sudorem moveat totius corporis viribus, motibusque prompte incitatis, et auctis. Cui quidem Vini proprietati Therapeutae respiciunt, quando sedulo monent perpetuo curandum a Clinicis esse, ne dum usu vini ingentium virium, maximeque exoctici (§. 1331.) in putridis nervosis, et malignis, ut dicunt, febribus vires fractas apte student erigere, nimia eiusdem potentia, ad libras, non ad uncias propinati, pessima exanthemata moveant, atque improvide sudorem extorqueant, qui, magis prostratis viribus, omnem curationis legem subvertat, omnemque spem salutis adimat. Acetum vero quod spectat, praeter caeteros iam propositos usus (§, 88. 89. 288. 324. 1020. 1520.) eum quoque habere, sive simplex, sive Camphoratum, sive Prophylactium contra pestem, aut Quatuor Furum, sive Concentratum cum Spiritu vini, concitandae exspirationis, sudorisve movendi apte dilutum, variisque additum, permixtumque remediis cuique ob propositas alibi eius vires, ac notissimos eiusdem effectus, perspectum est.

1853. Valentissimum vero ex Alcohole aqua diluto, aut Spiritu vini, vel Simplici, vel Camphorato, reliquisque Spirituosis liquoribus distillatis, quorum iam plu-

ries memini (§. 315. 316 357. 886. 1832.) desumi remedium ad sudorem avocandum sive per se, sive cum aliis rebus, quae fervorem nimium contemperent, caute propinetur notissima res est. Ea nempe vi, qua potenter excitat, ventriculum proxime stimulat, omnes fibras percellit, motus valde accelerat, ac calorem excutit, non potest non ipsum sudorem prompte, valideque prolicere. Quimmo idem Spiritus vini, calidi instar vaporis, corpori vel ubique, vel partim applicitus ex ipsius cutis vasculis proxime, et multimode affectis sudorem, vel ex universo corpore, vel ex eiusdem tantum parte, tam copiosum exprimit, ut haec medendi ratio ultra modum usurpata non minus damni, ac periculi ob nimiam exinanitionem afferat, quam eadem infert, ubi sudorem non eliciens ardore, aestu, aliove modo aegrum convellit.

1854. Hactenus de Vegetabilibus sudoriferis, quae si multi sermonis fuerunt, longe brevioris erunt, quae de Animalibus sudori movendo idoneis remediis tradentur. Magnam siquidem partem eorum, quae in libris Artis memorantur, utpote inertia, ambigua, aut plane ridicula Nuperiores artifices iure despiciunt. Et re quidem vera quam consulto pleraque e remediorum genere reiicienda existiment, ex brevissima quorundam, quae olim usu praecipue inclaruerant, enumeratione luculenter patebit. Porro, ut incipiam a Mammalium classe, R a s u r a e e b o r i s seu scobi praeparatae e dente *Elephantis maximi* (§. 921.) sudoris mo-

vendi vim tribuere, ut adhuc admitterem, et eandem facultatem aquam diutina coctione suscipere, ac speciatim paratam ex decoctu gelatinam possidere, et Pulveres artheticum, atque Haly abbatis, ac Confectiones Hyacinthinam, et Smaragdinam recipere, quibus olim adiicebatur, ineptientis hominis esset. Usum adhuc proponere Zibethi seu pinguis, et sebaceae materiae e folliculo *Viverrae zybethae* (§. 922.) eductae in variolis, morbiliis, aliisque morbis, exhanthematis, sudorisque pellendi caussa alias magni factae, idem esset, ac rem alienam, et supervacaneam probare. Praesto siquidem est, ubi conveniat in iisdem morbis efficaciori, et origine persimili remedio uti, ipse Moschus, cuius vires, atque usus (§. 924., et seq) satis alibi exposui.

1855. Nihil autem ad cutis exspirationem, sudoremve movendum, aut alium salutarem effectum praestandum possunt conferre illa, quae e *Cervo elapho* (§. 224.) etiam viventibus nobis parabantur; nempe Rasura Cornu Cervi, quae licet insipida, inodora, ac prorsus iners, in exanthematicis, putridis, et malignis morbis in decoctu crebre adhibebatur; Cornu cervi philosophicum, seu Cornu in frustula sectum capitello alembici, cum Stirpes aromaticae destillantur, suspensum, vapore ebullientis aquae mollitiem adeptum, ac dein in pulverem tritum; atque, ut gelatinam Cornu cervi, cuius alibi memini, (§. 280.) et Cornu cervi ustum, excoriatis partibus alias inspergi solitum, modo

praeteream, Os de Corde Cervi, quod temere iudicatum epilepsiae, morborumque malignam indolem habentium remedium, nil aliud est, quam ossiculum planum figura irregulare ex fibris ortum alterutrius orificii arteriosi in osseam naturam induratis.

1856. Itaque Cornu Cervi vix illis parandis medicamentis inservit, quorum vires, atque usus disserens de Antispasticis constitui, etsi e quibusque aliorum Animalium ossibus aeque trahi posse nuperiorum Chemicorum industria evicerit. Eiusmodi sunt Sal volatile Cornu Cervi (§. 935.) Spiritus eiusdem volatilis (§ 937.), Liquor Cornu Cervi succinatus, et Spiritus eiusdem alcalicus (§. 938.) Oleum Cornu Cervi (§. 942.) ipsumque Oleum animale Dippellii (§. 940. et seq.): quibus sane singulis iuxta propositas eorum vires, atque effectus in morbis iamdiu observatos opportune adhibitis non mediocrem competere diaphoreticam virtutem nemo est, quem lateat. Sicuti iam neminem Medicorum crederim posse nostra aetate latere vim illam sudorem potenter avocantem, ac Pleuriticis summopere proficuam Sanguini Hircino seu arefacto sanguini *Caprae hirci* (§. 921.) olim adsertam, non minus irridendam esse, quam fuerit altera coalitos humores mirifice resolvens, quam eodem loco falsam, et ridiculam esse contendebam. Quo praeterea loco cum omnes vires flocci habendas esse monuerim, quas calculoso concremento, lapidi simili eru-

to e ventriculo, aliisve cavitatibus *Caprae* sive *bezoarticae*, sive *gazellae*, Bezoar vocato, atque in Orientale, et Occidentale distincto Medici retulerunt; neque illam inerti huic rei permittendam esse facultatem iam sentiebam, quae avocandis sudoribus sufficeret.

1857. Ab Amphibiis vero, ac speciatim a *Colubre bero* seu Vipera (§. 270.), quae ad sudorem provocandum alias apud nos ducebantur remedia, partim ut inertia, partim ut supervacanea exoleverunt. Quisnam enim, etsi ea, quae de Viperarum Iuribus, et Gelatinis (§. 276. et seq.) attulimus, haud deneget, non impares illi movendo arbitrabitur Viperae exsiccatae Pulveres, et Trochiscos, aut non ineptum putabit e Viperarum hepate et corde arefactis paratum pulverem, qui olim Bezoar animale vocabatur? Quis pariter non existimabit plane superflua medicamina, quae ignis ope e Vipera assequi Chemici olim curabant, frequenterque Clinici adhibebant, Viperarum Sal, et Oleum utrumque Volatile, ac Spiritum volatilem, (§. 934. et seq.) cum haec ob qualitates, atque effectus a quocumque *Carbonate ammoniacali*, sive puro, sive aqua diluto, nullatenus discrepent? Nonne idcirco expeditissimum est, quoties tam penetrans, stimulans, excitans, ac calefaciens remedii genus conveniat, toties ad Salem, aut Spiritum Ammoniaci volatilem, vel ad quascumque alias res hisce persimiles, quarum agendi rationes, atque usus exsequuti iam sumus (§. 937.

938.) fidenter confugere? Ita quidem non solum doctissimi, quam minus docti Artifices iam perhibent.

1858. De Piscibus praeterea vix licet illius meminisse prorsus falsae diaphoreticae, et resolventis Pleuriticis idoneae facultatis, quam legimus, vidimusque a non paucis Medicorum tributam ineptissimae rei, nempe *Esocis lucii* seu Lucii Mandibulae praeparatae, ut horum exemplo Medicinae Alumnos moneamus, ne ex quibusque Artis Scriptoribus petant remediorum ad Animalia praesertim spectantium iudicia, quoniam nihil fingi potest absurdius, quod a nonnullis propositum, probatumque interdum non fuerit. De Insectis vero, ne credamus celebratis olim eorum viribus diaphoreticis, satis ea esse videntur, quae caeteros eorundem usus alibi expendentes attigimus, ac speciatim diximus de Granis Kermes, et de Coccionella (§. 921. 1652.) de Serico crudo et tosto (§. 1653.) et de Lapidibus Cancrorum praeparatis (§. 1654.), quorum praesertim vi sudorem elici posse inanis quorundam credulitas ferebat. Vix igitur probabile est, quemadmodum nonnulli arbitrantur, Tincturam Cantharidum (§. 1648. et seq.) Camphora potissimum adiutam, et Spiritum Formicarum (§. 1680.), caute tentatum, ubi calido servato regimine utrumque remedium experiatur, diaphoreticam quoque posse facultatem suo stimulo interdum exerere.

1859. E Vermium denique classe rursus proferre in hanc Medicinae lucem quae sudoris avocandi caussa olim desumebantur, vana prorsus, et ridicula, idem esset ac ludere in re seria. Nemo quippe, nisi forte ignobilis Artifex, sine risu posset excipere, quae secus exsequenda fuissent de *Sepiae officinalis* seu Sepiae osse limato ad decoctum parandum usurpato, de *Ostreae edulis* (§. 225.) Conchis citratis, de *Mytili margaritiferi* (§. 921.) calculis, seu Perlis, aut Margaritis, et de harum matricibus, ac speciatim de Pulvere matris Perlarum, de Margaritarum Confectionibus, de *Helicis pomatiae* (§. 225.) testis, aut Cochleis, aliisque similibus, quae iam neque absorbendi fine adhibentur.

1860. Quare istis ad aequam lancem, ni fallor, exactis ad Fossilia ducam sermonem, quae Diaphoretica, aut Sudorifera remedia aegris afferunt, ac potissimum ad ea, quae Stibium diversimode praeparatum usu, ac virtute praestantiora exhibet. Caetera enim Fossilium remedia, quae huc referuntur, cum singillatim aliis locis exposuerim, ea modo vix summatim indicabo. Porro circa Salia satis est monere, Alcalica fixa inter Diaphoretica vix hodie enumerari, quoniam iam norunt omnes istis longe praestare, ubi sudor movendus sit, tum *Salia volatilia* apte diluta, sive per se, sive aliis aromaticis, stimulantibusque remediis addita, tum haec ope acidi vegetabilis in neutram naturam mutata. Nam revera *Acetis am-*

moniacalis seu Spiritus Mindereri, et *Citras potassae solutus* seu Mixtura salina Riverii (§. 999. 1642.) et frequenter in hunc finem adhibentur, et sudorem quandoque invitant; ubi tamen alterutrum liberaliter datum aegri stomachus non respuat.

1861. De Hydrargyri vero multimode praeparati virtute ad sudorem pellendum vix quidquam iis addere possum, quae singulos eiusdem adhibendi modos, et diversas eius praeparationes, variosque ad medendum usus (a §. 1070. usque ad §. 1200.) perquirens in medium protuli. Tunc enim ex horum medicaminum, sive exterius, sive interius administratorum, agendi rationibus, ac manifestis effectibus vis illa, qua eadem non solum caeteras exinanitiones sollicitant, at eam etiam, quae ex cute fit, interioribus, exterioribusque partibus valide perculsis, insigniter promovent, modo aucta plurimum perspiratione, modo sudore largiter effuso, tam luculenter enituit, ut supervacaneum sit pluribus docere Hydrargyrum idonea quantitate, atque apta methodo, qua ad cutem contendat, usurpatum praecipuis Diaphoreticis, aut Sudoriferis remediis iure adnumerari. Quapropter duo solummodo circa eiusdem Hydrargyri usum monebo. Primo nempe animadvertam tutam non esse eorum sententiam, qui putant evictum, quod hactenus non est, *Muriatem hydrargyri sublimati corrosivi* (§. 1164. et seq.), ubi sudor movendus sit, reliquis Mercurialibus remediis aptiorem, tutioremque esse. Secundo vero dicam, ut

certius, ac promptius Mercurii actione sudor erumpat, magnopere conferre, si, antequam eius usus instituatur, una alterave die aegro propinentur ea remedia, quae cutim generatim afficiunt, ac detur speciatim aliquid Opii, imo hoc ipsum, primis saltem vicibus, Hydrargyro prudenter adiiciatur: quo quidem modo istud experior optimum persaepe remedium ad sudorem eliciendum evadere.

1862. Nec multa occurrunt dicenda de *Sulphure*, quod pariter sudorem moventibus medicamentis accensetur. Nam cum alibi (§. 586) PERCIVALII observationibus usus, quibus alias quoque GEOFFROEI (*a*), aliorumque addere potuissem, evidenter ostenderim, Sulphur in sanguinem etiam venire, suisque qualitatibus integrum ad cutis usque vascula progredi, atque ex iisdem exhalare; vim eius ad cutis exspirationem augendam, certiorem, maioremque evici, quam iis videri potuisset, qui sive animadverterant ipsum, ut ego vidi, a gastrico succo non solvi, (§. 590.) sive concedant CULLENIO in ventriculum, atque intestina, praesertim crassa, solummodo agere, denegant eiusdem particulas ab intrinsecus deductas nunquam cutis organum proxime percellere. Cum item aliis locis monuerim quonam in pretio idem Sulphur haberi debeat ad mala sananda, quae incaute administratum Hydrargyrum intulerit (§. 1216.), et quonam modo, ut spu-

tum

(*a*) Op. cit. Vol. I. pag. 99.

tum invitet, et alia bona aegris afferat chronica pectoris passione ex pituita, laxitate, scrophularum vitio, aliave caussa laborantibus dandum sit, iam hic pauciora de eius facultatibus, usibusque tradenda erunt.

1863. Satius igitur erit docere interius, exteriusve adhibitum Sulphur cutem ad exhalandum copiosius humorem incitare; tutius esse, ubi ore propinatur, factitium, et dein *Sublimatum* seu resolutum in Flores omnium purissimum fuso in cylindros, quod Citrinum, aut Vivum etiam audit, perpetuo anteponere; saccharo admixtum, aut, ovi vitello subactum commodius ex eo quoque aegris cedere, quod admisceri humoribus ventriculi, intestinorumque, et facilius in sanguinem abripi queat; cum fixis seu pinguibus, aut volatilibus seu stillatitiis Oleis coctione unitum in formam balsami (unde Balsamum sulphuris, vel Simplex, vel Rulandi, vel Anisatum, vel Succinatum emergat), nunquam ob nidorem, nimis nauseabundum saporem, atque acritudinem, ne ad paucas quidem guttas dandum esse, ut alias fieri consueverat; solutum Petroleo, ut a quibusdam proponitur, nimis ingratum remedium, et stomacho grave constituere, ut possit probari; dosim Florum a granis duodecim ad scriptulum, vel ad mediam drachmam, non ultra, extendi, nisi consuetudo invaluerit, ne secus, cuiusve exinanitionis loco, alvum moveat, quam ad dimidiam, vel unam drachmam non tam generatim sine ardore, aut dolore ventris solli-

citat, ut crediderim cum CULLENIO, omnium aptius, et commodius (§. 1448.) eccoproticum nobis largiri, sicuti ad haemorrhoides dissipandas non adeo generalis usus est, ut a plerisque traditur; ac denique internum eius usum in scabie, psora, herpete, aliisque impetiginum generibus non ita suscipiendum esse, vel ut uni auctae cutis exspirationi, non aliis eius effectibus referatur emolumentum, quod potest praestare, vel nimium, quam par est, eiusdem efficacitati tribuatur: quae nisi aliis medendi rationibus adiuvetur, ad eas aegritudines radicitus evellendas plerumque non valet.

1864. Circa externum autem Sulphuris usum adhuc pauciora dicenda sunt. Nam praeterquamquod iam expedita fuerunt, quae de *Aquis sulphurosis* hic solent proponi, externa Sulphuris administratio ad paucas iam aegritudines extenditur, postquam eiusdem accensi suffitus Veterum more admovere vel alicui parti, vel toti corpori, capite excepto, nimis periculosum esse medendi genus, ut debeat generatim admitti, nuperiores Therapeutae sapientissime docuissent. Metus siquidem subest, ne sulphuris Fumus, qui ad scabiem, aliamve cutis chronicam aegritudinem sanandam, ad tumores resolvendos, atque ad arthritides, et ad paralyses discutiendas exterius tentatur, incaute ab aegro ea copia inspiretur, quae, nisi eum intercluso spiritu exanimet, (sicuti pariter in vario Animalium genere ob plures caussas evenire olim ostendi) (*a*); non parum tamen

---

(*a*) De Animal. ex Meph. interit. Lib. I. Cap. I.

laedat. Non raro enim praeter incommoda, quae alibi commemorabam, (§. 81.) asthmati, atque haemophthisi viam paravit. Hinc si mittimus usurpari ad imbuendas vestes, ut scabies curetur, ad res omnes suffiendas, quae contagem, et pestem afferre, ac diffundere possunt, atque ad prohibendum ne vinum in dolio fermentet, nullus eiusdem Fumi usus apud Medicos iam est, qui ob adductas caussas vetant ne amplius ad excitandos asphyxia occupatos adhibeatur.

1865 Fumi proinde loco contritum Sulphur, vel solutum Oleo, vel exceptum Pinguedine in cutis morbis, ac speciatim in scabie inungi solet modo per se, modo cum aliis validioribus remediis, quae labem hanc uni Sulphuri saepe reluctantem abstergant. In hunc finem in Medicamentariis officinis prostant adhuc Unguentum sulphuris simplex, Unguentum sulphuris cum lithargyrio, Unguentum sulphuris cum mercurio, aut alia Unguenta ad Scabiem plus, minusve composita. Caeterum Sulphur exterius Chirurgi non amplius usurpant, ut alias ad tumores discutiendos, atque ad bubones maturandos consueverant.

1866. Itaque Antimonium, in quo *Stibium*, et *Sulphuretum* distinguimus, illud est e Fossilibus, quod ad explendam Diaphoreticorum historiam prae caeteris debet expendi. Nam postquam ex eo complura, ac non paucis Medicorum rationibus idonea remedia praeparari posse Chemicorum studia monstrarunt, eorumque

usus ab innumeris pene criminationibus vindicatos Clinicorum observata exhibuerunt, nemo iam dubitat, qnin eadem, aut saltem aliqua eorum ad efficacissima sudorem moventia remedia iure pertineant. Videt enim quisque iisdem fidentissime, ac creberrime maiores quosque Artifices uti. Quapropter officii est illis, quae de Antimonialibus praeparationibus, quas veluti aptissimas ad stimulandum (§. 887.), ad sputum movendum (§. 1310.), atque ad vomitum proritandum (§. 1361.) spectavimus, caetera addere, quae eorum vim sudorem moventem respiciunt. Quod praestabimus, dum simul exequemur vires reliquorum Antimonialium, quae hactenus silentio praeterita fuerunt, quoniam nulla alia de caussa vel solent a Medicis praescribi, vel olim saltem administrari consueverant, quam ad sudorem eorum virtute elicendum.

1867. Ut autem aliquo ordine singula proferantur, commodum mihi videtur eos recentissimos Chemiae, et Pharmaciae Scriptores sequi, qui in sex genera tribuenda esse duxerunt quaelibet Antimonialia remedia, quae Medicina iamdudum sua fecit. Etsi enim ex Veteribus, ut animadvertit GEOFFROEUS (*a*), vix HIPPOCRATES, et DIOSCORIDES *Stibii* meminerint, quorum alter ad tetragonum pharmacum, alter ad purgans quoddam medicamen recipi monuit; eiusdem tamen vires studio BASILII VA-

(*a*) Op. et Vol. cit. pag. 122.

LENTINI iam seculo duodecimo revelatae, amplius dein evolutae seculo decimo quinto a PARACELSO, eiusque asseclis fuerunt. Ita quidem, ut post varias vicissitudines, quibus Antimonialium usus obnoxius fuit, iamdiu convenerint inter se Medici duplicem generatim efficacissimam, opportunissimamque vim, iuxta varium praesertim praeparationum discrimen, unam vomitum cientem, alteram sudorem provocantem, Stibium habere.

1868. Pertinent ad primum genus remedia, quae ex ipso metallo sine ulla Sulphuris admixtione desumi possunt, nimirum ex Regulo Antimonii, quod nunc *Stibium* proprie cum Chemicis vocamus. Huc referuntur usitata olim Pocula Antimonii, quae nihilominus, cum plerumque pararentur non ex solo regulo, sed ex una huius parte, et duabus Stanni, Pocula reguli Antimonii, aut Scyphi vomitorii dici solebant. Vinum, aut Zithum, aut Sicera, aut quodvis idoneum liquoris genus nocte una in haec pocula infusum mane sumebatur pleno ore, si vomitus ciendus esset, secus exiguis haustibus, et partite, si sudor provocandus videretur. Medendi quidem ratio, quae cum modo parum efficax, vel iners, modo nimis vehemens, vel plena periculi existeret, prout liquor vix aliquid, aut nimium acore suo de Antimonii regulo suscipiebat, recte obsolevit. Pari iure, nisi etiam aequiori, Globuli antimoniales ex regulo fusi exoleverunt, qui millies deglutiti dicebantur, vomitum, aut alvum, aut sudorem movere;

quoniam ex eo, quod solummodo ratione rerum in ventriculo, atque intestinis haerentium, quas offendebant, agerent, ambigui plane usus eos esse experientia monstravit.

1869. Secundum genus constituunt *Oxyda Antimonii pura*, quae, ut Chemici observant, nisi certam habeant oxyginii quantitatem, quae inter minimam, et maximam media quodammodo sit, parum sane efficacia sunt. Quamquam id novisse nostra iam non multum interesse videatur. Nam Flores reguli Antimonii, qui ad sudorem movendum trium, aut quatuor dosi granorum, et ad vomitum excitandum paullo maiori alias propinari solebant, inusitati iam sunt. Nix Antimonialis ex regulo martiali, quae a granis octo ad viginti, et ultra, utpote certius diaphoretica, magis adhuc in morbis cutis, in arthriticis affectibus, atque in febribus intermittentibus usitata erat, non amplius usu probatur. A clarioribus etiam Clinicis plane negligitur *Oxydum stibii album nitro confectum* seu Antimonium diaphoreticum tum ablutum, tum non ablutum; quia neutrum a paucis granis ad scriptulum fere exhibitum satis efficax remedium largiri observant, ut resolventi, ac diaphoreticae eius virtuti chronici cuiusque exanthematis, aut impetiginis, aut arthriticae, vel rheumaticae passionis curatio unquam credenda sit.

1870. Neque aliae Praeparationes istis persimiles ad sudorem movendum nobis usitatae sunt, etsi aliis Europae locis passim so

leant adhiberi. Quandoquidem illa etiam in usum non venit species Antimonii diaphoretici, quae ex Antimonii crudi, et Cornu cervi pari quantitate in calcem redacta emergit, et Pulverem Iamesii constituere dicitur, atque ab Anglis magnopere celebrata, et passim adhibita, a quibusdam Galliae, et Germaniae Medicis non minoris iam habetur. Nam commodum illud, quod ab eiusmodi pulvere hi Medicorum assequi curant, sive ut vomitum, aut alvum moveant, sive ut, minori dosi eodem exhibito, sudores invitent, et resolvendo, ac stimulando complures aegritudines abstergant; nostrates Clinici rectius quidem, ob satis manifestas caussas a praeparationis genere, et notissima actione eruendas, a *Tartrite potassae stibiato* suis aegris procurant. Illud vero *Oxydum stibii ex acido muriatico*, quod Pulverem Algarotti, vel Mercurium Vitae nominant, ac Tartritis potassae stibiati praeparationi commode inservit, quamvis a granis duobus ad sex, ad vomitum excutiendum alias Medici frequenter usurparent, imo unius, aut alterius grani pondere passim admiscerent plerisque remediorum formulis, quae resolvendi, et sudoris pellendi caussa administrabantur, nunquam per se hodie usurpatur. Etenim non minus agendi gradu infidum, ac virtute ambiguum, quam supervacaneum medicamentum censetur.

1871. Tertium genus Salia Stibii complectens praeter *Muriatem stibii sublimatum* seu Butyrum Antimonii, cuius externos

usus alibi proposui (§. 900.) nobilissimum ad sudorem promovendum exhibet auxilium, cum afferat Tartarum emeticum, quem nobis *Tartris potassae stibiatus* praestat, dum aliis Crocum Antimonii ad eum parandum su mentibus *Tartris lixiviae stibiatus* largitur. Ob eas enim insignes vires, quibus reliquis aliis Antimonialibus ad excutiendum vomitum hocce remedium antecellere alibi vidimus (§ 1359. et seq.) praestat etiam pene omnibus eiusdem Stibii remediis minori dosi datum, quam vomitionis caussa offeratur, ad caeteras explendas indicationes, quas hoc medicaminum genere absolvere Clinici student. Partite quippe propinatum, modo per se, modo cum aliis remediis, quorum vis acuenda sit stimulo suo, tam idoneum est quibusque exinanitionibus expediendis, inter quas ea, quae ex cute fit, non ultima esse solet, ut revera modum non excedere videri iam queant, qui existimant, unum Tatarum emeticum cum habeat Medicina reliquis omnibus Stibii praeparationibus non amplius indigere.

1872. Evictum porro iam est nuperiorum Clinicorum observatione non solum pari utilitate idem remedium recipi, ac alibi tradidi sive stimulandi (§. 887.), sive resolvendi (§. 1002.), sive sputum excutiendi (§. 1310.) fine caetera Antimonialia usurpari; verum etiam pari efficacitate, cutis exspiratione usque ad sudorem incitata, omnibus morbis opitulari, quibus Stibii vis generatim conducit. Oportet solummodo, ut in eius usu Artifex sciat ae-

grorum rationibus vim remedii accommodare, ne nimio stimulo aut vomitum, vel alvum sudoris loco excutiat, aut stomachum diutius exhibitum laedat, atque una noscat cautiones, quas eiusdem remedii usus exigit. Praeter eam siquidem, quam alibi proferebam (§. 1360.) eiusdem Tartari emetici adhibendi regulam, oportet sedulo curare, ne ab aqua minerali- bus principiis obsita, a fructibus, et condi- mentis, potionibusque, quibus aeger utatur, ab acidis, alcalicisve liquoribus, atque a cae- teris una adhibitis remediis, quae eum resol- vunt, immutetur. Tunc enim vel omnem me- dendi efficacitatem amittit, vel novam vim as- sumit, vel nocuam etiam qualitatem induit.

1873. Quod quidem ne accidat, eo ma- iori studio curandum esse videtur, cum Che- micorum quidam coniiciant alia etiam Vegeta- bilia remedia eam proprietatem habere, qua Cortex Peruvianus, ut Ill. BERTHOLLETUS re- perit, Tartriti potassae stibiato vomitus ciendi facultatem adimit. Cuius etiam observationis meminisse iuvabit, ut possim hoc loco mo- nere resolutionem eiusmodi non sine aliquo ipsius virtutis, qua idem Cortex ad febres submovendas valet, detrimento perfici; ex quo minoris adhuc faciendam arbitror eorum me- thodum, qui in iisdem curandis, ut simul re- solvant, utrumque remedium admixtum gene- ratim usurpant. Maxime vero cum tot alia suppetant, quae sine eiusmodi periculo, si aliquid addendum Cortici Peruviano sit, quod rarissime conducit, eidem queant admisceri.

Caeterum cum hicce Cortex vim emeticam tollat Tartriti, opportunum est Chemicorum consilium; quo monentur Medici, ut illius praesertim decoctu protinus propinato subveniant aegris, qui ex nimia eiusdem Tartritis actione laborant.

1874. Referuntur vero ad quartum genus *Stibiata sulphurosa*. Siquidem *Sulphuretum Stibii* seu Antimonium crudum in pulverem levigatum cum ab uno scriptulo ad quatuor, et ultra sumi possit, quin stomachum faciat, tum hac forma sumptum, tum una cum Ptisanis, aut Decoctis, aut Bochetis diu decoctum nostra quoque aetate a quibusdam valde probatur. Hi nempe, ut sudorem moveant, integros reddant humores, et chronica praesertim cutis exanthemata discutiant, alterutro modo Antimonium passim usurpant. Ipsis enim non officit, quod istud a gastrico succo solvi haud viderim (*a*). Nam id ad actionem eius necessarium non putant, aut saltem alios succos in primis viis, a quibus solvatur, occurrere conliciunt. Nec iisdem pariter obest alterum, quod a plerisque cum Geoffroeo traditur Antimonii decoctionem prorsus inutilem ideo esse, quia aqua diutina etiam coctione nihil de eodem dissolvit, aut retinet (*b*). Nam, ut contrarium evincant ad ipsam experientiam provocant, quasi dicere possint cum Cel. Quarinio (*c*)

(*a*) Ricerche sul sugo gastrico.
(*b*) Loc. cit.
(c) Animad. Pract. Cap. 14.

» tam a pulveribus, quam a decocto cum an-
» timonio secundissimos successus in Nosoco
» mio vidimus ».

1875. Est quoque huius loci *Oxydum Stibii sulphuratum vitreum* seu Vitrum Antimonii, quod in Simplex, et Ceratum distinguitur. Quamvis enim hoc neque in alvi immodicis fluxibus, ac speciatim in dysenteria, cui praesentissime mederi falso dicebatur, neque in paralysi, in soporosis affectibus, atque in Colica pictonum a prudentioribus Clinicis nostrae aetatis ne quidem sex, aut octo granorum dosi tentari nunc soleat, utpote nimis ambiguum, et periculosum; alterum tamen ad Vinum Antimoniale Huxamii recipitur. Eiusmodi Vinum propinatum, infantibus ad paucas guttas, pueris ad uno scriptulo ad drachmam, atque adultis a drachma una ad unciam, vel sesquiunciam, vel etiam ultra (dummodo ab exigua semper quantitate usus remedii auspicetur, et paullatim in dies augeatur) in quamplurimis revera morbis, qui stimulans, resolvens, atque etiam ex cute movens remedium requirunt, commodissimum est. Consuetudo tamen apud nos invaluit, ut modo per se, modo additum ptisanis, et mixturis probetur speciatim in rheumaticis affectibus, et cutis vitiis, quae etiam curationem aegrius admittant, vel iam inveteraverunt. Non reticendum interea est nunc a Clinicis plerisque huic Vino substitui Vinum Antimonii, quod praebet Tartris potassae stibiatus vino Hispanico ea proportione additus, ut

quaelibet Vini uncia duo Tartritis grana contineat.

1876. Illud tamen remedium, quod sub hoc genere Medicorum observationem ad se potissimum revocavit *Oxydum Stibii sulphuratum rubrum* seu Kermes minerale est; supervacaneo iam declarato *Oxydo Stibii sulphurato aurantio* seu Sulphure aurato Antimonii (§. 1310. 1361.), ac Veterinariae medicinae permissis Hepate Antimonii, et Croco metallorum ex *Oxydo Stibii sulphurato semivitreo non abluto*, et *abluto*. Est porro Kermes minerale remedium eximium, ac multorum sententia Tartrite ideo praestantius resolvendi, et sudoris proliciendi caussa adhibitum, quod minus emeticum validius ad cutem actione sua contendat, atque hanc potissimum viam petat, neque ab eadem omnino deflectere videatur, quando sputum praesertim invitat. Ob quam caussam rite paratum usitatissimum esse solet eorum remedium, qui optime, et sine aucto calore stimulans, incidens, resolvens (§. 1001.), discutiens, expectorans (§. 1310.), et sudorem movens pharmacum requirunt.

1877. Quod paucis dixisse sufficiat, ne indicando singula genera morborum, ad quae passim utilissime recipitur, plures acutas aegritudines, ac cunctas pene lentas, et chronicas hic debeam enumerare. Potius dicam in Kermetis Mineralis usu, ut tutus, maximeque proficuus evadat, oportere tum eas regulas generatim sequi, quas monui Tartrite utentibus necessarias, (§. 1872.) tum speciatim cu-

randum ne Kermes minerale, cum a plerisque liquoribus non solvatur, et saepe medicatis potionibus adiici soleat, in fundo vasis haerens ab aegro vel non sumatur, vel residuum una vice hauriatur tanta copia, quae vomitum moveat, et stomachum inprimis laedat. Quare in universum eos sequor, qui singulis vicibus unum granum Kermes cum octo, aut decem Sacchari aegro praebent, vel cum idoneo syrupo admixtum sorbendum exhibent, sicque saepius die possunt tutissime, aucta petedentim dosi, tantum remedii propinare, ut dimidium scriptulum, imo unum intra diem sine ulla stomachi molesta commotione assuetus quisque insumat.

1878. Quintum genus ab illis omnibus constituitur, Tincturis antimonialibus, quae olim, quasi valde dissimilibus viribus pollerent, et peculiaribus usibus prospicerent, tam multae in Medicamentariis officinis prostabant. Celebriores vero habebantur Tinctura Antimonii acris Hoffmanni, Tinctura Antimonii Saponata, Lilium Paracelsi, et Tinctura Antimonii Tartarisata, quae a paucis guttis ad triginta, aut quadraginta, et ultra dilutae idonea aquae quantitate in morbis chronicis usitatissimae erant. Ubi nimirum oporteret stimulare, tenuare, resolvere, obstructiones viscerum discutere, eademque roborare, atque una modo provocato sudore, modo aucta urinarum copia expediret alienos, et morbidos humores e corpore expellere, in usum venie-

bant. Hinc mirari non subest, si tum istas, tum alias persimiles Tincturarum formulas Pharmaceutici codices olim conscripti veluti probatissimas exhibuerint.

1879. Quin imo licet SPIELMANNUS hisce Tincturae speciebus concessam resolvendi facultatem dubiam, aut falsam ideo existimaverit, quia Alcohol ad eas conficiendas adhibitum serosos humores cogit, non solvit (*a*) qui tamen Codicem Pharmaceuticum Parisiensem reformarunt unam saltem Tincturam Antimonii retinendam esse voluerunt. Eiusmodi est, quam solutio *Sulphureti potassae antimoniatae* cum alcohole affert, quamque aliarum etiam Gentium Codices Medicamentarii exhibent (*b*) Huic siquidem Tincturae, quae *Alcohol sulphureti potassae antimoniatae* vocanda videtur, si tribuenda non est virtus perpetuo resolvens, alias saltem vires concedendas esse ii volunt, qui observant ad paucas licet guttas opportune adhibitam idoneo stimulo movere sudorem, aliaque commoda afferre, quae ex usu Tincturae Antimoniatae acris plerique Medicorum, duce HOFFMANNO, aegris olim pollicebantur.

1880. Quae denique ad sextum genus revocantur, etsi inter Pharmaceuticas praeparationes adhuc soleant describi, a Medicorum tamen rationibus longe aliena nostra aetate censentur. Etenim Regulum Antimonii mar-

(*a*) Pharmac. General. Part. II. pag. 333. et seq.
(*b*) Pharmacop. Austriac. Provinc. 1794.

tialem, Regulum Antimonii medicinalem (*a*), Regulum Antimonii simplicem (*b*), aliaque hisce similia, quae in libris Pharmaciae expenduntur, ob nimis vehementem actionem nemo Medicorum, vel audacior, usurpat; quemadmodum cordatus nemo poterit unquam exoptare, ut Officinae iterum recipiant ex Stibio Diaphoreticum minerale, Panaceam universalem, et Bezoar minerale. Ex quorum nomine per se iam enitet quam merito eadem exulare iusserit Medicina statim ac, explosis Alchemistarum erroribus, et sublatis circulatorum fraudibus, ad pristina rediit rationis iura, et veritatis.

1881. Quae quidem salutaris Ars dum efficacioribus auxiliis utitur ad sudorem movendum eorum usum ita curat dirigere, ut venturum remedii actione sudorem calido potu sollicitet, eumque per omnia membra salubri effectu diffundat; ut, cum fit, neque inaequalis, neque frigidus tamquam irrorato corpore prodeat, quoniam ille morbum raro solvit, hic perniciosissimus est; ut calidus a summis partibus ad extremas usque servetur, aegro sub idonea veste contecto, ex cuius tamen mole is neque aestuet, neque anxius fiat; ut modum nunquam excedat, ne debile, laxum, nimis sensile, et frigori vel levissimo dein fer-

---

(*a*) Pharmacop. Gen. Part. II. pag. 281.
(*b*) Dispensat. Univers. pag. 962.

endo impar corpus reddat, imo, ubi diutius trahendus sit, idoneo cibo, qui virium etiam imbecillitati prospiciat, provide sustineatur; ut eo iam madefactum corpus tepido linteo subinde abstergatur, tepefacta quoque sicca subucula induta, eoque finito, antequam cibus detur, singula membra detergantur, ac quodvis a frigido, humidoque aere periculum studiosissime vitetur. Atque haec maiori adhuc cura exsequenda sunt ubi liceat, Veterum more, calore fere ingenti externis auxiliis concitato, et simul aqua frigida copiose ingesta sudorem movere, singularis curationis caussa. Quod, etsi rarissime, potest tamen interdum incidere. Nam est » circumspecti quoque hominis, dicam cum CELSO (*a*), et novare in- » terdum, et augere morbum, et febres accen- » dere; quia curationem, ubi id quod est, » non recipit, potest recipere id, quod futu- » rum est.

(*a*) Lib. III. Cap. IX. pag. 125.

CAPUT X.

De Emmenagogis.

1882. Quamquam remediorum, quae ex utero evacuarent, triplex olim genus Medicinae Scriptores constituerint, vix unum non sine multa haesitatione potest admitti. Etenim tum Ecbolica, seu quae fetum, et quidquid post eum fere prodit, ex utero eliminent, tum Aristolochica, seu, quae necessarias post editum infantem Puerperarum purgationes moveant, si unquam a medicamentis queant desumi, ab eo tantum genere ducuntur, quod Emmenagoga complectitur. Haec vero, seu remedia, quae menstrua in feminis, sive nondum, cum apta aetas est, erumpentia, sive forte, prius quam haec postulet, suppressa, provocent, num revera eiusmodi suppetant, quae ad proprium, distinctumque genus debeant revocari, quidam Therapeutarum vehementer, nec sine caussa dubitant, Quandoquidem animadvertunt communia, non propria esse auxilia, quae ad menstrua utroque in casu advocanda a Medicis adhibentur.

1883. Proprium nimirum menstruis expediendis remedium ex eorum sententia, nullum esse potest, cum hactenus inventum sit nullum, quod uteri vasa et proxime, et speciatim afficiat. Quin imo ex ipsis etiam medicamentis, quae prae caeteris quandoque respondent,

nondum datum fuit vel unum detegere, quod licet vere, absoluteque specifica, ut dicunt, virtute ad uterum non contendat, ea saltem polleat qualitate, quae facilius, et promptius ad huiusmodi viscus, quam ad quodvis aliud suam actionem deferat. Sit nempe remedium non minus pronum ad menstruum sanguinis fluxum advocandum, quam elargiatur Aloe, aut Scilla, ad alvum, vel urinam movendam; etsi neutra vere specifica habeatur. Uteri vero natura mirabilis cum in multis aliis, tum in menstruis quoque cognoscitur. Nam ab iis interdum rebus corpori applicatis valde percellitur, quae caeteras corporis partes parum, aut nihil afficere videntur, tum alias excitatis harum omnium motibus nullo modo respondet, imo invicte resistit. Ex quo cum accidat, ut illa, quae vasorum actionem in universum augent, neque semper, neque satis uteri ipsius vascula excitent, quorum aucta vis ad sanguinis fluxum concitandum, perennandumque requiritur; accidit quoque, ut ipsa medicamenta, quae et generatim, et potissimum stimulant, viresque incitant, ad menstrua, sive retenta, sive cohibita, evocanda fiant admodum ancipitis usus.

1884. Quare qui haec ad disceptandum adducunt, cum nullum esse videant sive proprium, sive commune auxilium, quo feminae ex menstruis retentis, aut aegre procedentibus, aut obstructis laboranti possit unquam Medicina, iisdem tuto advocatis, apteque restitutis, certam salutem polliceri; facile concludunt vanum, atque improbandum esse Therapeuta-

rum studium in quibusdum ex universa Auxiliorum materie deligendis remediis, quae postea tamquam Emmenagoga ad singulare genus amandent. Quod quidem eo magis inconsiderate fieri ipsis videtur reputantibus tum originem eiusmodi retentionis, aut suppressionis menstruorum, quae non alicuius aegritudinis fons, at eiusdem iam praesentis effectus habetur, tum differentias morbidarum passionum, quae alterutram inferunt, rerumque dissimilitudines, quae medendi caussa adhibentur.

1885. Verum, quamvis haec admittantur, aequam, sufficientemque rationem puto Therapeutas habere, ob quam remedia quaedam a reliquis Evacuantium generibus seiuncta, distincto loco veluti Emmenagoga proponant. Sufficere enim mihi videtur sub uno, aut altero remediorum genere aliqua existere, quae generalis licet virtutis ratione cum caeteris conveniant, istis tamen potiorem efficacitatem, ac propriorem usum habeant ad menstrua eliciencda. Quod quidem verissimum esse effectus abunde declarant eorum medicaminum, quae crebrius veluti Emmenagoga usurpantur, utcumque eiusmodi discriminis caussa, quae in medium afferri potest, dubia adhuc videatur. Quando enim scimus quaedam caeteris magis idonea esse, perinde est sive maius eorum commodum pendeat a stimuli indole, quae vel ad uteri vasa ocyus, et validius se diffundat, vel, cum vasa sanguinea afficit, musculares quasque, et nerveas uteri fibras simul percellat, sive oriatur a natura remedii, quae ex variis coa-

lita principiis, variisque una viribus praedita queat eodem tempore, quo se explicat, non uni, at multiplici caussae apte mederi, quae menstrua prohibuit; quemadmodum passim evenit.

1886. Porro cum eo generatim recidat omnis ratio rerum, quae ad menstrua avocanda valere possunt, ut humores uterum aut aegre, aut non debita copia subeuntes, idoneo impetu, et apta quantitate ad eum promoveant, utque impedimenta removeantur, quae liberae, et facili ex uteri vasculis sanguinis eruptioni, aut huius e mulieribus fluxui se opponunt; multiplicem sane, non unam, plerumque caussam debent medicamenta superare, ut Emmenagoga fiant: etiam si mittam eam, quae ab organorum vitio interdum oritur. Nam dicam cum Ill. GREGORYO (*a*) „ si propter pravam uteri, vel vaginae fabricam, sive a natura derivatam, sive „ morbo corruptam, sanguis vel in illum exprimi, vel per hanc elabi nequeat, cuiusmodi apud idoneos auctores nonnulla, quamvis rarissima, extant exempla, perspicuum „ est tale impedimentum vel sola Chirurgia „ esse submovendum, vel morbum omnino „ insanabilem fore, et omnia dumtaxat medicamenta ad provocandos menses frustra adhibitum iri „.

1887. Ex discrimine autem, et complicatione caussarum menstrua prohibentium cum

(*a*) Op. cit. §. 1544.

eruatur facile differentia curationis, quae feminae ex iisdem non procedentibus male se habenti facienda est, mirandum non erit, si Therapeutae tam plures, atque ex tam dissimilibus Remediorum generibus sumptas res ad hocce Caput traducant, secus fortasse ac quorundam opinione praestandum esset. Qui enim in solo defectu stimuli omnem sive retenti, sive cohibiti menstrui fluxus rationem constituunt, satis esse credunt in utroque casu, ut avocetur, ad ea praesidia confugere, quae interius, exteriusve adhibita, cum stimulantia sint, vasis uteri iustum illius incrementum afferunt. Id, quod ex communi medendi methodo existimant confirmari, quae in recto Stimulantium usu versetur. At quaeso considerent qui ita sentiunt, quid reliquae etiam caussae ad menstruorum defectum afferendum possint, quidque ad easdem uteri purgationes interdum valeat, nempe prorsus dissimili modo agens remedium, et sententiam mutent. Quando nimirum animadverterint ipsa interdum stimuli actione praeter naturam aucti, qui vel a fluidis, vel a solidis partibus, vel rectius ab utrisque pendeat, menstrua morari, et supprimi, ac tunc simul cognoverint nonnisi ei contrariis remediis, modo Sedantibus, modo Demulcentibus, modo Infirmantibus opus esse.

1888. Quibus si reliqua addiderint, quae ob varium impedimenti genus haerens fluxus non raro postulat, nunc Emollientia, nunc Relaxantia, nunc Resolventia, maiorem adhuc rerum varietatem menstrua apte moven-

tium admittendam esse Therapeutis concedent. Qui proinde aequissime solent, opportuna caussarum aestimatione habita, ex alio, atque alio genere ducta remedia tamquam Emmenagoga proponere. Praesertim cum omnium communissimam, aut generalem eam habendam esse non arbitrentur, quae a debilitate, vel languore ex laxitate, et nutritionis defectu praesertim orto procedit; etsi haec fere una a quibusdam Pathologis constituatur. Qui nempe id, quod accidit feminis urbano otio, et corporis desidiae deditis, in calido, humido, et palustri aere viventibus, ac male enutritis, temere ad eas quoque extendunt, quae sub dissimili coelo exercitatam, aut laboriosam vitam traducunt, ruri degunt, viriumque robur optimo, copiosoque alimento confirmant. Quamquam est inter utrasque, quo ad caussam retentionis, aut suppressionis menstruorum, tam insigne discrimen, ut auctor de tuenda, restituendaque Populi salute facile princeps TISSOTUS generatim observaverit feminas in urbe molliter viventes huic incommodo obnoxias fieri ex debilitate, rusticas vero ex nimio sanguine retento (*a*).

1889. Ex qua proinde observatione potuit Vir summus tutissime affirmare priores Roborantia remedia omnino requirere, alteras vero prorsus indigere tum sanguinis Missione, quae, ut illis immedicabile fere ex imbecilli-

(*a*) Avis au Peuple Tom. 2. pag. 38.

tate malum inferret, sic istis, interdum momento temporis, saluti est, tum tepidis pedum Balneis, Nitro, Sero lactis, similibusque auxiliis. In qua tamen duplici curationis methodo generatim constituenda cum ultro concesserit idem Cel. TISSOTUS casus quandoque incidere, qui specialem curationem exigant (*a*), non obscure declaravit ex multiplici Medicinae fonte haurienda esse praesidia, quibus obstructione mensium laborantibus feminis opitulemur.

1890. Cum tam varia proinde non menstruatis feminis curatio adhibenda sit, recte solent, qui Therapeuticen generalem exponunt, varia remediorum genera tamquam Emmenagoga indicare, quae Clinici toties usurpent, quoties medicamentis opus esse cognoscant. Ea enim non semper ad obstructa menstrua reseranda requiri et facile perspiciunt, et apposite monent. Namque ubi deficientibus menstruis, quae vel nondum eruperint, vel substiterint, vires, et functiones, quibus sanitas regitur, manifeste perturbatas non videant, apprime sentiunt alienum, et saepius nocuum futurum quidquid eadem posset moliri, ac contra vim adhuc integrae naturae improvide extorquere. Haec quippe, quos menses aut retinuit, aut cohibuit, per se longe melius, atque utilius opportuno tempore restituit, aut saltem, ubi auxiliis indigeat, Diaetetica, non Pharmaceutica, quandoque desiderat.

(*b*) Op. et Tom. cit. pag. 46.

1891. Hinc facile assequimur quommodo Medicina et ex triplici Auxiliorum fonte, et ex multiplici horum genere Emmenagoga desumat, Medicisque pro re nata adhibenda proponat. Quam ob rem nobis quoque ad ea recensenda medicamenta, quae menstruis avocandis inserviunt, atque efficaciora, usitatiora que esse solent, properare non licet, antequam caetera, indicando potius, quam docendo, non attingamus, quibus interdum Ars providentissime menstrua sollicitat. Quod ideo etiam prae stare magis interest, cum horum usum neque tunc debeamus negligere, quando menstruorum obstructionem medicamentis vincere nitimur.

1892. Veniunt in hunc censum illa alimenta, et poculenta, quae cum boni sanguinis copiam faciant, viresque magis restaurent, atque incitent, recte usurpata non raro per se menstruis provocandis sufficiunt; Exercitationes corporis, gestationesque variae ad Gymnastices praecepta exactae, atque inprimis vectio in rhaeda, Choreae, Tripudia, et Saltationes, quae tamen (§. 435., et seq.) neque nimis laboriosae sint, neque nimis protrahantur; et provide excitati animi affectus, qui, gaudium, laetitiam, et securitatem cum afferunt, erectis viribus, auctisque humorum motibus, (§. 504.) sanguinem ad uterum maiori copia, et impetu determinant, tuncque maxime ei effluxuro favent, quando contrariae, et vehementes, et subitae, ipsius animi perturbationes, (§. 500., et seq.) eius fluxum vel cohibuerint, vel adhuc impediant.

1893. Accedunt Frictiones in hypogastrio, pube, femoribus, cruribus, pedibusque asperiori potius calenti panno, quam nuda manu apte institutae, ac subinde renovatae; aut earum etiam loco siccae Gucurbitulae multo adhibito igne coxis praesertim, aptisque vicibus impositae; calidi Vapores, interdum medicati, ut novas, maximeque suppressionis caussae idoneas vires recipiant, vulvae caute subditi, aut super imum ventrem data fomenta, quae in usum interdum veniunt, ipsis iam reiectis foetidis emplastris, quae alias non uno attrahendi fine femoribus admota mirifice proficua credebantur; tum Balneum pro varia cohibiti fluxus caussa, et vario item medendi fine nunc tepidum, aut calidum, aut frigidum, ac nunc universale, aut partiale; atque ipsa Electricitas, quam cautissime tentatam, atque ita directam ad lumbos, et inguina, ut ictu, aut scintillis ad uterum stimulum potiorem deducat, ad revocandum menstruum sanguinem tunc magnopere facere, ubi is ex solidarum partium laxitate, atque inertia substiterit, Cel. MAUDUYTIUS inter caeteros evicit (*a*).

1894. Sua quoque auxilia ex menstruorum obstructione male se habentibus feminis Chirurgiam afferre iam dixi (§. 188.) cum monuerim quibus Sanguinis missio utilis, ac necessaria sit. Sed praeter hunc sanguinis detrahendi modum, ac praeter utilitatem, quam

---

(*a*) Memoires sur l'Electricité médicale.

interdum commodius applicitae circa muliebria hirudines possunt afferre, subvenire iamdiu haec Medicinae pars iisdem feminis studuit Ligaturis ita adhibitis, ut, ob femorum vasa compressa, sangüis cogatur copiosius, et validius uterum subire. Quin imo novissime non defuit, qui singulare instrumentum adhibendum proponeret, cuius ope uteri osculo applicititi menstrua proxime ex eo evocarentur. At de utraque administratione, quarum altera nimis anceps, et periculosa, altera pudori etiam nimis contraria plerisque videtur, ut a prudenti, et nobili Artifice probari queat, quid absolute decernendum sit, Chirurgiae magistri dispiciant.

1895. Nostra magis attinet persequi caetera genera remediorum, quae evocandis menstruis interdum expediunt, et, nisi improvide usurpentur, noxa carent. Sunt huius census Emollientia, et relaxantia, quae ubi contracta, et rigida vasa erupturo sanguini resistant, fluxui evocando conducunt; Adstringentia, et Roborantia, quae ab imminuta cohaesione, et fracto virium robore retentis, aut cohibitis menstruis medentur; Stimulantia, quae a defectu stimuli, et retardato humoris ad uterum affluxu retentum, cohibitumve fluorem invitant; Antispastica, quae spasmo retentioni aut suppressioni caussam praebente soluto, proficiunt; Sopientia, quae nervorum turbas, et motus partium abnormes, doloresque magis sedando maiorem plerumque opem afferunt; Refrigerantia, quae temperando prosunt; Re-

solventia, quae sive aliorum viscerum, et glandularum obstructiones, sive uteri infarcta vasa reserent, menstruis viam aperiunt; ac Demulcentia, et praesertim Oleosa, quae modo per se, modo cum Opiatis, aut Antispasticis coniuncta efficiunt non raro, dum irritationem ex multiplici stimulo obtundunt, ac tollunt, ut menstrua non solum erumpant, verum etiam, sine convulsione, aut spasmo, aut dolore effluant.

1896. Neque ipsa Evacuantia omni efficacitate, atque usu destituuntur. Nam Emetica provide tentata stimulo ad uterum consensu nervorum propagato, eodem viscere inter nisus vomendi concusso, spasmo soluto, incitatis, atque expeditis secretionibus, lymphaticorum actione aucta, ac tota pene corporis conditione mutata, persaepe menses prompte, copioseque eliciunt. Purgantia vero, ad crassa intestina praesertim cum descendunt, non possunt sane non multimode proximum uterum afficere, maximeque possunt Lotiones, sive ex iisdem, sive ex aliis medicamentis paratae, in alvum infusae; quibus idcirco sua etiam ad provocandum menstruorum fluxum non levis utilitas est. Denique Diuretica, quae prae caeteris ad vesicam contendunt, et non mediocrem stimulandi vim adhuc retinent, neque ipsa plane imparia utero ob vicinia irritando Therapeutis videntur.

1897. Interea locus iam monet, ut illud medicamenti genus iterum commemorem, cuius alibi memini (§. 640.) quod Pessum, aut

Pessarium vocatum Veterum exemplo feminis inter naturalia inditum ad menstrua evocanda olim frequenter usurpari solebat. Nam ut molli lana compositum erat, ubi partibus admovendum esset, si dolerent, ita acrioribus confectum medicamentis cum melle, aut mucilagine in solidum corpus coalitis provocandis menstruis inserviebat. Non enim ex Myrrha, ex Assa foetida, ex Galbano, atque ex Castoreo, verum etiam ex Salibus, ex Agarico, ex Helleboro nigro, ex Elaterio, ex Colocynthide, similibusque acerrimis remediis parabatur. Verum qui tam pravum medendi genus admiserunt, a quo veluti inepto, pleno discriminis, et turpi nobiliores Medici plane refugiunt, in iustam criminationem adducuntur cum ignorare haud possent quid Artis decus, verecunda Mulierum natura, atque honestatis leges apud cultas Gentes postulent.

1898. Expeditis autem iis, quae generatim ad Emmenagoga pertinebant, exequemur modo singillatim, quamquam breviter, quae usitatiores remediorum quorundam species respiciunt, quibus Ars menstrua potissimum nititur provocare. Rem vero a Vegetabilibus remediis exordiamur, ac primum a Coniferis stirpibus, ad quas pertinent folia *Iuniperi sabinat* (§. 910.), quae gravem et resinae similem halitum spirantia, ac cum fervore amara in summam celebritatem ob vim sanguinem ex utero pellentem vel antiquitus venerant. Hinc non Vulgus solum, sed quisque pene Medicorum magnam in eorundem usu, etsi fere

indiscriminatim suscepto, fiduciam collocare consueverat, ubi menstrua cienda essent, donec SCOPOLIUS eam adeo minuerit multiplici experientia ductus, (*a*) ut hodie nunquam fere a clarioribus Medicis in hunc finem soleat adhiberi. Siquidem complures alii Clinicorum deinde potuerunt factis experimentis cognoscere neque foliorum pulverem a scriptulo uno ad duo, neque infusa folia ab una drachma ad duas remedium largiri, quod diu etiam continuatum ad menstrua provocanda per se satis valeat.

1899. Oportetne igitur concludere, quod nequeunt folia Sabinae ad menstrua avocanda commodum praestare, ad gangraenas sistendas ad cancrosa ulcera limitanda, ad verrucas, et condylomata ex syphilide etiam hydrargyro reluctata resolvenda abunde rependere, si instar pulveris inspergantur? In tanto quidem, qui apud idoneos Medicinae Scriptores suppetit observationum numero, in quibus utilissimus Sabinae usus in adductis morbis cessisse dicitur, eiusdem efficacitatem in dubium revocare non licet. Sed quaerimus nihilominus cur eadem ab Ill. QUARINIO tentata, ut condylomata resolverentur, vix non inefficacia cesserint, a me vero in verrucis, poris, ulceribusque pluries adhibita nunquam, cum per se imponebantur, ne quidem sat evidentem, salutarem mutationem iisdem attulerint.

(*a*) Flor. Carn. pag. 404.

1900. Caeterum efficacem stirpem Sabinam esse tum patet ex hisce, quae allata sunt, tum non obscure prospicitur ex eius qualitatibus, ex copioso oleo Terebinthinae non absimili, quod distillata folia erogant, atque ex proprietate, quam habet, institutis extra humanum corpus experimentis evictam, putredinis arcendae quam diutissime. Sed mirum interea est hactenus probatissimam fuisse ad ea mala vincenda, ad quae aut nihil, aut parum valet, nunquam vero ad caetera recipi, aut saltem tentari, in quibus, si ex principiorum, et qualitatum ratione iudicare licet, maiorem utilitatem promittit.

1901. Sed inter Coniferas, quae arbor maiora Medicorum studia ad se iam avocat, est *Taxus baccata*. Nam ex singulis eius partibus remedia sibi novissime Medicina comparavit, quae et multis morbis vincendis, et menstruis etiam proritandis efficacissime prospicere dicuntur. Declaratum enim fuit Clinicorum clari nominis felici experientia, (quorum observationes propriis etiam auctas omnium primus Ill. ALTHOFIUS complexus (*a*) aequa lance aestimavit) Taxi folia, corticem, lignum, et baccas erogare valida medicamenta, quae caute adhibita ab aegris impune sumantur. Ita quidem, ut iam ad eadem apud nos quoque tentanda absterrere neminem pru-

---

(*a*) MURR. Apparat. Vol. II. Edit. 2. Supplement. Editor. pag. 558.

dentem Artificem debeat virus, quod in qualibet prope arboris parte delitescere post infinitas fere Veterum, Recentiorumque concertationes vix dubitari posse, pensatis utrinque ad disceptandum adductis rationibus, idem Cl. Auctor iudicavit. Qui praeterea ab eiusmodi venenata qualitate, quam narcoticis potius, quam acriter rodentibus venenis proximam esse scite coniecit, incitari, non deterreri Medicos oportere ad caute periclitandas Taxi vires recte monet; quoniam eos non latet complures Stirpes, quae sanis exhibitae graviter nocent, et audacter datae exitio sunt, ubi aegris oblatae sint, et pauca quidem, iustaque dosi, utilissimas, ac prope mirificas mutationes facultate sua tuto concitare.

1902. Ut vero excitemur ad Taxi usum tentandum faciunt inprimis, quae de medicatis foliorum viribus traduntur. Quae enim de Cortice ex aqua infuso ad febres intermittentes, ac speciatim quartanas, submovendas, atque ad rachitidem discutiendam Celeb. Viri HARMANDUS, et HUFELANDUS hactenus protulerunt, non eiusmodi videntur, quae utriusque morbi remedium nobis despondeant. Quae de Ligni rasi ad dimidia drachmam, et ultra tenuis pulveris forma adversus rabiem adhibiti eximia prorsus virtute narrantur, adhuc incertissima sunt. Quod item de Baccarum commodo ad catarrhales affectus, ad tusses siccas, et ferinas, ad haemorrhoides, ad calculos, atque ad alias denique chronicas aegritudines vincendas hactenus traditur firmioribus argumentis

comprobandum videtur. Nondum vero licet ob experimentorum defectum constituere, quid dici debeat de virtute contra venenatos Viperarum morsus, quam Cl. ALTHOFIUS (*a*) erudite indicavit ex SVETONIO (*b*), qui TIB. CLAUDIUM uno die viginti edicta proposuisse tradit: „inter quae duo, quorum altero admo„nebat, ut uberi vinearum proventu bene do„lia picarentur; altero, nihil aeque facere ad „viperae morsum, quam taxi arboris succum".

1903. Folia porro cum nauseabunda acritudine amara maximi fiunt, tum pulveris forma usurpata, tum praesertim in modum Extracti Fumariae extracto ob amaritiem non absimilis, quod ex aqua conficitur, aut ex vino; cui quidem potior efficacitas tribuitur ab iis, qui non animadvertunt, ob arctissimum gummi inter, et resinam nexum, aquam utrumque principium secum facile suscipere. Foliorum pulvis ad duo, aut tria grana initio exhibetur; dein paullatim aucta dosi propinatur intra diem partite, donec una, aut altera drachma quotidie impendatur. Extractum vero eodem modo usurpandum esse dicitur, hoc uno discrimine, quod vix liceat intra diem duodecim eius grana insumere. Qua in re oportet cautissime quemque se gerere, ac toties vim remedii imminuere, quoties nisus ad vomendum, vomitus ipse, alvus pluries, nec sine ardore, solu-

---

(*a*) Op. cit. pag. 619.

(*b*) SVETON. in CLAUD. cap. 16.

soluta, vertigo, levis sopor, dolor, aut stupor partem aliquam afficiens, atque alia eiusmodi se exerant, quae dosis vel paullo maior non raro suscitat.

1904. Noxa interim perpetuo carere pharmacum dicitur, et sine manifesta exinanitione prodesse exiguis dosibus propinatum. Proficere autem in rheumaticis inveteratis affectibus, atque in convulsivis morbis, et speciatim epilepsia traditur, tum magis adhuc valere ad menstrua, ut initio dicebam, provocanda. Ut haec quidem cieantur non parvi faciendam esse huius medicaminis actionem nos commonefaciunt curationes inprimis Virginum ex mensium obstructione laborantium, quas post alios Clinicos Cl. ALTHOFIUS auspicato instituit. Duas enim puellas, quibus iam ab anno menstrua substiterant, solo Taxi exstracto, iisdem revocatis, saluti restituit; ac dein alteram, quae amissis ex subita post corporis aestum refrigeratione pariter menstruis in chlorosim inciderat, eodem Extracto, cui postea ferri scobs addita est, restituto feliciter fluxu, sanavit. Ex qnibus sane observationibus sperandum iam mihi videtur fore, ut Italiae quoque Medici ad Taxi vires sive emmenagogas, sive quascumque alias in aegris caute, diligenterque tentandas mecum accedant.

1905. E Compositis stirpibus, quae desumitur *Artemisiae vulgaris*, seu Artemisiae herba cum summitatibus floridis complurium laudibus ad menstrua, et lochia pellenda adhibita ex spasmo, aut ex hysterica praesertim

passione, cui mederi interdum dicitur, iamdudum inclaruit. Sed qui animadvertat eandem destitui iis qualitatibus, quae insignem vim praenunciare queant, tum nostra aetate infusi forma adhibitam aegrotantium spem fefelisse, is assentietur facile VENELIO, qui eam magis celebrem, quam efficacem, vocavit (*a*). Qui tamen Auctor pretium, quod huic ademit *Matricariae parthenii*, seu Matricariae herbae (§. 797.) ita addidit, ut eius usum ultra eos limites, quos alibi constitui, extenderit. Parem enim eam habet menstruis, et Puerperarum purgationibus, imo iis, quas secundas vocant, expellendis si in pulverem trita a medio scriptulo ad duo, atque infusa ad quatuor uncias propinetur. Qua quidem in re licet consentientes habeat Medicos omnes, vereor tamen, num, ubi observata, quae extra omnem dubitationem eam ponant, ab iisdem sciscitentur, unum vel alterum possint exemplum sive menstrui, sive lochialis sanguinis sola Matricariae potentia avocati in medium afferre.

1906. Quanti autem ex Aggregatis desumpta *Valerianae officinalis*, seu Sylvestris radix etiam ad menstruum Sanguinem invitandum eximiae prorsus eius vires suo loco fuse propositae (§. 913., et seq.) per se iam innuerant, nisi captis etiam experimentis clarius innotuissent. Porro non solum passim experior Valerianam modo Cortici Peruviano, modo

(*a*) Précis de Mat. Med. Tom. I. pag. 298.

Martialibus remediis admixtam horum medicaminum vim ad menstrua ex debilitate retenta, aut suppressa provocanda evidenter intendere; verum etiam per se adhibitam eadem interdum observavi provide movisse. Nempe tunc facile movet, ut alias dixi (*a*), ac nunc iterum possum testari, cum suppressioni a laxa, ac debili fibrarum compage profectae, nimia sensilitas, virium languor, et spasticae affectiones se adiunxerint.

1907. Non possum etiam non Extractum laudare, quod una ex Umbellatis Stirpibus, nempe *Conii maculati*, seu Cicutae herba (§. 960., et seq.) largitur; quoniam eodem usus in feminis, quibus menstrua ex pravo corporis habitu, et cachexia incipiente substiterant, ipsis non raro saluti fui, imo auxilium maxime attuli Mulieribus aliis quae et viscerum, et menstruorum simul obstructione in cachexiam inciderant. Cum enim Cortex Peruvianus, et Ferrum curationem non expedirent, addita eisdem Cicuta eam evidenter acceleravit, perfecitque morbi caussis ocyus discussis, atque una menstruis avocatis, quae redditam salutem magis confirmarent.

1908. Valde efficax item remedium, quo menstruus fluxus apte incitetur, praebent illae ex Umbellatis Stirpibus petita Gummi resinae, quas iam dixi (§. 917. et seq.) ad spasmos mitigandos, ac discutiendos valere. Inter quas

(a) Op. Therap. pag. 266.

sane cum emineat virtute Assa foetida, ubi spasmus solvendus sit, quia caeteris volatilior proprio etiam foetidiori halitu, et hystericis feminis excutiendis aptiori pollet, ad menstrua quoque ex spastica caussa cohibita revocanda maioris fit, et crebrius, atque utilius reliquis gummi resinosis, et foetidum odorem emittentibus medicamentis. Oportet tamen in hunc finem eam plerumque, ut satis proficiat, (sicuti expertus sum), in alvum etiam infundere, quo incitetur magis eiusdem ore sumptae salubris effectus, eidemque admiscere, aut interponere ea remedia, quae non simplex utplurimum suppressionis caussa requirit, atque ipse spasmus interdum postulat; qui persaepe illius effectus, non origo est. Quibus profecto neglectis observationibus si quidam nullum, aut nimis exiguum ex Assa foetida emolumentum cachecticis, hystericis, ac simul menstrua non habentibus feminis attulerint, aut alii nimia dosi chloroticis, quibus non levis erat febris, aut insignis mobilitas, aut solito irritabilior stomachi natura, offecerint, suam utique in remedio adhibendo incuriam, non huius inefficaciam doleant.

1909. Dum interea de Assae foetidae usu bene existimo, male e contrario sentio de duarum radicum facultatibus emmenagogis, quas Veteres maximas esse dixerunt. Radices intelligo Aristolochiae, et Rubiae Tinctorum, quarum unam ex *Aristolochia* sive *rotunda*, sive *longa* ad Sarmentaceas Stirpes pertinente desumi, (§. 1812.) alteram ex *Rubia tinctorum* ad

ad Stellatas spectante provenire (§. 732.) alibi monui. Utramque enim ob vim pellentem ex utero laudatissimam iure fuisse nullo modo possum concedere. Etenim Aristolochiam quod respicit quis non assentietur MURRAYO existimanti (*a*), veluti amaram, et stimulantem in retentis menstruis boni aliquid stimulo suo praestare posse, iisdem vero cohibitis revocandis imparem esse? Eiusmodi profecto iudicium etiam CULLENII experientia nititur (*b*), qui opportune ex Antiquorum opinione circa vim Aristolochiae, eiusque usum ad educendum quidquid in utero potest aut secerni, aut haerere, ostendit quam facilem errandi occasionem offendant qui ab eorum sententiis nunquam deflectunt.

1910. Et re quidem vera nonne imperiti hominis esset cum ipsis affirmare Aristolochiae radicem tum contritam, et cum vino, addita interdum Myrrha, epotam, tum instar pessi subditam menstrua, partus, secundas, et Puerperarum purgationes eiicere? Ego sane sic existimo, qui praeterea cum Myrrhae meminerim, non possum, etsi de ea fuse alibi egerim, (§. 1304. et seq.) hic praeterire, quod eiusdem alias plurimi factam emmenagogam facultatem respicit. Oportet enim ut moneam cum CULLENIO nulla singulari vi pollere, qua menstrua, et lochia avocet, vix utilem futuram

(*a*) App. Vol. I. pag. 507.
(*b*) Mat. med. Vol. II. p. 83.

ad robur fibris restituendum, quod menstruorum retentio sustulerit, atque ipsis gummi resinosis foetidis medicamentis minus idoneam videri, ut in uterum privatim agere unquam possit (*a*). Atque id de Myrrha cum trado, possum facile novum argumentum nimiae Veterum credulitatis proferre si dixero eam quoque tanti fecisse, ut fidenter docerent eam non solum ore sumptam, verum etiam cum Absynthii, vel Lupinorum diluto, aut Rutae succo admotam menses, et partus celeriter extrahere.

1911. Circa radicis vero Rubiae tinctorum emmenagogam facultatem equidem non ignoro post Veteres eam magni factam a Cel. HOMIO fuisse (*b*), atque ipsam ita postea certis limitibus circumscripsisse cum Cl. HERTZIO quosdam non incelebres Clinicos, ut tamen feminis simul cachecticis, et pituitosis ad provocanda cohibita menstrua utilem affirmarent. Sed nihilominus, cum eam saepe chloroticis, et cachecticis et diu, et non levi dosi frustra exhibuerim, caussam non video, ob quam debeam invitus ei tantam virtutem concedere, non autem cum summis Artis Magistris CULLENIO, et SELLIO sentire, qui eadem inutiliter usi ipsius inertiam palam professi sunt.

1912. Solanaceae a Medicis generatim negliguntur, ubi menstruus fluxus movendus

---

(*a*) Op. cit. pag. 193.
(*b*) Clinical. Exper. pag. 421. et seq.

sit. Num recte? Vehementer dubito cum nonnulla considero, quae ex iisdem, interdum tentatis, acciderunt, viresque reputo, quas in universum ostendunt. Non quidem, ut inde pollicear praesentissimum auxilium esse allaturas, at, generali etiam virtute ubi agat, sat commodum fortasse praestituras dissimilibus caussis apte emendandis, tollendisque retenti, aut cohibiti fluxus. Nam cum singulae plus, minusve nerveas, et carneas fibras afficiant, et abnormes motus consopiant, (§. 963.) dum simul humores valde resolvunt, et varias exinanitiones sollicitant, non parum idoneae per se iam videntur, ut dissimilium virium coniunctione queant diversas morbi caussas una aggredi, ac superare. Sed accedunt praeterea coniecturis experimentorum eventus, qui omnem dubitationi locum praecludant. Quandoquidem *Solani dulcamarae* stipitibus (§. 1532. 1817. et seq.) menstrua, et lochia, sive retenta, sive suppressa, apte interdum avocari Celeb. CARRERIUS, STÖRCKIUS, aliique cognoverunt, et *Atropa belladonna* (§. 959. 1236.) eliciti menstrui fluxus Cl. GREDINGIUS speciatim meminit. Hinc utramque stirpem fidentius periclitari Medici poterunt, quos tamen ad experiendum speciatim excito *Solanum nigrum* (§. 963.) cuius herba ad pauca grana infusa, aut eius succus, ubi cautissime adhibeatur, ob antispasticam, et discutientem facultatem, efficacior adhuc mihi videtur, quia modo alvum, modo urinam invitat.

1913. Ex Contortis vero quam frequenter sive retenti, sive suppressi menstrui fluoris medicinam Clinici petant, *Cinchonae officinalis* seu Chinaechinae Cortice (§. 814., et seq.) usurpato, nemo est qui ignoret. At nemo interim est, quem lateat, nulla singulari virtute uteri sanguinem provocare, bene vero prodesse generali illa efficacissima vi, qua debilitatis, languoris, et convulsionis remedium eximium esse solet, robore inprimis nerveis, et muscularibus fibris reddito; unde ciborum coctio adiuvetur, circuitus humorum augeatur, eorumque vitia emendentur, nutritio recte fiat, et reliquae corporis functiones, ac secretiones ad naturalem ordinem restituantur. Sublata enim tunc caussa, quae menstrua retinet, aut cohibuit, nil mirum est, si emmenagogi auxilii vices quodammodo Peruvianus Cortex gerat; sicuti alias nimis protracto, aut copia immodico uteri cruento fluxui, sive menstruo, sive irregulari medetur; quando is a debilitate, praesertim nervosa, aut a spastica affectione ex virium languore, aut fibrarum mobilitate orta proficiscitur. Caeterum Corticis huius iterum meminisse iuvabit, ut id addere possim, quod novissime didici, nunc maxime exploratis effectibus illius Corticis, quem Corticem Chinae flavum nominari alio loco (§. 816.) tradideram. Nimirum scire expedit Corticem hunc, qui communiter adhibito, seu vulgari, aut pallido non una ratione praestat, ob validam amaritiem, qua donatur, non parvi esse a Medicis faciendum cum intense amara

remedia Chinaechinae addere expediat, quemadmodum in dissertatione, quam propediem editurus sum, facile evincam.

1914. Venit deinde in censum remediorum, quae potissimum adiuvent menstrua, ex Verticillatis *Marrubium vulgare*; quamquam minus recte. Eius quippe Folia, si eas non habent facultates valide tenuantes, et resolventes, quas iisdem nonnulli tribuunt, quemadmodum non habere iam (§. 845.) indicavimus, menstruis ciendis feminarum chlorosi etiam laborantium idonea non erunt. Nec revera esse tum ex propria, tum ex CULLENII experientia compertum mihi est. Nam cum saepe adhibitum Marrubium, ubi etiam valetudo menstruorum neque diutina, neque gravis erat, expectationem haud explevit; potest tuto concludi emolumentum, quod ob haerentes menses aegrae feminae interdum ex usu Marrubii consequutae dicuntur, ab aliis simul usurpatis medicamentis, non ab hocce adhibito originem duxisse. Neque dissimile iudicium de caeteris Verticillatis ferendum est, ac speciatim de herbis *Teucri mari*, seu Mari veri, aut Syriaci, *Teucri scordii* seu Scordii, et *Melissae officinalis* seu vulgaris (§. 840. et seq.), quae retardata, aut parce fluentia menstrua non sua actione, at aliarum magis efficacium rerum una adhibitarum incitare solummodo potuerunt.

1915. His Multisiliquae stirpes accedunt, inter quas sunt nonnullae, quae veluti emmenagogae proponuntur. Ex harum numero est inprimis *Hellebori nigri* seu Hellebori radix;

(§. 1549. et seq.), quae partim solvendo, partim stimulando ex MEADII auctoritate princeps emmenagogum, tutissimumque remedium largiri non pauci Medicorum existimarunt. Verum de tanta eiusmodi facultate iuvabit Ill. GREGORYUM loquentem audire (*a*). „ Non » dubitavit, inquit, clarus hic Auctor firmis» sime asseverare tantam in ista herba inesse » virtutem, ut vix meminisset eam, cum ad » menses eliciendos data esset, spem suam un» quam fefelisse; seque praeterea notasse quo» tiescumque propter pravam partium confor» mationem, vel aliam quamcumque caussam, » frustra adhibita fuisset, tum sanguinem per » alias vias fuisse propulsum; unde collegit » egregiam, et singularem prorsus vim sangui» nem propellendi remedio suo constare. Sed » dormitabat certe bonus senex nunquam aliter » tantum de tali medicamento, inque tali mor» bo testimonium daturus, honesti scilicet Vi» ri, et Sapientis Medici gravitate, atque pru» dentia pariter indignum, et experientiae pe» ne quotidianae dissentaneum. Quamvis enim » herba adeo laudata bonum aliquando reme» dium fiat, et sanguinem forsitan, per uterum » minus exeuntem per alias vias nonnunquam » foras propulerit (quod sane de omni acriore » medicamento stimulante credibile est); tan» tum abest, ut hoc perpetuum, aut certum » sit, ut ne decimae cuique aegrae, quae eam

---

(*a*) Op. cit. n. 1551.

» hauserit remedio fuerit, neque millesimae
» cuique alia et morbosa sanguinis profluvia
» effecerit.

1916. Praeter Helleborum duae aliae Stirpes a quibusdam proponuntur, nempe *Dictamnus albus* seu Fraxinella et *Ruta graveolens* seu Ruta (§. 911.). Prioris enim radicem vel in pulverem contritam, vel ex Vino cum ferro medicato infusam ad menstrua tum retenta, tum suppressa revocanda valuisse non semel Ill. STÖRKIUS observavit. Rutae vero herbam aromatico suo stimulo, ob quem iniuria in morbis curandis eam negligi alibi dixi, et gravi halitu, quo hystericas solatur, non mediocriter conferre ad vim adiuvandam remediorum, quae, ut mensium sive retentio, sive cunctatio, sive suppresssio tollatur, passim exhibentur, complurium Clinicorum opinio est. Nec desunt, qui per se eos quoque eduxisse testantur: quod spectata morbidarum caussarum ratione incredibile non videtur.

1917. Progrediendum modo est ad Liliaceas, ut de Aloe, et Croco dicatur: duobus remediis, quae menstruis ciendis efficacissima cum iamdudum haberentur, nondum suam celebritatem prorsus amiserunt. Quamquam enim plura nostra aetate prolata fuerint ad utriusque vel inertiam, vel inconstantiam arguendam; non potuerunt tamen tum Medicis, tum maxime totius prope Europae Populis diu insitam fiduciam adimere. Nec fortasse immerito, quantum iudico, ne utrique omnis efficacitas, aut usus denegaretur, aequi rerum ae-

stimatores restiterunt. Quemadmodum enim admittere tantam facultatem competere istis medicamentis ad sanguinem ex utero eiiciendum, quanta ipsis alias tribuebatur, idem esset ac aliquid non verum defendere; ita quoque omnem iisdem, saltem generalem, actionem, qua prodesse quandoque possint, consulto denegare, non aliud videtur, quam veritati reluctari.

1918. Porro non possum hanc sequutus Aloen (§. 1437.), menstruis, praesertim retentis, provocandis inutilem prorsus iudicare. Nempe quando ob defectum stimuli, et motus, ut iam monui, (§. 1442.) menstrua, aut subsistant, aut retardentur, aut parcius, quam deceat, fluant, aut interrupte prodeant, saepe Aloe ad naturalem ordinem ea revocat. Quod quidem sive fiat ex eo, quod irritatis proxime intestinorum vasis, et fibris irritatio ad uterum facile deducatur, sive ex quovis alio principio contingat, parum nostra refert, quibus satis est fluxum menstruum tunc avocari. Atque eiusmodi phaenomenon tam obvium esse in Mulieribus solet, ut saepe ex abusu ipsius purae Aloes, aut Tincturae Aloes, aut Elixirii Proprietatis, (in quo nunc fere obsoleto medicamento Aloe, Myrrha, et Crocus a Vino recipiuntur), Clinici observent menstrua statum eruptionis tempus antevertere, aut diutissime prorumpere, aut in veram haemorrhagiam converti. Quod praesertim evenire scite monuit Cel. FOTHERGILLIUS in Mulieribus aetate provectis, quae Aloe ad pro-

trahendum menstruum fluxum nimium indulxerint (*a*).

1919. De Croco autem, cum eius principia, vires, atque usus nondum exposuerim, debeo primum quaedam monere, antequam eius emmenagogam proprietatem expendam. Oportet nimirum indicare *Crocum sativum* in Olympo, et Caucaso montibus, atque in Tauride naturaliter crescentem tum hic, cum alibi per bulbos propagari; in Hispania, in utraque Sicilia, in Austria, aliisque Europae provinciis excoli; maximeque cultum prope Aquilam primariam Aprutii urbem nobis probari, atque Orientali, aut e quocumque alio loco allato sive ad medicos, sive ad oeconomicos usus anteponi. Eo siquidem uno in Insubria, ac praesertim in Agro Laudensi Caseus ex vaccino lacte, cuius alibi memini (§. 206.) ab iis colorari solet, lacti, cum nondum coactus est, admixto, qui curant, ut color magis luteus, magisque persistens caseum specie etiam distinguat. Hinc quotannis ingens vis Croci diligenter collecti, nec plus exsiccati quam conveniat ne fermentet, aut fatiscat in pulverem, imo tenacis, et mollis, atque in placentas compacti ex Aquila ad nos mittitur.

1920. Croci vero nomine proprie intelligimus lacinias trifidas in pistillo e summa styli parte emersas, quas Fila Vulgus apud nos vocat. Eiusmodi fila, a quibus quidquid

---

(*a*) Med. Observ. and. Inquir. V. 5. p. 173. etc.

admixtum est quisquiliarum diligenter separatur, colore rutilant si adulterata haud sint. Lucri enim caussa genuinum Crocum non raro corrumpi apud Scriptores legimus additis non solum flosculis sive Calendulae, sive Carthami, sive alterius cuiusque stirpis, verum etiam iisdem in Croci tincturam prius demissis, ut propius verum Crocum simulent. Sed tunc ex intenso colore rubro, quem aqua recipit, fraus detegitur. Eadem fila tractantium manus luteas reddunt, et salivam flavedine inficiunt dentibus confecta; modice aromatica, leniterque amara sunt; ac fragrantia proprium odorem spirant. Qui sane odor in modum tenuissimi halitus se explicans undique se diffundit, vestibus, aliisque rebus quam plurimis adhaeret, nervos et cerebrum speciatim aggreditur, sensilioribus Viris, atque hystericis feminis officit, imo copia multus, arctiorique loco conclusus, et diu naribus attractus, subditusque gravius nocet. Quae Crocus tamen efficere nequit, ubi ultra annum iam collectus, et iamdiu comminutus in pulverem (in quem, tritu difficillimus, aegre sine caloris subsidio resolvitur) magnam partem volatilis principii amiserit. Idem praeterea Crocus, qui ab aqua plenius alcohole extrahitur, sive repetita huius affusione tentetur, sive destillationi traditum oleum odoratissimum demittat, odoris, aromaticisque partibus expers evadit.

1921. Tam igitur odora, volatilis, et nervos afficiens res, ut Crocus est, non potuit ad medendum non valde probari. Et re vera

eiusdem usus tum internus cum externus in plurium morborum curatione Veteribus, eosque sequutis Medicis in hanc usque aetatem acceptissimus fuit. Ipsum quippe habentes veluti penetrans, dolorem consopiens, discutiens, ex cute, aut ex utero movens, ac maturans medicamentum crebre interius, exteriusque non mediocri fiducia adhibuerunt. Speciatim autem intus usurparunt in tussi, asthmate sicco, aliisque chronicis pectoris morbis, convulsivis praesertim, et spasticis; in vigiliis, doloribusque colicis, quos conciliatus somnus averteret; in ictero, aliisque hepatis morbis; in morantibus, aut retropulsis cutis exanthematis; ac potissimum in passionibus Mulierum. Habebatur enim Crocus caeteris pene pharmacis aptior, ut menses, lochia, et secundae expellerentur, ac vivus, vel mortuus infans educeretur.

1922. Exterius vero iam CELSI aetate Crocus cum irino unguento ad somnum conciliandum adhibebatur, atque, utpote summam partium tenuitatem habens, discutiens, et consopiens coepit ad plures aegritudines impositus probari. Credebatur siquidem, ut a non paucis adhuc creditur, morbida materie resoluta, levatis doloribus, laxatis partibus, suppuratione promota, ac putredine cohibita in pluribus externis affectibus valde proficuus. Hinc eo utebantur, ut chronicas inflammationes discuterent, praesertim oculorum, quibus admovebatur vel colyriis additus, vel lacti admixtus; ut tumores sive resolverent, sive maturarent, eodem imposito cum aptis malagmatibus, aut

cum emplastris, (cuiusmodi sunt inprimis Dyachylon cum gummi, et de Galbano Crocato); atque, ut partium cruciatus compescerent, ac prava, corruptaque ulcera corrigerent, ocyusque ad cicatricem perducerent.

1923. Profecto quaedam ex istis nimia sunt, ut eadem potuerit aetas nostra admittere, quae remediorum vires ad normam rationis, atque experientiae perpetuo exigendas esse constituit. At singula nihilominus ex falsis coniecturis deducta ideo reputare, quia cum experimentis, quae in suo corpore Ill. ALEXANDER, cum bene valeret, instituit, non consentiunt, (*a*) aut quorundam placitis, maximeque CULLENII adversantur, veritatis studium non sinit. Nam primum, quod ille adducit, argumentum ad inefficacem Crocum generatim declarandum petitum a nullo caloris, et motus sanguinis incitamento ex quatuor Croci scriptulis ore sumptis ad rem evincendam satis non valet. Praeter ea nempe, quae de eiusmodi experimentorum pretio tum generatim, (§. 540.) tum speciatim de Croco (§. 541.) alibi monui, „eventus, dicam cum „MURRAYO (*b*) experimenti singularis in ho„mine, ambiguis medicamentis maiori dosi „capiendis assueto, non sufficit observationi„bus tot aliis contrariis refellendis, etsi facile „da-

---

(*a*) Experiment. Essays on antisep. etc. pag. 91. et seq.

(*b*) App. Tom. V. pag. 233.

„ dabo, aliis documentis suffultus, in dosi
„ saepius formidulosos nimium fuisse Medi-
„ cos ".

1923. Nec secundum rationis momentum, quod deducendum existimavit ALEXANDER a nullo Croci in sanguinem ingressu plus valet ad omnem eidem medicatam facultatem denegandam. Non satis enim pharmaco eiusmodi viam sanguinis praeclusam esse ipse probat ex uno in se instituto experimento, in quo apparuit, quatuor Croci scriptulis ingestis, alvi onus valde luteo colore infectum, cum nulla eiusdem indicia in urina, atque in subucula notarentur. Nam praeterquamquod facile vel ex nimia dosi, vel ex peculiari corporis constitutione, vel ex aliis caussis potuit id evenire, quod ex iterato sub alia rerum conditione experimento haud accidisset; praesto sunt aliorum observata, quae contrarium ostendunt. Inter quae sane unum abunde per se rem evincit ex BOERHAAVII testimonio desumptum, qui ex hausta Croci tinctura cum alcohole aqueo facta urinam vidit (*a*) eius colorem evidenter ostendisse.

1924. Itaque ex istis virtus omnis Croco demi non potest; sicuti pariter non potest ex iis, quae ad Croci usum criminandum CULLENIUS adduxit, quidquid iure deduci. Equidem non ignoro summum Virum, quo loco de Narcoticorum viribus disserit, expenditque

(*a*) Elem. Chem. Vol. 2. pag. 113.

opportune eas, quae Croco communiter tribuuntur, palam testari ex eodem quacumque forma exhibito, aut BOERHAAVII etiam methodo in modum Tincturae spiritu vini paratae propinato, ac perpetuo liberaliter admodum usurpato nihil deprehendisse, quod aliquam potentiam, aut manifestam virtutem ei propriam esse significaret. Verum quam parvi, aut nihili potius observationes eiusmodi faciendas esse, ipse, ni fallor, CULLENIUS nobis Auctor extitit. Postquam siquidem eventus experimentorum retulit, candide fassus est se postmodum cognovisse saepe in Medicamentariis officinis, e quibus remedium petitum fuerat, Crocum non optimae, at pessimae notae prostasse. Eritne igitur concludendum Crocum effoetum viribus in omnibus iis casibus fuisse, in quibus inutilem eum reperit, integrum vero in duobus, in quibus emmenagogam eius vim periclitatus cognovit huius generis potentia non destitui? Coniectura verisimilitudine non caret.

1925. Interea dum vindico a nimiis hisce vituperationibus Crocum, longe absum, ut praeconcepta opinione ductus velim illas omnes vires ei adserere, quas paullo ante (§. 1921.) ex Veterum, Recentiorumque lectione, aut usu proferebam. Sequor enim hic quoque inter diversas sententias, quae quodammodo media quid sentiendum sit, recte constituit. Aeque idcirco reputans ipsius Croci principia, ac sensiles qualitates ad agendum commovendumque corpus factas, praesertim aegrum, magisque e morbi

natura sensile redditum; tum subscribens MURRAYO (*a*) arbitranti eius actionem ita similem Opio, et vino esse, ut parciori dosi exhilaret, maiori caput tentet, temulentiam inferat, nervos insensiles efficiat, et somnum, soporem, mortemque accersat; ac denique innumeris Clinicorum cuiusque aetatis observationibus fidem adhibens iam statuo Crocum efficax, ac Medicinae utile remedium largiri. In quibus vero morbis generatim conveniat intus assumptus, ac speciatim quibus conducat feminis, quas menstruorum defectus male habet, ex proposita eiusdem agendi ratione facile liquet, quin debeam singulas species rimari. Addam interea in affectione hyppocondriaca ad confortandum stomachum, et turbas nervorum sedandas mihi non levem opem attulisse, cum eum modo syrupo convolutum in pilulas ad viginti, aut triginta grana, iterata dosi intra diem, modo ad quatuor scriptula vino infusum, et in duas, tresve doses tributum aegris dedissem. In qua re imitabar sane Virum eximium BURSERIUM, qui Croco, modo aqua stillatitia soluto, modo admixto Liquori anodyno passim utebatur cum spasticae, et nervosae stomachi intestinorumque passiones in languidos, tarde concoquentes, et crudum ructantes incidissent.

1927. Caeterum circa vim menstrua advocantem, quando spastica affectio fluxum vel

---

(*a*) Loc. cit.

cohibet, vel retardat, et aegritudinis, aut ipsius laborantis feminae conditio antispasticum, atque incitans nervorum actionem pharmacum postulat, auxilium evidenter affert. Per se quidem sanguini advocando non sufficit, nisi adducta caussa solummodo sit, quae eius exitum praepediat. Quod raro cum occurrat mirum esse non potest, si indiscriminatim Vulgus cum adhibet, spe saepius excidat. Ex qua agendi ratione, ob quam Crocus menstrua non habentibus Mulieribus saluti est, non obscure assequimur quî acciderit, ut potuerit interdum eos effectus edere, qui ex singulari eius proprietate uteri vasa afficiente a non paucis explicarentur. Stimulo quippe suo excusso universo fibrarum genere potuit utique toties menses vehementer trahere, ac veram uteri haemorrhagiam, ut RIVERIUS observavit, concitare, quoties incitantia, aromatica, et cerebrum, nervosque commoventia medicamina suppressionis caussae, ac corporum naturae neque requirebant, neque impune poterant sustinere. Cuius observationis praeterea meminisse supervacaneum non erit, ut spectato ancipiti eiusdem Croci effectu omnem in eo adhibendo curam Medici non abiiciant; quemadmodum caute eum debent Chirurghi perpetuo imponere. Siquidem ex Emplastro oxycroceo, quod alias fractis, suggillatisque membris crebre admovebatur, abunde applicito profundum accersitum soporem idonei Auctores testantur.

1928. Haec potiora sunt, quae Therapeutae cum de Emmenagogis disserunt, singillatim e Vegetabilibus proponunt, atque ad aequam lancem revocant. Interea quod cum istis praestant, id ipsum cum iis exequuntur, quae ex Fossilibus quoque veluti Emmenagoga celebrata hactenus fuerunt. Secus enim cognoscunt mancam prorsus futuram horum medicaminum doctrinam. Quae praeterea, ut absoluta sit, circa nonnulla etiam remedia versari solet, quibus ex Animalium genere profectis in menstruorum defectu non parum adhuc a plerisque Clinicorum tribuitur. Ob quam caussam muneris est non prius ad Fossilia accedere, quam horum quoque medicaminum usus constituatur.

1929. Monebo igitur, saltem e vestigio, Castoreum singulari suo halitu, suaque antispastica facultate (§. 541. 922., et seq.) iuvandis menstruis, quae antispastica desiderent, tam idoneum saepe observari, atque a Medicis haberi, ut ipse Cullenius horum sententiae haud repugnaverit. Fatetur siquidem ad hunc locum non minori iure Castoreum pertinere reliquis medicamentis, quae foetidum halitum effundunt. Quin imo eiusdem remedii coniunctionem cum gummi resinis, ut menstrua cieantur, ideo probat, quia refert Castorei virtuti potiorem salutarem effectum, quem ab huiusmodi medendi genere auspicato obtinuit. Quod sane iudicium eo pluris faciendum esse videtur, quia notum est eundem Culle

NIUM generatim de medicatis Castorei facultatibus male sensisse.

1930. Quanti praeterea habenda sint Salia, et Olea, quae ex Animalium naturis trahi solent, sive Volatilia, sive Empyreumatica, ac cuncta ex iisdem arte comparata medicamenta, quae praesertim volatilem, et gravem, foetidumque odorem spirant, supervacaneum videtur monere. Ea siquidem, quae de singulis horum medicaminum principiis, viribus, atque effectibus proposita sunt quo loco Antispastica prosequebar, (§. 934., et seq.) eorundem pretium etiam ad menstrua provocanda abunde declarant. Hinc unum animadvertam de Cantharidum interno usu, quem nonnulli ad ipsum pariter sanguinem menstruum proritandum veluti aptissimum proponunt. Nimirum dicam cum Cl. GREGORYO (a) verisimile esse eas quidem, quae vehementer urinae vesicam afficiunt, atque ad eam sanguinis impetum potenter derivant, uterum quoque percellere; atque hoc modo menstrua posse fortasse prolicere. Sed de eiusmodi Diureticorum usu quid censendum proprie sit nondum experientia declaravit.

1931. At illud quoque debeo monere, quod de *Alcohole ammoniacali succinato* seu Spiritu Salis ammoniaci succinato, et de *Succinate ammoniacali cornu cervi* seu Liquore cornu cervi succinato

---

(a) Op. cit. n. 1558.

(§. 938) Medici nuperiores communiter sentiunt esse nempe utrumque liquorem ob penetrandi vim, atque indolem odoris fortasse praecipuum, aut saltem valde proficuum antispasticum remedium, quo salutaris Ars potest feminis subvenire, quarum menstruum fluxum spasmus impedit. Cuius etiam efficacitas magnopere intenditur, ac pluribus iuvandis aegris opportunior fit, addito vel L a u d a n o l i q u i d o, vel quovis alio Opium habente medicamento, vel ipso imprimis Opio. Quanta nempe vel huic uni sine ullo alterius cuiusque medicamenti subsidio competat vis menstruis proritandis aptissima, ubi spastica vasorum uteri contractio exitum sanguinis moratur, et impedit, Medicorum neminem fugit. Hi enim haud possunt ignorare quam saepe diductis tum, ob spasmum sublatum, vasorum uteri osculis, ac viis fluenti sanguini patefactis emmenagogum fiat Opium, aut quodvis Opiatum pharmacum, ubi potissimum, sicuti Ill. GREGORYUS optime animadvertit (a), in alvum apte infundatur.

1932. Quamquam (ut veniam ad remedia e Fossilibus desumpta) periti Artificis est interdum retardatis, aut aegre erumpentibus menstruis auxiliari *Etheris* (§. 947, et seq.) provido usu. In feminis quippe menstruorum difficultate detentis ob intestinorum praesertim spasticam contractionem, distentionemque ex

(a) Op. cit. n. 1561.

aere, non semel a me adhibitus *Ether sulphuricus* sublato dolore, et cum spasmo ventris inflatione discussa, menstruis exitum ita aperuit, ut protinus fluerent, et sine ulla molestia ad finem usque perseverarent. Nec vanum erit meminisse Mulieris, quae ex quotidiano fere usu Etheris ad diras anxietates, et distentiones ventris levandas, quibus digestionis tempore obnoxia erat, coepit menstrua, (quae adhuc recte ei provenerant), tam copiosa ac tam protracta habere, ut nullo potuerint auxilio ad pristinum ordinem restitui, donec aegra ab Ethere plane abstinuerit. Eo enim, quamquam invite, tandem relicto, menstruus fluxus naturalis postea evasit. Ex qua observatione non minus intelligitur cuius commodi esse possit Ether, quando ex menstruis invaletudo est, quam eruatur ex ipsius proprietate ab Ill. FOURCROEO speciatim animadversa; qua idem Ether in gas conversus protinus stomachum, aut intestina distendens vel motum antiperistalticum invitat, vel peristalticum adeo incitat, ut in priori casu etiam vomitum, in altero alvum queat movere.

1933. Proprietas sane Etheris, ex qua sapienter idem Auctor arguit novum eiusdem usum, quem idem potest remedium habere, imo iamdiu casu habuit, etsi hactenus Clinici in eum speciatim non animadverterint, aut eiusdem saltem non meminerint. Vult nempe ex Ethere petendum esse interdum auxilium ad vomitum ciendum in iis aegris, qui nimium graciles, mobiles, ac sensiles sine damno quod-

vis aliud communiter vomitionis caussa adhibitum non admitterent. In quem finem praecipit post tres, aut quatuor tepidae aquae cyathos Etherem ad quartam drachmae partem dilutum aqua saccharo condita hauriendum esse. Hoc modo vomitum tum excuti testatur. Quod libentius admitto cum pariter *Etherem sulphuricum alcoholisatum* seu Liquorem anodynum mineralem (§. 950.) ad hystericos solvendos insultus eodem fere pondere saepius tentatum, non raro vomitum excutere iamdudum cognoverim. Erit igitur hoc etiam fine usurpatus Ether interdum proficuus, eritque maxime, ubi a Medicis eius usus ita constituatur, ut metuendum nunquam sit ne forte ex nimia rarescentis acris actione ventriculus adeo distendatur, ut impar motibus obeundis ad vomitionem necessariis, sua distentione anxietatem, infirmitatemque eiusmodi inferat, quae aegrum non mediocriter laedat.

1934. Si tamen circumspecti Medici est caute omnia inspicere, quae hoc fine tentatum Etherem ancipitis usus reddere possent; est quoque idonei, atque exercitati Artificis ab aliis potius remediis, quam ab eo auxilium promere, quo menstruis male provenientibus, aut cohibitis opituletur. Ab iis nimirum rebus auxilium quandoque rectius desumitur, quas roborantes, stimulantes, atque utroque modo antispasticas alibi dixi Fossilia quaedam arte praeparata Medicinae utilissime erogare. Sunt huius generis *Oxydum zinci sublimatum* seu Flores zinci (§. 763. et seq.) *Oxydum*

Cupri ammoniacale, seu Cuprum ammoniacum (§. 769.) *Murias cupri ammoniaci sublimatus*, seu Ens Veneris, *Oxydum bismuthi album acido nitrico confectum* seu Magisterium bismuthi (§ 932.), atque alia similia, quae interdum novimus profuisse. Quibus tamen medicamentis longe antistare nuperrime cognovi, quemadmodum alio loco in medium adductis observationibus evincam, *Muriatem baryticum* seu Barytem muriaticum (§. 1642.) ubi menstrua ex laxitate, defectu stimuli, aut ex aliqua caussa in primis viis haerente subsistant, aut aegre, vel parce proveniant.

1935. Etsi vero non leve commodum in menstruorum aegritudine hae remediorum species opportune adhibitae queant afferre, longe tamen maius ab iis, quae ex *Hydrargyro*, aut ex *Ferro* ducuntur, Clinici suis aegris generatim pollicentur. Ob quam caussam, licet alibi singularum, quae ex utroque metallo trahuntur, medicaminum vires, atque effectus ita exsequutus fuerim (§. 770., et seq.; tum a §. 1068. usque ad §. 1241.) ut non arduum esset ad eorum usum in defectu menstruorum concludere; oportet nihilominus Therapeutarum vestigiis inhaerere, qui eadem veluti emmenagoga privatim considerant, et singulari loco eorundem commoda iudicant. In qua tamen re non multus ero, iam singillatim enumeratis variis speciebus, earumque expositis facultatibus. Praesertim cum de Hydrargyro quam pauca dicenda occurrant,

1936. Profecto, cum duae illae Medicorum opiniones, ut Cel. GREGORYUS animadvertit, quae (a) olim et non mediocrem famam, et frequentem usum Hydrargyro conciliaverant, ad menstrua provocanda deductae ex caussis eorum fluxum generatim prohibentibus, quarum altera in sanguinis lentore, altera in eius spissitudine sita esset, hodie consenuerint, Mercurii pariter adhibendi occasionem admodum raram ex frequenti fecerunt. Atque hanc ipsam praeterea rariorem reddidit Therapeutarum iudicum existimantium generali tantum suo stimulo, non aliquo uterum proprie afficiente idem Hydrargyrum unquam posse proficere, atque ideo minus idoneum remedium fieri in defectu menstruorum, quod nondum certa methodus inventa est, aut apta cum aliquo medicamento coniunctio, quae irruentem facile ad oris glandulas, vel ad quaslibet alias partes Mercurii actionem ad uterum privatim compellat.

1937. Spectata nihilominus facilitate, qua in feminis eodem remedio ad alios fines assequendos utentibus, menstruum sanguinem interdum movet, atque etiam insigni proprietate, qua cuncta prompte permeat, iure monebo a Medicis in mensium suppressione, quae Stimulantia requirat, optimo consilio subinde tentari. Atque id, ubi inveteraverit menstruorum defectus, aut irritus aliorum Stimulantium usus cesserit, utilius esse experientia mihi declara-

---

(a) Op. cit. n. 1552.

vit. Quo in casu soleo Calomelano uti cum Scilla, quae, cum dirigit illius actionem ad vesicam, in tanta proximitate uteri, huius vasa, et nervos quasi proxime afficit. Utrum vero aeque proficuum Hydrargyrum sive interius, sive exterius tentatum esse queat in menstruorum retentione, ut in suppressione vere utile, ubi satis continuetur, Cullenius se observasse declarat, hic nobilissimus Auctor dubitat. A Clinicis proinde quaerimus observationes, quarum subsidio quod tutissimum sit, possimus constituere.

1938. Superest, ut de Ferri, eiusque Praeparationum commodo ad menstrua provocanda, quae potiora sunt, nunc attingam. Nam cum iam suo loco tradiderim Ferrum adstringendo, ac roborando plerisque Artis praesidiis antecellere, ac neminem iam Medicorum inveniam a singulari aliqua eiusdem in uterum potestate repetentem insigne auxilium, quod utpote adstringens, et roborans in defectu menstruorum affert; probe video duo solummodo, quae praecipua habentur, a me hic constitui oportere. Unum circa genus versatur deficientis menstrui fluoris, cui adhibitum Ferrum tutius, et rectius queat auxiliari; alterum respicit speciem remedii e Ferro praeparati, quae melius, et promptius caeteris queat ipsum fluxum movere. Utrumque enim a Therapeutis in disputationem adhuc adducitur.

1939. Ad primum quod attinet quidam Cullenium sequuti, licet Ferrum optimum esse, efficacissimumque remedium retentionis

menstruorum fateantur, quando omnium partium relaxatio cum eorum defectu coniungitur; attamen eiusdem medicaminis usum ad menstrua revocanda, quae caussa quaelibet suppresserit, nolunt extendere. Quasi nempe a constrictis uteri vasorum extremis osculis omnis ratio penderet cohibiti menstrui sanguinis, ut idem CULLENIUS existimat; aut illa totius systematis laxitas frequens suppressionis caussa non esset. Neque praeterea iam evicisset quotidiana fere observatio plerasque feminas, quibus menstrua ex debilitate, et laxitate subsistunt, licet nondum graviter laborent, aut cachexia evidenter detineantur, fluxu solius Ferri virtute revocato, generatim sanari. Quod profecto, cum ita se habeat, evidenter declaratur et quam speciem retentionis, ac suppressionis menstruorum Ferrum discutiat, ac tollat, et quam late eiusdem usus apud idoneos Artifices pateat. Hic sane loci, ut suppressioni medeamur, frequentissime suscipitur, atque auspicatissime cedit.

1940. Alterum autem quod respicit, video utique quosdam adhuc superesse Medicorum, qui ubi Ferri potentia mensium sive retentio, sive suppressio vincenda sit, in eligenda specie, qua ex diversis in Officinis prostantibus eiusdem metalli compositionibus utantur, ab ea methodo generatim deflectant, quam alio loco (§. 246) ex Ill. TISSOTI sententia veluti aptiorem, tutioremque proponebam. Qui proinde, ubi roborandum, adstringendumque sit, ut menstrua prodeant, in omni pene casu

existimant cuique praeparationi praestare eas Tincturas martis, quas singularibus explendis indicationibus, ut monui (§ 775.) rectius conducunt, aut non negligunt Crocos martis, aut denique ab *Oxydo ferri luteo*, seu Robigine magna quaelibet cum Cullenio (§. 771.) sibi pollicentur. A qua quidem postrema, si generatim abstinere decet, (§. 711.) tunc speciatim oportet quando feminis ex mensium defectu tum chloroticis, tum cachecticis medemur; in quibus, ut notum est, morbosus acor humores primarum viarum inficit, ac quam facile anxietates, ventriculi morsus, vomitus, intestinorumque dolores insurgunt, aut praesentes exasperantur.

1941. Itaque ob hasce caussas, aliasque indicato iam loco allatas, caeteris e Ferro ductis remediorum speciebus existimo antecellere eius Scobem seu Ferri puri Limaturam (§. 772.), aut aeque validum, tutissimumque, ut passim experior, *Oxydum ferri nigrum* seu Aethiopem Martialem; dummodo circa dosim, adhibendique rationem regulas, quas ibidem proposui, quisque diligenter sequatur. Alterutra enim remedii species stomacho aptior, ad agendum promptior, atque una validior ex eo praestat etiam caeteris Martialibus medicamentis, quod eorum insuper remediorum admixtionem commode admittat, quae interdum aegrae feminae, et ipsius morbi proprietates requirunt. Eiusmodi praesertim sunt radices Valerianae, Gentianae, et similium, Semina quaedam aromatica, ut Anisorum, ac

Cortices sive Macidis, sive Cinnamomi. Quos quidem Cortices inter remedia menstruis adiuvandis utilia iamdiu adnumeratos suo loco volui consulto praeterire, quoniam in hunc finem per se, ut stimulando fluxum invitent, non praescribuntur, ac potius pulveribus Martialibus interdum admiscentur.

1942. Hactenus de generalibus, specialibusque, ut loquuntur, Auxiliis, quorum ope Ars, licet destituatur specifico Emmenagogo medicamento, studet feminis ex menstruorum defectu laborantibus, apte iisdem advocatis, opitulari. Quare reliquum est, ut hocce Caput absolvam. Non enim is sum qui velim Therapeutas quosdam imitari, qui Emmenagogis remediis subiungunt ea, quae tum fluxum sanguinis sive e naribus in Adolescentibus, sive ex haemorrhoidibus in Viris possunt movere, tum Spermatopea iudicata alias fuerunt. Nam illa sanguinis effusio, ubi movenda sit, aut suppressa revocanda, facile erit habita rerum, quae in aegro sunt, observatione, ex iis desumere remediorum generibus, quae in hoc opere meo exsequutus sum. Quod vero respicit altera, nulla sane alia, sive ut Spermatopea, sive ut Aphodrisiaca, admittenda esse video, quam quae vel providus, et cuique speciatim idoneus rerum non naturalium usus potest suppeditare, vel in singulari quovis casu ex apto remediorum genere, quod forte conveniat, opportuna sapientis, et circumspecti Artificis consilia cuique possunt afferre.

1943. Quibus non minus indigent feminae menstruorum defectu laborantes, ut sciant congrua victus ratione vim remediorum, quae curationis caussa sumunt, apte promovere; caute admodum in quovis casu emmenagoga usurpare, ne haemorrhagia superveniat, quae vitae minitetur, aut scirrho aditum praebeat, qui immedicabile malum inferat; nubere quando apta aetas, aut corporis constitutio hoc menstruorum defectui remedium desideret; ac sollicitudines, moerores, perturbationesque ex animis depellere, quae ubi profundas radices egerint, omnes fere Artis menstrua molientis curas eludunt.

CAPUT XI.

De Evacuantibus Chirurgicis.

1944. Sequuntur nunc illa Evacuantia, quae cum a Chirurgo totius corporis commodo administrentur, et Deplentia Chirurgica vocari et saepe necessaria esse alibi dixi (§. 1031.), ut futurus morbus averti, vel evolutus compesci, aut tolli facile queat. Quam ob rem haec quoque exsequi debent, etsi quorundam administratio solam Chirurgi manum, et quidem minoris, ut dicunt, seu ministri, non medicamenta exigat, aut maius nonnullorum beneficium ab ipsa humoris exinanitione non pendeat. Nam prima illa differentia vix me admonet opportunum esse eos Therapeutas imitari, qui eiusmodi Evacuantia inter se ita distinguunt, ut primum disserant de iis, ad quae medicamenta requiruntur; deinde de reliquis: quemadmodum praestabo in proximum Caput transferens quae ad sanguinis mittendi rationes pertinent. Alteram vero caussam non tanti habeo, quanti existimant qui volunt ab Evacuantibus Chirurgicis illa prorsus expungere, quae exterius imposita stimulando potius, et attrahendo, quam evacuando prosunt.

1945. Nempe praeterquamquod ista in universum neque genere, neque specie, at sola adhibendi dissimili ratione discrepant a

caeteris, quae exinanitione maxime proficiunt, nunquam suam vim exerunt, quin aliquid humoris aut ipso actionis tempore detrahant, aut ultimo effectu suo ad postea erumpendum utiliter invitent. Qui quidem exitus humoris, licet interdum sensibus fere inconspicuus esse videatur, ex mutationibus tamen, quae in corpore deinceps animadvertuntur, evidens fit. Hinc quibusdam Therapeutis satius olim visum est Chirurgica evacuantia generatim distinguere in duas species, quarum una complecteretur, quae insensili fere ratione evacuarent, altera, quae valde manifesta, ob advocati, effusique humoris copiam, exinanitione prosunt. Potior tamen mihi ratio est, ut hoc Capite de universis hisce remediis dicam, eadem singulis natura, quae illud tantum discriminis sinit constituere, quod a diverso adhibendi modo, aut agendi gradu proficiscitur. Quae sane dissimilitudinis caussa cum in nullo alio genere melius erui quam in eo, quod Epispastica exhibet, Therapeutae observent, praestabit ab hisce exordiri: quae praeterea ideo reliquis commode praemittuntur, ut sermo ab iis inchoatus medendi rationibus exinanitionem admodum exiguam afferentibus sensim procedat ad illa, quae paullo maiorem, ac magis conspicuam praestant, donec ad reliqua, quae valde manifestam, uberem, aut diutinam adducunt aliquo ordine perveniat.

1946. Porro illa medicamenta, quae Inflammantia a Nuperioribus vocari alibi dixi (§. 892.), praeter diversa ibidem proposita

rodentium rerum genera, exhibent unum remedia complectens, quae cuti applicita cum ad eam humores attrahant, atque advocent, ac plus, minusve partem, in quam proxime agunt, rubore suffundant Epispastica, aut Attrahentia, vel Phoenigmata, aut Rubefacientia appellantur. Cuius praeterea generis Inflammantium medicaminum tamquam species habentur iuxta diversam, e qua quaelibet desumitur, materiem Dropax, aut Dropacismus, seu Picatio, si in hunc finem Pix imponitur; Sinapismus si eius loco semen Sinapis admovetur; atque Urticatio si recentibus urticis membrum aliquod caeditur. Iam vero cum haec, atque alia, quae acri suo stimulo summam cutem queunt irritare, sive hanc pruritu, aucto calore, rubore, ac levi inflammatione afficere, sive una ad eandem humorum affluxum derivare haud possint, quin simul cogant eosdem humores tum e parte, cui adhaerent, tum e proximis, utpote irritationi necessario expositis, celerius, et copiosius exhalare: expeditissimum est intelligere non sine aliqua exinanitione generatim agere.

1947. Quod cum ita sit, a recta medicaminum divisione in sua genera ex manifestis eorum effectibus tributa non videtur absonum hic proponere, quae ad eadem Rubefacientia, aut Epispastica referuntur. Praesertim cum haec ipsa, ut notum est, eos habeant varios actionis gradus a tempore, quo manent cuti applicita, a materiae indole, e qua desumpta sint, a cutis sensilitate, aut mollitie, atque ab-

aliis aegri, et morbi conditionibus profectos, ut possint, uberem humoribus fontem aperire; quemadmodum non raro evenit. Profecto licet Nuperiores iure reiiciant eas Epispasticorum distinctiones, quas GALENI asseclae a dissimili gradu calidae, ut loquebantur, qualitatis falso petitas in Scholas invexerant; admittunt nihilominus quosdam actionis gradus in communi eorum usu distincte se prodere. Eos nempe, quos levis cutis rubor, levissima epidermidis laesio, aliqua lymphae manifesta sudatio praefiniunt, quosque maior cutis erosio, et collectio humoris sub cuticula in vesicam elevatam ubi praetergrediantur ipsa Rubefacientia, in Vesicatoria (§. 892.) convertuntur.

1948. Quoniam igitur licet de Rubefacientibus hic loci disserere, oportet, antequam ad singulas eorum species rimandas accedam, nunc monere, hoc medendi genus ad vetustissima Artis auxilia pertinens ab HIPPOCRATIS aetate in hanc usque diem magni factum fuisse; ad sensilitatis, atque irritabilitatis languidas vires incitandas, ad torpentes partium motus excutiendos, ad circuitum sanguinis expediendum, atque ad eiusdem impetum ad exteriora derivandum non mediocriter valere; tum hac multiplici ratione spasmum solvere, ab internis partibus humores, qui alicubi nimio motu, copia, qualitate, aut congestione noceant utiliter revellere, morbidam materiem a nobilioribus visceribus ad cutem advocare, aut exanthemata retroacta ad pristina loca restituere, et nocuis recrementis, ut foras salu-

briter prodeant, viam aperire; ac proinde in plerisque capitis morbis, in convulsivis, et spasticis affectibus, in rheumaticis passionibus, in paralysi, atque in aliis denique pluribus aegritudinibus conducere, quae ex modo adductis Rubefacientium effectibus perspici facile possunt, ac singillatim a Clinicis proponuntur.

1949. Ista vero Rubefacientia diversissimae inter se res nobis praestant, quae non omnes e Pharmaceutico fonte promuntur. Quidquid enim irritare, aut rubefacere cutem potest, huc iure pertinet. Hinc praeter Frictiones, quarum memini (§. 452., et seq.) praeter Electricitatem, et Stimulantia (§. 454.) huc spectant rationes aliae, quas ex siccis, calidisque rebus exterius ad extrudendum sudorem admotis proposui; tum speciatim Cucurbitulae, quae siccae cum igne imponuntur. Nam Cucurbitula, in cuius ventrem coniectum linamentum accensum sit, perfricatae cuti ubi applicita adhaereat, quod rarescente intus aere celerrime fit, suppositam partem dum in tumorem elevat, atque exstimulat, rubore suffundit, eamque distentis vasis advocato humore replet, qui etiam exterius exsudet. Hinc crebre admodum solent Cucurbitulae siccae administrari, ut partium vim, et motum excutiant, ut congestiones humorum resolvant, ut aliorsum revellant, utque alicubi impactam materiem aut extrahant, aut eam diffundant in proxima loca, unde minus noceat, vel ex opportuno loco mobilis reddita secedat. Atque idcirco iuxta varia Artificis consilia variis item corporis,

partibus admoventur. Ita quidem ut imponantur communiter dorso, scapulis, occypiti et coxis, raro thoracis lateribus, hyppocondriis, clunis, et suris, pedibusque, ac rarissime imo ventri, et capiti: quemadmodum Cucurbitulis oris angusti utentes Veteres consueverant.

1950. Cutem autem rubefaciunt, atque ad eam attrahunt plura quidem, quae triplex naturae regnum profert acrem qualitatem habentia; at interim ex tot, quae alias adhibebantur, aut a Materiae medicae Scriptoribus proponuntur, pauca admodum in usum veniunt; saltem huius effectus caussa. Et re vera, ut quaedam exempla proferam, ac primum e Stirpibus petita, e Solanaceis *Capsici annui* seu Piperis indici, aut Capsici fructus ad rubefaciendam cutem non amplius imponitur, nec e Campanaceis ducta *Plumbago europaea* seu Dentillaria, aut Dentaria acrimoniam insignem habens, atque exterius ad dentium dolores sedandos alias diversis partibus admota, hoc fine adhibetur, at potius alio in Galliae Provincia magnopere celebratur (*a*).

1951. Nempe ad scabiem sanandam eximium censetur Oleum olivarum eius additamento medicatum redditum ubi laesis partibus quotidie inungatur, donec scabies evanescat: quod fertur intra paucos dies, quin propellatur, aut repullulet, evenire. Remedium

---

(*a*) Mem. de la Societé R. de Medec. T. III. pag. 162. et seq.

vero paratur modo recenti radice, quae acrior reliquis partibus est, ad duos manipulos in fervidum oleum demissa, quod paullo post forti expressione percolatur; modo ex sicca radice cum oleo cocta, cui eiusdem pulvis dein additur; modo ex integra stirpe cum oleo Solis actioni exposita, ac dein expressa, ut eius virtute imbutum Oleum supersit. Cui quidem Oleo Salis communis non parum interdum adiicitur. In hoc autem Oleum mergitur subinde, quando usurpatur, nodus ex radice linteo convoluta confectus, qui ad frictionem commode inservit. Nec dissimili ratione ad tineam capitis, quam sanare dicitur, usurpatur hocce Oleum, cui insignis etiam vis ad antiquum, et ossibus proximum cancrum curandum tribuitur. Sed si tanta istud remedium efficit, cur ultra Galliam, eiusque potissimum Provinciam non tentatur? Num forte ex eo, quod plerasque curationes sali adhibito quidam adscribant, vel quod alii cognoverint vim eius adversus scabiem *Clematim vitalbam*, *Helleborum foetidum*, aliasque acres stirpes plane referre (a)? Esto aliorum iudicium.

1952. Negligitur autem quae e Rotaceis stirpibus peti alias frequentissime solebat radix *Cyclaminis europaei* seu Cyclaminis, aut Arthanitae, quamvis ea recens, vel expressus maxime succus cutem inflammet. Cui quidem qualitati respiciebam, quo loco disserens de usu

(a) Op. cit. pag. 186. et seq.

Unguenti de Arthanita illiniti ad alvum proritandam (§. 1461.), ac correctum desiderans Unguentum de Arthanita compositum, monebam eos Medicos, qui in Italia Infantium, aut Puerorum ventri Unguentum de Arthanita simplex seu ex uno Cyclaminis recenti succo confectum adhuc imponunt, ne vel hoc ipsum sinant diutius, quam par est, cuti adhaerere.

1953. E Siliquosis pariter Rubefacientia desumi non solent; quoniam, si semina *Sinapis nigrae*, aut *albae*, de quibus postea loquar, excipiantur, neque orbiculi sale conspersi ex *Raphano sativo*, ac potissimum e varietate eius acriori, quae Raphanus niger, aut Radicula vocatur, cuti, ut rubefiat, admoventur, neque radix recens rasa *Cochleariae armoraceae*, licet efficax sit, in locum Sinapis plantis pedum apponitur. E Multisiliquis item *Delphinium*, (ne inutiliter repetam, quae de *Ranunculi* diversis speciebus (§. 897.) iam indicavi) tum *consolida* seu Consolida regalis, cum *staphisagria* seu Staphisagria, semina ad rubefaciendam cutem non amplius erogat, sed potius ad pediculos enecandos. Est enim utriusque semen inter Phthiriaca, quae apud nos Vulgus frequenter adhibet, qui tamen solet ita utrumque contritum, exceptumque oleo, aut suilla pinguedine illinire, ut e priori specie sumptum ad pediculos minores, ex altera petitum ad maiores, acarosve perimendos usurpet. Quamquam video utrumque minus usitatum in dies evadere, postquam phthiriacum remedium non

pauci, qui recte volunt ab omni Mercuriali unguento cavere, sumunt ab omnium tenuissimo pulvere *Nicotianae tabaci*, cuiusmodi est, Tabacum hispanicum, aut petunt, praesertim inopes, ex *Veratri sabadillae* seu Sabadillae (§. 1053. 1499.) semine iisdem animalculis perimendis aptissimo. Quos tamen moneo, ne Sabadilli pulverem in teneris infantibus usurpent, neve capiti negligenter sive cum pinguedine illiniant, sive inspergant, quando obsideatur ulculsculis, quae eo absorpto non levibus incommodis caussam praebuisse dicuntur. Caeterum dum ab istis ad cutem rubefaciendam abstinemus, maxime refugimus a Tricoccis, quae sub genere *Euphorbiae* sistunt species (§. 891.) tam acre virus habentes, ut vel exterius applicitae gravissima mala, mortemque interdum intulerint.

1954. Neque, ut cutem rubefaciant, et leviter Inflammantium medicaminum commoda aegris afferant, Medici solent nostra aetate confugere ad Spiritum formicarum (§. 1680.) ad quaedam insecta, quorum caustica vis, si Cantharides excipimus, emineat, ad Columborum, aliarumque Avium faeces; aut auxilium petere ab Oleis volatilibus, et empyreumaticis, quae fervidiorem, acrioremque qualitatem habent; aut usurpare Salia, sive Acida, sive Alcalica, quae irritanti et caustica qualitate praestent. Nam haec aut virtute ambigua, aut supervacanea, aut plena periculo censent. Nec quidem immerito ab hisce abstinere mihi videntur animadvertenti, pauca illa, quae in usum

veniunt, sufficere, ut queat salutaris Ars cutem apte, atque innoxie rubefacere, leviterque inflammare, tum illas facile paratissimas habere species Rubefacientium medicaminum, quae paullo ante (§. 1946.) indicatae fuerunt.

1955. Nimirum ubi conveniat Dropacismus, quemadmodum in pectoris, et faucium pertinacioribus affectibus rheumaticis, et catarrhalibus inter scapulas applicitum non raro convenire, ac saepe profuisse traditur, Resina solida, seu Pix Burgundica eum facile praebet. Siquidem in modum emplastri super alutam extensa, atque imposita, ubi bis, aut ter in hebdomada abstergatur, satis attrahit; quin oporteat Veterum more Dropacem eiusmodi aliis additis compositum reddere. Hi siquidem Pici oleo liquatae admiscebant modo piper, pyrethrum, bitumina, et acria semina, ut stimuli vim intenderent, modo sulphur, sal, cineres, ut stimularent simul, atque exsiccarent. Simplex autem ille Dropax, ubi opportune adhibeatur, sufficere censetur, nec criminari solet; sicuti ex Pice nigra confectum ad clavos pedum, atque ischiadem crudelem Dropacismum SPIELMANNUS vocabat (a). At quanto crudeliorem dicere non debuisset, si reputasset insignem cruciatum, quem ad tinneam evellendam impositus aegris affert!

1956. Urticatio vero, qua post Veteres, ac praesertim CELSUM, atque ARETAEUM pa-

---

(a) Op. cit. pag. 170.

ralyticis, lethargicis, in venerem frigidis, atque ischiade, aut inveterato rheumatismo laborantibus opitulari tum alias consueverant, tum adhuc solent quidem Medicorum, tum absolvitur quando affectum membrum usque ad rubedinem, ac subinde iteratis apte vicibus, caeditur recentibus urticis. Utrum autem, dicam cum MURRAYO (*a*) urant unice vulnu„ nusculis per aculeos illatis, uti BONNANI „ putat, vel horum adeo apicibus diffractis „ cutique infixis, an hi ipsi liquorem quendam „ causticum instillando stimulent, uti HOOKE, „ multique alii sentiunt, dictu difficile est. „ Primum suadet rigiditas insignis eorum, et „ similis fere effectus festucae, vel spinae alias „ infixae, deficiens acrimoniae omnis in lingua „ sensus, et imperforata aculei cuspis; alterum „ inertia aculeorum siccae Urticae, etiamsi non „ rigiditate sua carentium. Fateor me magis „ eo inclinare, ut ingratum cutis sensum a „ discissis per durum aculeum vasculis deri„ vem, quam ab acri quodam instillato, cuius „ viam non deprehendo. Sensus ustionis oleo „ Olivarum, vel oleo Rosarum dispellitur".

1957 Sinapismum proprie suppeditat semen, cuius alibi memini (§. 1545.) *Sinapis nigrae*, aut *albae* in pulverem redactum, cum pari pondere contriti panis idonea aceti quantitate in modum cataplasmatis impositum. Quod revera Epispasticum generatim sat effi-

---

(*a*) Op. cit. Vol. IV. pag. 595.

cax est, neque aliis additamentis indiget. Cuiusmodi sunt acrius Acetum, atque interdum Scillinum, Fermentum panis acerrimum, Allium tusum, Sal, atque alia huius generis, quae interdum vel per se imposita cutem rubefaciunt, atque instar Sinapi sive plantis pedum, ut communiter fit, sive aliis partibus applicita ipsam mordice afficiunt, humores attrahunt, suoque stimulo in suppositam partem ea advocant copia, ut interdum, ubi diutius, adhaeserint, epidermide in vesicam elata ex Rubefacientibus Vesicantia fiant.

1958. Id tamen, ne accidat generatim matura Sinapismi amotione prospicitur; quoniam et stimulandi, et revellendi potissimum fine Sinapi imponitur, non exinanitionis caussa. Quin imo hoc ipso, quod Sinapismi humoribus, ut Vesicantia, copiosum effluxum non aperiant, et minus incitent motus sanguinis, minusque calorem excutiant, istis persaepe commodiores, tutioresque evadunt, Clinicorumque iudicio anteponuntur. Maxime vero quando morborum naturae, et caussae corruptionem minitentur, aut eam iam exhibeant corporis labem, quam putredinis nomine Pathologi designant, aut denique futurae gangraenae metum iniiciant. Hinc facile patet, cur Sinapismum rectius Vesicatorio tentare, et omnino praeferre in variolis, et morbillis aegre ex debilitate erumpentibus, in variis anginae speciebus, in febribus, quae putridae, et lentae nervosae, aut malignae appellantur, ac denique in quibusdam chronicis morbis, quorum natura facile ulcera arte excitata gangraenosa reddit, Clinici soleant.

1959. Quamquam commodiores praeterea fiunt Sinapismi, cum et saepius renovari queant, ut sine aliena, aut fortasse nocua multi, et crassioris humoris exinanitione exstimulent, ac revellant, et Vesicantium vices, ubi diu adhaeserint, in iis casibus gerant, in quibus medicamenta, quae Cantharides habent, non sine periculo, aut damno imponerentur. Nemqe quando curandum sedulo sit, ne quidquam Cantharidum impositarum absorbeatur, deducaturque ad sanguinem, ac speciatim ad renes, et vesicam, ex Sinapismo in modum vesicantis usurpato tutissime omnes effectus consequimur, irritationis, revulsionis, atque exinanitionis ex cute, quos ex Cantharidum usu assequi non licet. Tunc enim speciatim non licet cum irritatio, ardor, dolor, urinae difficultas, ac stranguria, aliique affectus stimulum acrem respuentes renes, et vesicam tenent, aut facile possunt ex Cantharidum particulis in sanguinem abreptis insurgere. Phaenomena sane, quae ex improvide etiam horum insectorum externo usu satis obvia ideo maxime Clinicos reddere cautiores debent, quod iam evictum est non a cutis irritatione ad renes, et vesicam propagata, at ab ipso interius delato Cantharidum viru proficisci, tum iisdem, ut alibi monui, Camphoram admixtam, aut intus ad eadem removenda assumptam nec tuto occurrere, nec certo mederi.

1960. Ob quam caussam circumspecti Artificis est curare, ne cutem diutius ei adhaerendo penitus exulcerent, neve exesis, aut

sauciae cuti proximis partibus emplastra imponantur, quae Cantharides habent; quemadmodum peritus quoque Medicus debet, quoties adducta incommoda ex absorpto eorum acri principio aut metuenda sint, aut superveniant, toties aegris potu saepius propinato, qui diluat, demulceat, et temperet, provide subvenire. Caeterum, ut propius ad validiora Epispastica, et simul Evacuantia Chirurgica accedamus, animadvertere oportet Medicamenta, quae cuti applicita acri stimulo suppositam partem inflammant, atque ad eam allicitis humoribus exeuntem ex ultimis vasculis ichorem in elatis ob remotam epidermidem vesiculis intra non multas horas colligunt, eiusque affluxum diu promovent, ubi concisis vesiculis butyro, aut quovis alio remedio, quod emolliat, et digerat ulcus nutriatur, Vesicantia vocari. Imo, ut uberius humorem effundant non solum exesa loca hoc modo curare solent Chirurghi, sed cuticulam humore elatam detrahere; quod tamen quidem Therapeutarum ad ardorem, doloremque vitandum prohibent: quibus interim tutius videntur in hac re se gerere, qui hic quoque nihil esse perpetuum arbitrantur.

1961. Porro Cantharides, quarum internos usus alibi tradidi (§. 1648., et seq.) cum primum ad vesicandam cutem ab ARCHIGENE atque ab ARETAEO, ut eruditi communiter perhibent, tentatae efficacissime valere certius postea innotuissent, omnium vulgatissimum Vesicatorium nobis praestant. Praesertim cum

innotuerit citius, certiusque eiusmodi Insecta caustica sua vi, qua eorum quoque capita, alae, et pedes, licet reiici soleant, donantur, aliis, quibusque hactenus exploratis rebus ad cutem attrahere, inflammare, ac sub cuticula humorem deducere; tum eius efficacitatem neque Formicas, neque Apes, neque alia Insecta hactenus exterius tentata attingere, aut aeque commoda cedere. Non enim inficias iverim nullum Insectorum genus *Meloe vesicatorio* seu Cantharidi suppar, aut par in rerum natura occurrere, tum praesertim temporis; quo video ad medicatas Insectorum detegendas vires studia Medicorum maxime contendere. Non poterant enim non parum incitari ab iis, quae ad causticum illustrandum principium, quod Coleoptera insecta habent, iam pridem Cl. FABRONIUS egerat, quaeque nuper Celeb. Viri GERBIUS, CARRADORIUS, aliique de antiodontalgica, ut dicunt, virtute *Cardui eriophori spurii*, *Carabi* vel *crysocephali*, vel *ferruginei*, et similium complurium revelarunt. Docent quippe haec Insecta, eorumque larvas digitorum apicibus affrictas, tantam istis medicatam, diuque durantem conciliare facultatem, ut hi dentibus aliquoties admoti, qui ex carie doleant, cruciatum queant sedare, atque ita tollere, ut in posterum non redeat, aut saltem diutissime sileat (*a*).

(*a*) Storia naturale d' un nuovo insetto. Firenze 1794. BRUGNATELLI Giornale Fisico Medico 1794.

1962 Praestant vero medicamentum ve-
sicans Cantharides, quando eaedem ad mediam
drachmam circiter imponantur idoneo exceptae
malagmate; cuiusmodi habetur Emplastrum
Cantharidum, aut Emplastrum ve-
sicans, quod cum octo unciis Cerae flavae,
et duabus tum Olei olivarum, tum Terebin-
thinae liquatis, ac pene frigefactis Cantharides
contusas, et ruditer tritas ad selibram habet,
recipitque interdum tres, aut quatuor Cam-
phorae drachmas. Num vero cum Vesicantia
conveniunt, non solum ob maiorem, prom-
ptioremque vim ad agendum, verum etiam
ob alias singulares mutationes, quae aegris
expediant, generatim conferat reliquis reme-
diis vesicam in cute excitantibus Cantharides
anteponere, quaestio est, quae adhuc sub iu-
dice versari censetur. Siquidem remedium ex
istis compositum longe medicatius ideo a ple-
risque aestimatur, quia putant suppeditare
particulas, quae a lymphaticis vasculis abre-
ptae interiora quaeque tam proxime afficiant,
ut solida apte exstimulentur, ac fluida utiliter
resolvantur. Quae duo caeteras res haud prae-
stare; proprie vero Cantharidum principia ef-
ficere experimentis, atque observatis credunt
comprobari.

1963. Nempe proxime admotum univer-
so systemati stimulum ex animalium, et vi-
talium praesertim actionum incitamento, ex
celeriori humorum motu, atque ex magis
explicato calore prospiciunt. Fluidarum vero
partium salutarem quampiam solutionem par-
tim

tim coniiciunt ex BAGLIVII (*a*), et PERCIVALII (*b*) periculis extra humanum corpus captis, partim arguunt ex ipsis effectibus, qui in aegris hominibus notantur. Nimirum in Canibus, in quorum iugulares venas Cantharidum solutionem BAGLIVIUS infunderat, resolutum sanguinem ipse observavit, viditque hunc ipsum e vena aegri missum in serum nigrum, et sublividum conversum ex addito Cantharidum pulvere: quod pariter PERCIVALIUS confirmavit. A phaenomenis vero, quae impositae medendi caussa Cantharides edunt, nempe a minori sanguinis quantitate, quae tunc ad inflammatorios morbos curandos detrahitur, a cito sublatis partium doloribus, quos inflammatoria congestio intulit, a fluxu urinae admodum copioso, ab aucta humorum velocitate, atque a sudoribus facile erumpentibus luculentius adhuc eruunt Cantharides, cum vias sanguinis subeunt, non modo serum, verum etiam ipsum sanguinis crassamentum evidenter tenuare, atque utiliter vi morbi coalitum solvere.

1964. Ex hisce proinde complures Therapeutae dum deducunt maius Cantharidum pretium, atque a proxima earundem in solidas, fluidasque intimiores partes agendi ratione, quarum altera stimulans sit, altera solvens,

(*a*) De Vesicant. usu, et abusu. Op. omn. pag. 648., et seq.

(*b*) Essays Medic. and Experim. Oss. IV.

effectus explicant, quos vel exterius edunt adhibitae, constituenda quoque volunt genera morborum, in quibus earum usus aut utilis, aut noxius futurus sit. Speciatim vero ab attenuatis earundem actione humoribus insigne commodum derivant, quod in rheumaticis affectibus, in congestionibus internarum partium, atque in morbis etiam inflammatoriis viscerum opportune, apteque impositae Cantharides praestant, maxime ei parti admotae, quae ab affecto loco minus distat, aut quae dolorem magis sentit. Quandoquidem post detractum, ut expedit, sanguinem, et paullo fractum inflammationis impetum, non solum suris, ut in pleuritide utilissimum esse monuit olim BAGLIVIUS, aut brachiis, ut alii praecipiunt, admotas Cantharides conducere, sed imprimis scimus prodesse dolenti lateri, aut pectori, aut dextero hyppocondrio impositas in pleuritide, in peripneumonia, aut in hepatitide. Nam PRINGLAEI, HAENII, QUARINII, aliorumque Procerum Artis observatis, et propriis etiam docemur non solum dolorem levare, ac discutere, verum etiam morbi resolutionem, atque in salutem exitum insigniter adiuvare.

1965. Verum contra haec, ad speciale Cantharidum impositarum commodum constituendum adducta, praesto sunt, quae ab aliis Therapeutis opponantur. Nempe quamvis concedant abripi aliquid earum in sanguinem posse, imo venire; id neque adeo perpetuum esse, neque, ubi accidat, remedium ea copia in eum influere, eoque modo interiora perva-

dere existimant, unde stimulus ubique proxime admoveri, aut diu queat partes afficere. Nam aut quam minimum remedii absorbetur, aut saltem propere ad vesicam, insalutatis fere caeteris partibus, advehitur. Quod evidentius demonstrari putant ex ROBERTI WHYTTII observatis, qui iisdem impositis pulsuum celeritatem, et caloris incrementum adeo imminui animadvertit, ut febris etiam mitigaretur. Deinde circa eiusdem sanguinis attenuationem, quae a proxima Cantharidum actione derivanda sit, observant eam neque ex allatis experimentis extra humanum corpus cum pulvere Cantharidum institutis, neque ex adductis earundem effectibus in morbis posse iure desumi. Nam cum BAGLIVII periculis pugnant, quae VERRATUS in Italia quoque suscepit (*a*) cum in istis apparuerit sanguinis crassamentum, pulveri Cantharidum admixtum in firmum coagulum compingi, serum vero, aut neutiquam inde immutari, aut densius evadere. Commodum autem insigne, quod in rheumaticis, et inflammatoriis morbis afferunt impositae Cantharides, id non istis tam proprium putant, ut non commune sit reliquis Vesicatoriis medicamentis eodem modo adhibitis; sicuti iam Veteribus, ac speciatim CELSO notum erat. Inquit enim (*b*) in pleuritide recte

---

(*a*) Comment. Instit. et Acad. Bonon. Tom. II. Part. II. pag. 108. et seq.

(*b*) Op. cit. Lib. IV. Cap. VI. VII. pag. 191., et seq.

sinapi ex aceto super pectus imponi, donec ulcera, pustulasque excitet, et dein medicamentum, quod humorem illuc citet; tum in peripneumonia prodesse impositum super pectus sal bene contritum, cum cerato mistum, quia leviter cutem erodit, eoque impetum materiae, quo pulmò vexatur, evocat. Damnum denique, quod in quibusdam morbis, et putridis praesertim febribus afferre dicuntur, non a solventi earundem principio cum sanguine communicato, sed ab aliis caussis explicant.

1966. En igitur quomodo in tantam concertationem res venerit, ut etiam solutu difficillima videatur. Verum aut fallor, aut nulla sane sufficiens caussa est, ob quam inter se Therapeutae tantopere dissentiant. Nam quod potissimum quaeritur, non admodum arduum videtur assequi, dummodo ad quaestionem solvendam neque afferantur ea, quae cum aliena sint, aut plane dubia, aut alio in sensu accipienda, obscuritatem, non lucem ei affundunt, neque incerta adhuc, sive ut vera, sive ut falsa protinus assumantur. Profecto Cantharides instar Vesicatorii adhibitas ad sanguinem usque aliqua ex parte generatim deferri certum est, cum ea interdum copia interiora subire (§. 585.), quae nocere etiam possit, certissimum sit. Cum autem tunc ingressum pharmacum suas vires retinere significet phaenomenis, quae edit, stimulo quoque suo propriis afferendis mutationibus idoneum evadat, atque iure habeatur, necesse est. Ex quo quidem iam intelligitur cur prae iis Vesicatoriis, quae

ad sanguinem suas particulas non deferunt, aut alterius saltem generis, malagma ex Cantharidibus magis stimulet, pulsum celeriorem efficiat, magis calefaciat, atque humorem uberius evocet: unde illis modo praeferendum, modo postponendum sit.

1967. E contra vero ab experimentis paullo ante memoratis, sive BAGLIVII, sive VERRATI, quae invicem pugnant, ne quidquam inferatur ad solventem Cantharidum vim sive admittendam, sive reprobandam, praeter dissimilem eorum eventum, alia sunt quae abunde commonefaciant. Eiusmodi quippe pericula nihil ad alterutrum admittendum valere tunc evici, quando illa, quae BAGLIVIUS, VERRATUS, PERCIVALIUS, et FORSTENIUS instituerant (*a*) tum pari, tum dissimili modo suscipiens cognovi facile esse ex diversa periclitandi ratione, ut alibi monui (§. 530.) eas sanguini inferre mutationes, ex quibus videretur tutissimum nunc cum VERRATO ad non tenuantem, ac solventem facultatem, nunc ad contrariam cum BAGLIVIO, PERCIVALIO, et FORSTENIO concludere. Quae quidem si ad aliquid constituendum non valent, non magis valere ad vim tenuantem adstruendam existimo quae ex phaenomenis adducuntur in aegris observatis. Nam quae ex utilitate in morbis inflammatoriis desumuntur veras ponunt, nunc reiectas, hypotheses de sanguinis lentore, et

(*a*) Disquisit. Med. Cantharid Argentorat. 1776.

de vasorum obstructione veluti propioribus inflammationis caussis, suntque praeterea cum caeteris Vesicantibus communia. Tum quae ex motis sudoribus, urinis, et similibus deducta fuerunt, aeque possunt ab aucto stimuli ope humorum motu facile explicari. Praesertim cum imminutio caloris, et febrilis motus a WHYTTIO observata phaenomenon sit, quod non prius apparet, quam allatum ab impositi Vesicantis irritatione manifestum utriusque incrementum sustulerit vis interius operantis morbosi stimuli ad exteriora vocata, aut humor ex ulcere effusus, cum quo pars aliqua morbificae materiae utiliter secesserit. Denique vel a calore, et motu inopportune auctis, vel ab improvide humoribus elicitis ea damna, quae usum Cantharidum in quibusdam morbis excipiunt, rectius quidem, quam liquatis sanguinis particulis, eruuntur.

1968. Sed de controversiis Therapeutarum iam nimis dictum est, etsi de Vesicantium effectibus, usibusque nondum satis. Quae enim disputationis caussa adducta hactenus sunt multa quidem de Vesicantium rationibus, usibusque aperiunt; at non omnia, quae de iisdem, interest exposuisse. Nimirum istis addere oportet Vesicantia generatim, quatenus sensilibus, irritabilibusque partibus stimulo perculsis vires, actiones, et motus admodum incitant, ipsisque etiam Rubefacientibus validius, et diutius, tum cerebri et nervorum, tum cordis, vasorum, musculorumque, summopere prodesse in morbis opportune tentata.

Nempe qui ab inertia, debilitate, et vi sentiendi, agendique imminuta cerebri, nervorumque ob stimulum, qui vel deficiat, vel nimis inhaereat, ob compressionem, atque ob spasmum alicubi excitatum originem ducunt; aut qui ex languidis, vel impeditis irritabilitatis, ac circumeuntis sanguinis motibus oriuntur; aut qui, ab aliis licet caussis orti, secum adsciverint incommoda, quae ex sensilis, atque irritabilis systematis infirmitate proveniunt. Hinc in apoplexia, hemiplegia, paralysi, in lethargo, cephalalgia, hemicrania, epilepsia, et melancholia, in febribus, quae soporem, aut coma inferant, aut nervos, et cerebrum affici significent, aut animalium, et vitalium incitamentum requirant, tum denique in passionibus lentis, et chronicis, quae idem mutationis genus desiderent, (ut plurimae revera desiderant), Vesicatoria insigne auxilium afferunt.

1969. Quatenus item eadem remedia dum ad cutem, seu ad exteriora potenter evocant, ab interioribus efficaciter avocant, valde utilia fiunt, ac persaepe necessaria, ubi nocuus humor, aut stimulus quicumque alienus ab aliquo viscere, aut ab interioribus partibus ad exteriores adducendus sit, aut in cute prius haerens, et improvide repercussus iterum ad hanc utilissime revocari debeat. Quam ob rem praesentissimi usus esse solent in rheumaticis, pituitosis, et catarrhalibus morbis, qui fauces, pectus, et ventrem obsideant materie, aut laedant irritatione, quemadmodum in pertinaciori, et diutino praesertim affectu passim evenit;

tum in psora, scabie, herpete, aliisque impetiginibus retroactis; in podagra repercussa, atque ad interiora viscera, et praesertim ad stomachum summo periculo deducta; atque in ipsis denique exanthematis, sive acutis, sive chronicis, tum aegre erumpentibus, tum ad internas partes vel deficientibus naturae viribus, vel reprimentium incaute admissorum medicaminum vi intempestive, et temere repulsis. In quibus sane omnibus affectibus non solum futura ex transitu iniuriosi stimuli, aut nocui humoris ad interiora antevertunt gravissima mala, verum etiam curationi pristini morbi insigniter conducunt si mature, et recte Vesicatoria modo mitiora, modo acriora imponantur.

1970. Proficiunt denique quoniam humorem detrahendo tum in universum, tum in singulari parte eius copiam imminuunt, atque una ex ulcerato loco materiem alienam, nocentemque, quae ei inhaereat, expellunt, vel morbidam, quae alibi occurrat, et mobilem factam, et ad cutem subeundam eorum etiam vi allicitam salubriter excernunt. Quo evenit, ut in priori casu mira interdum promptitudine dolorem, ipsumque morbum discutiant, in altero opportunam crysim, aut salutarem exinanitionem determinent, quae morbum prius leniat, dein prorsus abstergat, ubi iis admoveantur locis, quae vel morbi sedes, vel eius natura speciatim requirat. Primum docent arthritici, et rheumatici dolores, sive vetusti, sive recentes, protinus sublati, et spasmi, qui

tantum saeviant, aut recurrant, facile soluti, et quaedam singulares aegritudines radicitus victae cum Vesicans impositum opportune fuisset. Nempe praesentissimo effectu admotum fuisse loco, quem Ill. COTTUNIUS indicat, in ischiade; ventri in passione Iliaca, et colica Pictonum; dextero hyppocondrio in morbis iecinoris; scrobiculo cordis in affectione ventriculi, aut dolenti parti in valetudine intestinorum; pectoris lateri in pleuritide, dorso in haemophthisi, colo in angina, pone aures in oculorum, aurium, et dentium affectibus, et raso capiti in epilepsia ab exsiccatis prius manantibus ulceribus, aliisque morbis, quae sedem, aut caussam intra cerebrum habent, et sic porro Clinici passim testantur.

1971. Secundum vero ostendunt mitigata, aut etiam soluta non paucarum aegritudinum symptomata statim ac ab interioribus partibus ad exteriores beneficio Vesicantium, evocatus humor foras erumpit, ac deinceps fluere idoneo temporis spatio perseverat. Quo quidem modo irritationis caussa cum magna ex parte non raro subtrahatur, quae et caloris incrementum inferebat, et pulsuum frequentiorem motum concitabat, facile potuit evenire, ut quidam tantam Vesicatoriis esse ad utrumque moderandum, ac tam perpetuam facultatem cum WHYTTIO assumerent, ut iisdem generatim febrium curationem comittendam esse temere crediderint. Quod profecto insigni aegrorum damno, ac pernicie haud accidisset, si animadvertissent inflammationem, et

febrim, quarum impetus nondum fractus sit, augeri, non moderari oportere ab adhibito Vesicante, quemadmodum accidit, cum per se non mediocre caloris, et pulsus incrementum adducat; quod ad non breve temporis spatium extenditur. Atque idcirco nimis saepe sufficit intempestiva eiusmodi Vesicantis irritatio, ut morbi vehementiam intendat, convulsivos, et spasticos motus suscitet, gangraenam accersat, omnemque curationis legem subvertat.

1972. Quare monent Therapeutae ab eiusmodi remedii genere abstinendum esse in vehementi inflammatione, aut febre, in sopore variolarum, et morbillorum ab aestu, et imtu humorum pendente, ac in delirio cum acutissima febre coniuncto; sicuti praecipiunt eo minus convenire quo irritabilior, ac mobilior est corporum natura, quo copia humorum magis abundat, et quo temperies corporis, aut regionis, et tempestatis ratio stimulantium, et calefacientium medicaminum usui minus favent. Quin imo consulto constituunt, ut, quando etiam indicata sunt ista auxilia, caute tententur, cum vel nimis ampla Vesicantia, vel nimis tarde detracta, vel nimis plura eodem tempore imposita, vel nimis renovata pluribus modis noceant. Facile quippe superstes ulcus sinuatur, aut corrumpitur, aut in gangraenam abit; vel sitis, aestus, anxietas, irrequies, et vigilia superveniunt; vel corpus emaciatur, et contabescit; vel, si Cantharides adhibitae fuerint, dum aeger a potu abstinet, urinarum ardor, suppressio, dolor circa vesicam,

et renes, atque alvi obstructio superveniunt; vel denique vires nimia irritatione, aut intempestiva exinanitione magis infirmatae resolvuntur.

1973. Proxima Vesicantibus sunt ulcera Arte excitata, quae Fonticulus, et Setaceum inducunt; quamvis ab illis non una ratione discrepent. Nam prima generatim, ut Ill. GREGORYUS cum caeteris Therapeutis animadvertit, (*a*) cito, atque admodum valide exstimulant, propere humores alliciunt, celeribus, urgentibusque morbis praesertim conducunt, non exitu humoris potissimum iuvant, aut intempestive adhibita nocent, ac diu fluere non possunt. Altera vero mediocrem, et cito evanescentem stimulum praestant, tarde humorem effundunt, lentisque proinde, et chronicis affectibus expediunt, in longum trahuntur, ac pure, quod emittunt, aegrum queunt plus emaciare, ac debilitare, quam a vi effluentis humoris pertimescendum esset. Fonticuli porro vocantur exigua ulcera idoneae corporis parti incisione, vel ustione, vel erosione ex apto medicamento inducta, quae ob immissum in ea globulum cereum, aut ligneum, qui, ne coalescant impediat, diu, imo perpetuo, humorem emittunt. Excitantur communiter in brachiis, aut internis femoris, tibiaeque partibus, ubi musculorum interstitia occurrunt, quae efficiunt, ut globuli facile, et sine dolore retinean-

(a) Op. cit. n. 1607.

tur, atque humor melius effluat. Plurimi autem fiunt in chronicis morbis, ac praesertim a serosa colluvie ortis, aut cum ea complicatis, ut discutiantur, aut mitigentur, tum ut isti, ac speciatim graviores capitis affectus, provide arceantur. Nam modo revulsione, modo exinanitione, modo utraque, ipsa caussa, quae morbum vel intulit, vel minitetur, ea ratione derivatur ad cutem, vel ita saltem ex parte subtrahitur, ut vehementer in aliquam partem irruere ad perniciem, vel ad noxam non possit, aut aegritudinis evolutionem, reditumque prohibeat, aut hanc ipsam iam evolutam discutiat. Quapropter in plerisque capitis morbis, apoplexia, comate, et perantiqua cephalalgia, in vitiis diutinis, et facile, ob caussam, quae saepius renovetur, aut prorsus tolli nequeat, redeuntibus oculorum, aurium, faucium, et pectoris, in scrophularum valetudine, et chronicis cutis affectibus, ac in lumbagine, rheumatismo, atque ischiade inveteratis tum praeservationis, tum curationis fine saepe Fonticuli profuerunt.

1974. Communes cum istis utilitates, nisi maiores iuxta multorum sententiam, habet Setaceum, nempe ulceris species, quae in occipite, atque inter scapulas excitatur. Arrepta nimirum digitis, vel forcipe ad perpendiculum cutis acu utrinque traiicitur, tumque huic inserta serica funicula, vel fila plura ex lino, aut gossypio contorta in vulnus ducuntur, in eoque relicta, et bis die butyrro, aut quavis pus movente materie oblinita hinc illinc tra-

huntur, ut ex utroque vulneris ore supervacaneus, corruptusque humor perpetuo quasi rivo foras secedat. Quod pariter medendi genus opportune tentatum non mediocriter proficit, imo prae fonticulis extollitur in diuturniori ophtalmia, lippitudine, incipiente cataracta, et amaurosi, in hydrocephalo, cephalalgia, hemicrania, stupore, aut instante apoplexia, quin imo, auctore HALLERO, in phthisi, aut hemophthisi, quae ab humorum nocua qualitate provenerit.

1975. Etsi vero eiusmodi praesidiis opportune usurpatis pertinacissimi morbi mitigentur, aut discutiantur, non reticendum nihilominus est in gracilioribus, debilibus, emaciatis, pueris, infantibus, vel senio, hydrope, aut morbo attritis, nunquam ea, ne in maximum periculum aeger coniiciatur, tentari oportere; quae praeterea magna quaeque damna portendunt ubi nimium humoris detrahant, aut nullo Artificis errore repente inarescant. In priori siquidem casu non tantum vitiatis, ac superfluis evacuatis humoribus, at sanis etiam et necessariis, summa corporis macies, et insignis totius corporis infirmitas brevi superveniunt; tum, aqueis particulis diflatis, quae supersunt crassiores, deterioresque indole factae, convulsionibus, spasmis, atque inflammationibus viam sternunt, aut occasionem praebent. In altero autem peiora adhuc mala imminere, mortemque ipsam, nisi protinus novo humoris fluxu respondeant, instare generatim praenunciant.

1976. Quare evenit nostra aetate, ut Medici non ea, qua alias consueverant, frequentia ad Fonticulos in morborum curatione confugiant; ac praesertim paucis ab hinc annis cum minori incommodo, et pari, nisi interdum maiori, emolumento, aut nullo fere periculo eorum loco didicerint Corticem e *Daphne* sive *mezereo*, sive *gnidio*, sive *laureola*, sumptum exterius imponere. Aeque siquidem efficacem corticem hasce species erogare idonei Auctores perhibent, qui interim ad nodos venereos, tumores, et scirrhos dissipandos corticem trunci, aut radicis e solo Mezereo petunt, cuius decoctum ex duabus, tribusve drachmis in larga aquae copia paratum, ne maior dosis ob rodentem vim infensa sit, magni faciunt. Tradunt autem Corticem vel e radice, vel e trunco, vel e ramis degluptum, (qui in Officinis si proveniat e *Daphne mezereo* Cortex Mezerei, si e *Daphne gnidio* Cortex Thymeleae dicitur) qui linguam et fauces urit, atque erodit cutem, tum recentem, tum siccum ex aceto, aut aqua maceratum, si eius frustulum alterutro brachio ibidem ita applicetur, ubi exigua veluti fovea inter musculum deltoidem, et bicipitem notatur, ut fascia circumdatus arcte adhaereat, ac cortex interea renovetur, pruritu, atque erosione suppositam partem bidui, aut tridui spatio leviter ulcerare. Humor hoc modo facile erumpit, et perseverat quam diutissime, si ulcus Malvae, aut Plantaginis, aut similium foliis toties alatur, quoties novus cortex imponitur, quod modo semel,

modo alternis diebus faciendum esse scite monet MURRAYUS, qui totam eiusdem adhibendi methodum accuratissime prosequitur. Eam enim in rheumaticis affectibus, licet inveteratis, et gravioribus, in chronicis cutis exanthematis, atque oculorum et aurium vitiis, aliisque aegritudinibus non parvi fecit, voluitque eo pluris faciendam esse, quod existimaverit incommoda, quae interdum suscitat, facile tolli, eamque iteratis alvi ductionibus cum cibi sobrietate praemissis, tute exsiccato ulcere, quemque impune deserere (*a*).

1977. Verum de hisce rationibus, quibus humores nitimur evocare, diuque effundere, iam satis dictum mihi videretur, cum caetera ad Chirurgiae institutiones pertineant, nisi, ut incitetur, aut protrahatur fluxus humorum, aut ut excitatum ulcus coalescat, saepe oporteret ad quaedam remedia confugere quae Materiam Chirurgicam proprie respiciunt. Tunc enim arte excitata ulcera non solum iis apte nutriuntur, quae sponte, aut ex vulnere nata ad suppurandum requirunt, verum etiam horum naturam plane adepta, atque iisdem vicissitudinibus, periculis, ac vitiis obnoxia eandem curationis methodum, et idoneam medicaminum varietatem postulant. Quam ob rem ista quoque varia rerum genera a Therapeutis hic loci solent indicari; eo quidem libentius, quia norunt maiori iure caeteris subiungi cum ad

---

(*a*) Op. cit. Vol. IV. pag. 640., et seq.

promovendam, afferendamque aliquam exinanitionem humoris, seu puris conferant, proindeque in censum Evacuantium veniant.

1978. Itaque opportune monebimus ad ea, quae suppurationi faveant, revocari Emollientia, Maturantia, et Digestiva. Ex Emollientibus, praeter iam indicata (§. 660. et seq.) Chirurghi imponunt Cataplasma vel ex herbis emollientibus, laxantibusque eo loco allatis (§. 695.) vel ex Farinis seminum Lini, Foeni graeci, Hordei, Oryzae, Secalis, et Fabarum, itemque *Lupini albi* seu Lupini, et *Ervi erviliae* seu Orobi; aut illud ex contrito Pane cum lacte, quod Cataplasma de Mica panis nuncupatur; aut Ceratum, vel Unguentum Altheae (§. 698.). Utuntur vero tamquam Maturantibus, et Digestivis, modo Unguentis, cuiusmodi sunt usitatiora Digestivum, Fuscum, seu Matris, et Basilicum, modo Emplastris, usu pariter magis receptis, ut esse solent Diachylon simplex, Diachylon cum gummi, de Mucilaginibus, et Oxycroceum: caeteris iam, ut inconcinnis, alienis, et facile extemplo in singulari casu parandis exoletis.

1979. Quemadmodnm autem ulcera hisce non satis interdum possunt abstergi; sic Artifices curant varia, quae veluti Stimulantia, atque Antiseptica alibi proposuimus Emplastris, vel Unguentis admiscere, aut cum apte medicato liquore, vel Calcis aqua corruptum ulcus eluunt, aut Unguentum Aegyptiacum,

vel

vel balsamum Arcaei, aut quodpiam aliud ex balsamis, resinis, aliisque medicamentis, quae Detergentia vocant, Digestivis admiscent. Quibus sane omnibus et simplicibus et permistis tam varie Chirurgorum quidam nostra etiam aetate utuntur, ut magis (dicam cum CELSO) quid quisque persuaserit sibi, appareat, quam quid evidenter compererit. Ut autem abstersum ulcus impleant, atque ad cicatricem perducant, non desunt qui Emplastra, atque Unguenta usurpent, quae ab additis potissimum Oxydibus Plumbi vim habent exsiccandi, quaeque Exsiccantia, ac Sarcotica nominantur.

1980. Sed ab istis maiores Artifices ut plurimum abstinent ob facile, et saepe noxiam Plumbi qualitatem, ob quam etiam paullo ante indicatis Emplastris (§. 1978.), quae *Oxydum plumbi semivitreum* seu Lythargirium habent, rarissime adhibent; et satius praeterea esse ducunt plerumque ad cicatricem prompte inducendam per se impositum siccum linamentum: quod etiam magis proficit cum impediat ne ab aere, aliave nocitura facile caussa naturae opus cicatricem molientis perturbetur. Caeterum, quae ipsis medicamentis ulceri proxime admotis, ut ipsum melius emolliatur, laxetur, et foveatur, superdandae sint res loco Lanae succidae, seu pinguedine adhuc farctae, ut HIPPOCRATIS exemplo Veteres passim consueverant; quae ad ortam cicatricem confirmandam conveniant prae imposito frusto Serici glutinandi vim habentis ex obducto Em-

plastro glutinoso Anglico ex Ichthyocolla, cui Peruvianum balsamum illinitur; quaeque pro vario rerum discrimine in nutriendis, deligandisque ulceribus servanda sint plenissima doctrina Chirurgiae Professores exponunt. Qui etiam de peculiaribus cum disserunt morborum curationibus ad Chirurgiam proprie pertinentibus indicant, quae ex singulis medicaminum generibus, hactenus propositis, ad caeteros usus desumenda sint, ut propria ista quoque habeat Medicinae pars Adstringentia, Roborantia, Stimulantia, Resolventia, et Discussoria remedia, quibus speciatim laesis exterioribus partibus opituletur.

CAPUT XII.

De Sanguinis missione.

1981. Sanguinis quoque missionem ad ea Auxilia pertinere, quae cum detrahendo maxime prosint, quisque Therapeuticen tradens exequi necessario debeat, et vulgo notum, et a me propositum est. Nam quamvis manu ea celebretur, et dum materiam demit aliis modis inter se non contrariis adiuvet; ad maiora nihilominus spectat Medicinae praesidia, ac nullum ipsa exinanitione propiorem effectum edit. Qui quidem omnium evidentissimus ad subitam, et magnam universo corpori mutationem afferendam tantopere valet, ut temere, aut opportune excitatus aegrum vel occidat, vel liberet. Quemadmodum enim sanguinis detractio id facile, et tute interdum demit quod gravissimum morbum parit, aut fovet, mortemque minitatur, reddita tunc infirmo salute, aut vitae securitate; ita interdum illud exhaurit, quod ad sanitatem restistuendam, et vitam conservandam necessarium eum magis opprimat, aut etiam exanimet.

1982. Quam ob caussam, ne tam insigne auxilium minus proficiat, neve anceps unquam noceat, aut prope sit ab exitio, Medicinae Scriptores iamdiu consueverunt eas Therapeutices Institutiones satis utiles, absolutasque non re-

putare quae etiam circa Sanguinis missionem non versarentur. Huius quippe effectibus, commodis, et periculis generatim perspectis facile intelligebant expeditissimum cuique deinde futurum ad eandem in quolibet morbi genere sive admittendam, sive improbandam tuto concludere. Quo sane Medicorum, aegrorumque rationibus apprime consulitur potioribus, ac magis perpetuis praemonstratis praeceptis, quorum diligenti observatione Sanguinis missio in morbis curandis tam tutum, atque expers periculo evadat, ut generatim caeteris remediis usitatius, promptius, ac praesentius auxilium suppeditet.

1983. Quod quidem vetustissimis iam temporibus inventum medendi genus ipsa dein salutaris Ars sequentibus perfecit variis repertis rationibus plane idoneis sanguini mittendo e vasis mechanico artificio incisis, quae summum corpus ita perreptant, ut conspicua sint, ac facile pertundi possint. Didicit quippe ex incisa vena sanguinem mittere ope scalpelli in eam demissi, eum concisa cute, cui inhaerescit Cucurbitula, extrahere, tum aliter pro loci natura institutis Scarificationibus, itemque admotis Hirudinibus, aut Sanguisugis provide educere; quemadmodum antiquitus etiam invenerat tutum et quandoque utile esse arteriam ipsam incidere. Nam cum innuit CELSUS arteriam incisam neque coire, neque sanescere (*a*) ei solummodo respexisse, quae

---

(*a*) Op. cit. Lib. II. pag. 74.

iuncta venae in huius sectione casu potest sauciari, luculenter eruitur ex iis, quae paullo ante tradiderat (*a*), sanguinem non ubique mitti posse, sed in temporibus, in brachiis, iuxta talos. Qui quidem locus cognitam arteriae temporalis sectionem ad educendum sanguinem satis ostendit quin ad eiusmodi rem comprobandam oporteat alia Veterum testimonia in medium proferre.

1984. Hisce vero sanguinis detrahendi dissimilibus modis inventis, et commodis perspectis, quae ex uno potius, quam ex altero loco ubi sanguis emittitur proveniant, istud auxilium, longe tutius, atque aptius mitigandis, discutiendisque morbis adeo evasisse, ut speciatim nostra aetate eius usus plane constitutus videri debeat, complurium Therapeutarum sententia est. Cui quidem, etsi reliqui repugnent, qui animadvertunt id hactenus absolute dici non posse de auxilii genere, cuius potiores, et primarii effectus nec satis perspecti, nec tute constituti a Sapientioribus iudicantur, licet tamen uno in sensu ei subscribere. Nempe, ut dicamus ex evoluto multiplici discrimine, quod affert Sanguinis detractio, prout eadem e maioribus sectis vasis, aut e minoribus provenit, vel in una, aut altera corporis parte perficitur, iam licere in quibusdam casibus et tutius sanguinem mittere, et utilius etiam, quam alias Medicus praestare potuisset, nondum obser-

(*a*) Lib. cit. pag. 73.

vationibus declaratis, ad quas dirigi ipsius aegritudinem curantis consilium debeat.

1985. Ex istis quippe tum deductis ex manifestioribus phaenomenis, quae Sanguinis detractio sive generalis, sive singularis, ut dicunt, in universum edit, tum petitis ex peculiaribus commodis, quae alterutra detractionis ratio in qualibet aegritudine affert, rectius utriusque utilitas, vel opportunitas prospicitur, aut deducitur, quam fieri olim consueverat ex hypothesibus ad propiorem ipsius Sanguinis missionis agendi rationem explicandam, aut ad proximos, et primarios eiusdem effectus assequendos invectis. Inter quas quidem hypotheses neque ea iam admittitur, quae recentius proposita verisimilior habebatur, cum poneret ex sanguinis detractione tres effectus, nempe exinanitionis, spoliationis, et dimotionis, ut loquebantur, primitus sequi, a quibus reliqui secundario profluerent. Nimirum ab imminuta humoris intra vasa circumeuntis copia, et vacuo in iisdem relicto, a maiori quantitate rubrae partis, quo ad caeteras sanguinem componentes, detracta, atque a dimotis, et ad circuitum expeditis prius haerentibus, impactisque humoribus ea hypothesis repetebat illos omnes derivationis, revulsionis, rarescentiae, refrigerii, imminutae cohaesionis, ac mutatae directionis effectus, qui secundarii vocabantur.

1986. Satius porro, hisce reiectis, ducunt Therapeutae illa animadvertere, quae ex moderata sanguinis detractione phaenomena evidentius, et generatim apparent, ut ipsius ma-

gis proprios, ac constantes effectus assequantur. Observant idcirco ex ea, humorum, qui in gyrum feruntur, quantitatem imminui, vasa laxari, horum, et cordis, musculorumque vires plus, minusve infringi, et motus retardari, calorem compesci, et stimuli actionem retundi: unde totum corpus ea commoda experiatur, quae ei morbo detento ex imminutione sanguinis, virium vitalium, et motus, ex retuso, aut sublato dolore, atque ex evidenti refrigerio, et aliqua partium relaxatione possunt accedere. „ Quod si (dicam cum Cel. „ GREGORYO (*a*)) interdum pulsus post san„ guinem detractum pleniores, validiores, fre„ quentiores fiunt, sanguinisque impetus plane „ augetur, et corpus firmari, et vires eius re„ fici, et expediri videntur, hoc non dubie „ tribuendum erit sublato per exinanitionem „ tanto sanguinis oneri, et moli, quantum et „ arterias plus aequo distenderet, earumque „ vires opprimeret, et totum corpus gravaret.

1987. Ab adductis porro effectibus, quibus, animadvertente apposite eodem GREGORYO, illi plane respondent, qui ipso actu, quo ex incisa vena sanguis effluit, se exerunt, expeditissimum est cuique rationes, experientia etiam evictas, perspicere, quae non minus a morborum naturis, et caussis, quam ab aegrorum proprietatibus petitae idoneos, prudentesque Artifices iamdiu adduxerunt ad San-

---

(*a*) Op. cit. n. 1576.

guinis missionem in medicina facienda tum improbandam, tum admittendam. Quandoquidem singula afferre, quae eius usum vel excludunt, vel limitant, vel requirunt, haud possunt, quin omnium morborum non genera solum, verum etiam species, varietates, et differentiae, quas infinitae propemodum caussarum, aegrorumque dissimilitudines intulerint, singillatim rimentur. Quod sane ad nos non pertinet, quibus iam nimiae exceptiones occurrunt etiam in iis, quae de prohibentibus, aut indicantibus Sanguinis missionem in generali Therapeutices doctrina tradi solent.

1988. Recte quidem traditur Sanguinis missionem generatim non convenire infantibus, et senibus, languidis, emaciatis, et phthisicis, pravo victus genere usis, et diutino morbo detentis; contrariam esse laxo, aut pravo corporis habitu praeditis, mobilibus, convulsioni obnoxiis, hyppocondriacis, hystericis, et melancholicis; nocere paralyticis, podagricis, cachecticis, hydropicis, haemorrhagiam, aut crysim iam passis, aut iis, quibus exanthemata erumpunt; tum perniciosam esse aegris, qui lentis, et diutinis febribus detinentur, aut iis maxime laborant, quas nervosas, et putridas vocant, qui scorbuto, aliave aegritudine ad corrumpendos humores, viresque absumendas aptissima implicantur, quique gangraena corripiuntur. Sed in istis etiam quo ad aetatem, quo ad corporis habitum, quo ad morbi tempus, diuturnitatem, caussam, et naturam nihil est tam perpetuum, quod inter-

dum Sanguinis missionem non ferat, aut omnino requirat. Hinc nec novum, nec rarum est (ne de caeteris dicam) sive in hydrope, sive in gangraena incipiente sanguinem utilissime mitti. Quod quidem ex dissimilium caussarum, et rerum scita consideratione interdum proficuum, aut necessarium quemque iam monet, ut perpetuo inspiciat, quae vires sint, easque ita aestimet, ut colligat possit nec ne vel superesse, vel etiam excedere, quod sanguinis detractionem sustineat, aut prorsus exigat.

1989. Quin imo ipsa quoque Sanguinis missio tunc etiam, cum ex aegri aetate, vitae ratione, et natura, itemque ex morbi genere, et caussa indicari videtur, iis exceptionibus obnoxia interdum est, quae eam celebrari vel cautissime iubeant, vel omnino prohibeant. Quare Therapeutae optimo quidem iure generatim perhibent nullum esse sanguinis detractione praesentius auxilium sive curationis, sive praeservationis caussa, in viscerum, et glandularum, aliarumque partium inflammatione, in maioribus vulneribus, contusionibus, luxationibusque, in haemorragiis, quas activas vocant, in vehementibus febribus continuis, praesertim magno aestu stipatis, atque inflammationem minitantibus, in quibusdam capitis morbis, ac speciatim apoplexia, mania, delirio, lethargo, epilepsia, et cephalalgia, in organicis praecordiorum vitiis, in congestionibus, atque in magnis doloribus; probe tamen animadvertunt in hisce quoque aegritudinibus interdum alienum, interdum nocuum

esse sanguinem mittere. Eos quippe non latet huius detractioni adversari modo propriam aegri naturam, modo singularem inflammationis indolem, modo aegritudinis complicationem, modo caussae rationem, modo morbi tempus, aut peculiare ex epidemica constitutione eius genium, modo maius post breve levamen symptomatum futurum detrimentum, ac modo eiusmodi alia, quae sine periculo, aut damno, aut saltem sine utilitate sanguinem detrahi non posse significent.

1990. Quae eo pluris adhuc facienda sunt cum constet neque omnem plenitudinem, aut inflammationem, Sanguinis missionem desiderare, neque omnem eius impetum in aliquam partem id unum auxilium requirere, neque sanguinis detrahendi necessitatem e pulsibus satis erui, neque levia esse mala, quae ex intempestiva, aut liberaliori, aut temere repetita, aut frequenti Sanguinis detractione ob infirmatas totius corporis vires proveniunt. Vis enim corporis fracta omnes functiones adeo perturbat, et laedit, ut ad pristinum ordinem restitui nec facile, nec cito unquam possint; imo interdum eadem vis ex magna, et subita sanguinis effusione protinus exhausta, abnormes convulsiones, syncopes, distentionesque nervorum vel accersit, quae aegrum in vitae discrimen coniiciant, vel eum exanimat. Quare perpetuo magna cura adhibenda est, ne Artificis negligentia optimum per se auxilium unquam evadat tam ancipitis usus.

1991. Ad id autem plurimum conferunt et modus, quo sanguis detrahitur, et locus, e quo emittitur, et eius quantitas, ac tempus, quo educitur, et alia eiusmodi, ad quae speciatim expendenda accedo, ut primum tamen dicam de venae Sectione, seu Phlebotome, quae omnium rationum usitatior ad maiores quoque, utilioresque effectus generatim afferendos aptior censetur. Nam Sectio arteriae seu Arteriotome, quae alias crebri usus erat, cum haberetur in universum venae incisione aeque proficua, atque in morbis quibusdam multo praestantior, hodie perraro ob varias caussas instituitur. Observant siquidem Therapeutae, praeter arteriae temporalis ramum aliquem, qui nec difficulter, nec periculose inciditur, reliquas arterias, ob difficultatem idoneae compressionis instituendae ex eo natum, quod ossibus non incumbant, aut non satis pateant, nec tute, nec sine lethalis haemorrhagiae metu, nec sine futuri aneurismatis periculo generatim incidi. Item animadvertunt in temporibus etiam celebratam ideo plerumque minus expedire, quia aeger facile ex ea animo linquitur, effluitque interdum minus sanguinis, quam oporteat, aut contra nimium eius erumpit antequam vulnus, labiis invicem adductis, potuerit occludi, ac tribus saltem spleniis impositis, et solari fascia dein firmatis comprimi, donec orta cicatrix confirmetur. Denique monent insigne commodum, quod nonnulli sibi pollicentur, et attulisse speciatim dicunt, Arteriotomen in apoplexia sanguinea, et morbis

oculorum, longe minori molestia compensari iugularium venarum sectione, admotisve prope oculos, aut pone aures hirudinibus; quamvis caeterum non denegent in graviori casu, aut caeteris auxiliis reluctato ei locum esse.

1992. Vena e contrario ad Phlebotomen celebrandam facile, et tuto in variis corporis locis inciditur, ubi scalpellus neque timide, neque audacter nimis, sed caute ita demittatur, ut nec summam tantum cutem laceret, nec sectioni oppositum venae parietem vulneret, nec, si praesertim in brachio, ut communiter fit, vena secetur, sive arteriam, sive nervum, sive tendinem, sive eius aponeurosim, sive periosteum sauciet: unde sequantur plura, et gravia admodum mala, quorum origines, signa, exitus, et curationes Chirurghi expendunt. Sicuti vero praeter venas ad brachia, pedes, et manus pertinentes et inciduntur interdum iugulares, sublinguales, frontalis, atque aliae in variis corporis partibus conspicuae, et eo uberius, ac vehementius effluit sanguis, quo e maiori vase, ampliorique vulnere erumpit, et potest eius plurimum interdum detrahi prius quam nausea, virium imbecillitas, animi deliquium, aut convulsio superveniant: quaerunt Therapeutae num de opportuniori detractionis loco, de sectionis modo, ac de quantitate sanguinis emittendi quaedam generatim regulae tuto queant constitui.

1993. Profecto paratissimum videtur iisdem respondere. Nimirum circa sanguinis

quantitatem perhibent Clinici in universum oportere eum ad uncias mittere, non ad libras, ac repetitis potius venae sectionibus detrahere, quam una vice ad animi deliquium effundere. Ita quidem, ut docentes ad duodecim, aut octodecim circiter uncias simul et semel in gravioribus morbis a plethora, ab aggesto alicubi sanguine, aut inflammatione recte emitti, moneant nihilominus tunc non minus morbi naturae, et caussae, quam aegri proprietatibus respiciendum esse; quin imo nonnisi artis usu, et prudentia praestantiori Medico permittendum, ut quorundam more, (ubi res magnopere urgeat, aut speciatim requirat) ex sectis in utroque brachio venis eodem tempore sanguis ubertim effundatur. Circa alterum vero sectionis modum proxime respiciens in eo omnes consentiunt, ut tradant in iis, qui mobiles sunt, animo facile liquuntur, copiosa detractione non indigent, vix ad doloris, aut morbi mitigationem, eius aliquid mitti permittunt, ac viribus non valent, minus amplum vas recte eligi, et minori inflicto vulnere apte pertundi; tum contrarium emissionis genus exequendum esse in caeteris, quibus expedit Phlebotome, ut nocua copia subtrahatur, valida inflammatio curetur, ac abnormis humorum impetus aliorsum prompte avocetur, ac vires vitales nimis auctae, suoque excessu nimios inferentes motus protinus infringantur.

1994. Quo in casu illud etiam boni provenire quidam Medicorum animadvertunt, ut ex recepti a vasis profundioribus sanguinis

inspectione coniecturae utiliter eruantur. Non enim ob varias caussas, quae fluentem, aut vitreo vase exceptum sanguinem queunt immutare, eiusdem emissi observationem tam parvi faciunt, ut cum ei uni generatim non credant, (sicuti pulsuum rationi tantum credere utpote fallacissimae rei haud decet) velint tamquam supervacaneam reiicere. Quandoquidem quae ex eiusdem sanguinis viscositate, et densitate, cita, aut tarda concretione, uniformi natura, exigua, aut nulla seri separatione, varia eius ratione ad crassamentum, huius tenacitate, aut superinducti veluti corii densitate, duritie, et mole, a firma vitri lateribus adhaesione, vel ab ipsius sanguinis insigni tenuitate, et solutione praesto sunt indicia, si coniunctim cum caeteris sumantur, utilitate non carent. Quin imo maiorem adhuc lucem detracti sanguinis ingratus halitus, et color adeo mutatus, ut flavus, albus, plumbeus, lividus, aut viridis appareat, afferre posse censentur.

1995. Quo ad locum, e quo utilius sanguis mittatur, observationem revera adhibendam esse ii etiam Medicorum concedunt, qui ab omni derivationis, et revulsionis doctrina alienissimi sunt. Experientia quippe docti vel ipsi tradunt non ex quolibet loco aeque utiliter, (si excipiatur casus, qui uno imminutionis fine Phlebotomen postulet) sanguinem mitti cum saepe observaverint in morbis pectoris inflammatoriis e brachio, quod lateri magis laboranti respondet, aut in capitis inflammationibus, aliisque gravioribus eius morbis ex

iugularibus venis detractum sanguinem magis profuisse. Hinc quemque suadeo, ut ab iis, qui singularium morborum curationes, in quibus Sanguinis missio proficit, ex instituto prosequuntur, probe discat, quae speciatim loca in quavis aegritudine ad eius utiliorem detractionem eligenda sint, cum haec singillatim indicare ad specialem Therapeuticen pertineat.

1996. Interea non erit alienum subiungere quae generatim ratio in eo emittendo sequenda sit cum adest inflammatio, cui potissimum, communiterque eo toties opportune detracto, quoties revera expedire videatur, praesentissime subvenimus. Porro scire expedit in hoc morbi genere non unam esse Medicis sententiam, quoniam alii secandas primum venas remotiores ab affecta parte volunt, ut aliorsum sanguis utiliter avocetur, facta revulsione; alii vero loco, cui morbus insideat, venas propiores reserandas iubent, ut ex ipsa inflammationis sede sanguis prodeat, praestita tunc derivatione.

1997. Verum et rarissime hoc modo veram derivationem effici, nec eadem vere opus esse, et revulsionem, ubi vigeat inflammatio, semper convenire, eamque eo maiorem obtineri, quo propiores venae, nec cum inflammatis arteriis continuae secentur, et remotas tunc rectius venas primum incidi, ubi nondum morbus invaluit, aut summa vasorum plenitudo una occurrit, sapienter observat immortalis Praeceptor BURSERIUS, qui praeterea apposite

subdit (*a*). „ Quamquam vero revulsioni pri-
„ mum locum demus, et plerumque eam quo-
„ que sanguinis missionem revellere, quae pro-
„ xime e loco affecto evacuationem praestat,
„ credamus: non tamen ii sumus, qui omnem
„ derivationem nunquam possibilem, aut sem-
„ per supervacaneam iudicemus. Namque im-
„ minuta sanguinis copia, avocatoque aliorsum
„ eius impetu, si nihilominus inflammationis
„ effecta persistant, cur non erit derivatio ten-
„ tanda, ut effusus sanguis, aut errore loci
„ evagatus in propria vasa revocetur, aut con-
„ gestus, haerensque loco dimoveatur?

1998. Derivationi vero, quam Phlebo-tome ob inflammationis sedem praestare ne-queat, iamdudum noverunt Medici inservire tum Scarificationem, tum Hirudinum suctio-nem, duplicem, ut dixi, modum, quo sanguis quoque detrahitur. Illa quippe cum proxime, et protinus vasa, in quae instituitur, ab humore haerente impactoque liberet, ad inflammationes, praesertim non recentes, tonsillarum, linguae et palpebrarum discutiendas summopere valet. Quae praeterea Scarificatio quando aliis in ca-sibus post impositas prius Cucurbitulas iis lo-cis, quibus apte admoveri alibi monui (§. 1949.), easque vix evulsas absolvitur, tunc pariter utilissima existit. Nam praeter com-modum profluens ex humorum affluxu ad

par

(*a*) Instit. Med. Pract. Vol. I. De Inflamm. Com-ment. pag. 37. et seq.

partem, quae cucurbitulae subiacet, et scarificata est, et avocatione a caeteris, maximeque a proximis, quod partim ab ignis vi, partim ab ipsa incisione deducitur, aliae ex eiusmodi detractionis modo utilitates promanant. Non solum enim Cucurbitulae scarificatae venae sectionis vices gerunt, praesertim ubi illius incisio difficillima est, aut ei voluntas aegri invicte repugnat; verum etiam huic interdum anteponuntur ubi oporteat curare, ne vires admodum frangantur, vel expediat nocuum, aut venenatum in cute adhuc haerentem humorem protinus exhaurire.

1999. Hirudines autem cuti admotae, et fere ubique, cum eadem praestent, quae Scarificatio efficit, imo plus extrahant, atque evacuent, (exprimantque tanta etiam copia ubi plures numero admovantur, ut venae sectioni non cedant), tum generalis, tum specialis exinanitionis caussa solent probari. Usu nihilominus venit, ut potissimum adhibeantur ubi oporteat exigua Sanguinis missione symptomata morbi mitigare, aut dolores exteriorem partem excruciantes compescere, aut externas inflammationes discutere, ne caetera dicam. Ob evidentem enim caussam maxime conducunt provide admotae in morbis iecinoris, in tumoribus haemorrhoidarum, aut malis ex earum fluxu cohibito profectis, ac demum in menstruorum, aut catameniorum suppressione, cui emissus sanguis opituletur.

2000. Sed quicumque sit modus, quo sanguis detrahitur, oportet sedulo curare, ut

huic rei aptissimum tempus ex aegri, et morbi ratione eligatur; quin tamen verum sit, quod Veteres existimarunt, nunquam utile esse post quartum aegritudinis diem eum mittere. Non enim adhuc hoc ipso spatio, ut putavit CELSUS (a), tam perpetuo materia et exhausta est, et corpus corrupit, ut detractio imbecillum id facere possit, non possit integrum. Etenim nimis saepe stimuli vis, morbi impetus, et cruditas materiae corpus adhuc affligunt, aut postmodum retrudescunt, quae sanguinem postulent, ut solum adversae valetudinis dies secundus, aut tertius sanguini detrahendo idoneus debeat iudicari. Atque id quidem tam perpetuo animadvertendum est, ut praecipua tamen ars in eo sit, ne aut plus sanguinis, aut minus, quam oporteat, unquam detrahatur. Scimus enim, rem concludam cum CELSO, ubi male sanguis mittitur, emori vim, si qua supererat, hoc modo ereptam, nec posse vehementi malo, nisi aeque vehemens auxilium succurere.

(a) Op. cit. Lib. II. 72.

INDEX GENERALIS RERUM

Numeri Romani indicant Volumen, Arabici paginam.

INDEX ALPHABETICUS

Quo ad systematica genera, et species revocatae exhibentur praecipuae res ad Alimenta, et Medicamenta pertinentes cum earum nominibus Italicis, et subinde vernaculis.

Parentesi indicat nomen italicum, Litt. v. vernaculum

Ammi maius
Ammi vulgare
(Ammi
Ammoniacae
Alkali volatile
(Alcali volatile caustico, o Ammoniaca
diluta
Spiritus Sal. Am.
(Sp. di sale Ammoniaco
carbonas
Alk. volat. aereat.
(Carbonato d'ammoniaca
Ammonia calis acetis
Spiritus Mindereri
(Spirito del Minderero, o Acetato ammoniacale
succinas C. Cervi
Liquor C. C. succinatus
(Liq. di C. C. succinato o Succinato ammoniacale
sapo
Linimentum volatile
(Linim. volat. o Sapone ammoniacale
Amomum cardamomum
Cardamomum
(Cardamomo
granum Paradisi
Grana Paradisi
(Cardamomo maggiore
zingiber
Zingiber
(Zenzero, o Zenzovero
Amygdali communis dulcis amarae nuclei
Amygdalae dulces, vel amarae
(Mandorle dolci, o amare
persicae mala
Mala persica
(Pesche v. Persici
Amyris opobalsamum
Balsamum de Mecha
(Opobalsamo, o Balsamo della Mecca
Anas cycnus
Cygnus
(Cigno
anser
Anser
(Oca, e Papero
moschata
Anser indicus
(Anitra cairina, o indiana
boschas domestica
Anas domestica
(Anitra domestica
fera
Anas sylvestris
(Anitra salvatica

acuta, et clangula
(Codalunga, e Quattrocchio
crecca, et clypeata
(Garganello, e Mestolone

Anagallis arvensis
Anagallis
(Anagallide maschio

Angelica archangelica
Angelica sativa
(Angelica domest.

Anchusa officinalis
Buglossum
(Buglossa

Anethum graveolens
Anethum
(Aneto
foeniculum
Foeniculum maius, et minus
(Finocchio forte, e dolce

Anemone pratensis
Pulsatilla nigricans
(Pulsatilla nericante

Anthemis foetida
Cotula foetida
(Antemide fetida
nobilis
Chamomilla Romana
(Camomilla Romana
pyrethrum
Pyrethrum
(Pilatro, o Piretro

Andropogon schaenantus
Iuncus odoratus
(Giunco odoroso
nardus
Nardus indica
(Nardo indica

Antirrhinum linaria
Linaria
(Linaria

Aper sylvester
Aper
(Cinghiale

Apium petrosellinum
Petroselinum
(Prezzemolo
graveolens
Apium
(Selleri, o Sedano

Apis mellifica
Apis, Mel, Cera
(Pecchia, Mele, e Cera

Aquae acidulae calidae
Aquae acidul. thermales
(Acque acidule calde
acidulae frigidae
Aquae acidulae
(Acque acidule
salinae sulphuricae
Aquae salinosulphuratae
(Acque solfuree salse
salinae muriaticae
Aquae salitae marinae
(Acque salsugginose, o salso-marine
sulphurosae simpliees
Aqueae sulphureae
(Acque zolforose

sulphureo gazosae
Aquae hepaticae
(Acque solforose gasose
ferrugineae timplices
Aquae martiales
(Acque ferrigne
ferrugineae acidulae
Aquae acidomartiales
(Acque ferrigne acidule
ferrugineae sulfurosae
Aq. hepatico martiales
(Acq. ferrigne solforose

Aranea domestica
Aranearum telae
(Ragnatelle

Arbutus uva ursi
Uva ursi
(Uva orsina

Arctium lappa
Bardana
(Bardana

Aristolochia serpentaria
Serpentaria virginiana
(Serpentaria di Virginia
rotunda
Aristolochia rotunda
(Aristolochia rotonda
lunga
Aristolochia longa
(Aristolochia lunga
clematitis
Aristolochia vulgaris
(Aristol. volgare
pistolochia, trilobata, anguicida
Pistolochia, Aristolochia trilobata, e anguicida

Arundo phragmites
Arundo palustris
(Canna palustre
donax
Arundo montana
(Canna montana

Argenti nitras fusus
Lapis infernalis
(Pietra infernale

Arnica montana
Arnica
(Arnica

Argilla cretosa alba
Bolus alba
(Bolo bianco
cretosa lutea
Bolus citrina
(Bollo giallo
cum oxydo ferri
Bolus armena
(Bolarmeno

Artemisia vulgaris
Artemisia
(Artemisia
abrotanum
Abrotanum
(Abrotano maschio
abtynthium
Absynthium
(Assenzio

pontica
Absynthium ponticum
(Assenzio romano, o pontico
iudaica
Santonicum, vel Cina
(Seme santo, e Semenzina
rupestris, et glacialis
Genepi album, et nigrum
Arum maculatum
Arum
(Aro
Ardea maior
Ardea cinerea
(Ardea maggiore
garzetta
Ardea
(Airone
stellaris
Ardea stellaria
(Tarabuso, o Trombone
grisea
Ardea grisea
(Ardea grigia
purpurea
Ardea purpurea
(Garza ranivora
grus
Grus
(Grù, o Grua
ciconia
Ciconia
(Cicogna
Asclepias vincetoxicum
Vincetoxicum
(Vincetossico
Astragalus tragacantha
Tragacanthi gummi
(Gomma dragante
Asperula odorata
Matrisylva
(Asperella
Asplenium hemionitis
Hemionitis
(Emionite
scolopennrium
Lingua cervina
(Lingua cervina
adiantum
Adiantum nigrum
(Adianto nero
ceterach
Ceterach
(Cetrach
trichomanes
Adiantum rubrum
(Adianto rosso
ruta muraria
Ruta muraria
(Ruta muraria
Asparagus officinalis
Asparagus
Asparago, o Sparagio
Asarum europeum
Asarum
(Asaro
Atropa belladonna
Belladonna
(Belladonna

mandragora
Mandragora
(Mandragola
Athamanta oreoselinum
Oreoselinum
(Oreoselino
cretensis
Daucus creticus
(Dauco cretico
Atriplex hortensis
Atriplex
(Atreplice
Avena sativa
Avena
(Avena, o Vena
Auri oxydum ammon.
Aurum fulminans
(Oro fulminante

Barytis sulphas
Terra ponderosa, vel Baryta
(Terra pesante, o Barite
murias
Barytis muriatus
(Muriato di Barite
Bellis perennis
Bellis minor
(Margheritina
Beta cicla
Beta alba
(Bietola, o Bieta
vulgaris
Beta rubra
(Bieta romana, e Bietarapa

Betonica officinalis
Betonica
(Bettonica
Betula alba
Betula
(Betulla
alnus
Alnus
(Ontano, o Alno
Berberis vulgaris
Berberis
(Crespino
Bitumen asphaltum
Bitumen iudaicum
(Aspalto, o Asfalto
petroleum
Petroleum
(Olio di sasso
distillatum
Naphtha
(Nafta
Bismuthi oxydum alb. ex nitr. acid.
Bismuthi magisterium
(Magistero di Bismuto, Ossido bianco di Bismuto per l'acido nitr.
Bixa orleana
Terra orleana
(v. Terra oriana
Borrago officinalis
Borrago
(Borraggine
Boletus laricis
Agaricus albus
(Agarico
igniarius
Fungus igniarius
(Esca, Fungo prep.

Boras supersatur. soda
Borax veneta
(Borace
mercurialis
Sal sedativum mercuriale
(Sale sedativo di Morveau
Boracicum acidum subl.
Sal sedativum
(Sale sedativo
Bos taurus
Taurus, Vacca, Bos, Iuvencus, Vitulus
(Toro, Bue, Manzo, e Vitello
Brassica capitata
Brassica capitata alba
(Cavolo capuccio
viridis, alba, et sabauda
(Verzotto, e Cavolo bianco v. Verza
rubra
Brassica rubra
(Cavolo paonazzo
brocoli
Brassica italica, vel Cyma
(Broccolo
botrytis
Brassica pompeiana vel Cauliflora
(Cavolo fiore
napo brassica
Napobrassica
(Cavolorapa
eruca
Eruca
(Ruchetta, v. Ricola
napi
Napus sativ., et sylv.
(Navone, e Ravizzone
rapa
Rapa
(Rapa
Bryonia alba
Bryonia
(Brionia
Bromelia ananas
Ananas
(Ananasso
Bupleurum rotundifolium
Perfoliata
(Bupleuro
Buxus sempervirens
Buxus
(Busso
Bubon galbanum
Galbanum gummi
(Galbano
macedonicum
Petroselinum macedonicum
(Prezzemolo macedonico

Cactus opuntia
Opuntia
(Fico d' India, Opunzia,
Camphorosma monspeliensis
Camphorata
(Canforata

Campanula rapunculus
Rapunculus
(Raperonzolo
Calcis murias
Sal marin. calcar.
(Muriato di calce
carbonas
Alabastrum, et Stalachtitis
(Alabastro, e Stalatite
aqua
Aqua calcis
(Acqua di calce
Canella alba
Canellae albae cortex
(Corteccia Vinterana spuria
Cancer astacus
Cancer fluviatilis
(Gambero d' acqua dolce
gummarus, et homarus
Cancer marinus
(Gambero marino, e Aragosta
Canis familiaris
Canis
(Cane
vulpis
(Volpe
Cannabis sativa
Cannabis
(Canapa
Capra rupricapra
Rupicapra
(Camozza
bezoartica
Bezoar
(Pietra bezoartica, o Bezoar
hircus
Hircus, Capra, haedus
(Becco, Capra, e Cavretto
Capparis spinosa
Capparis
(Cappero, o Capparo
Carlina acaulis
Cardopatia
(Carlina
Caprimulgus europaeus
Caprimulgus
(Calcabotto, v. Succiacapre
Capsicum annuum
Capsicum
(Pepe d' india, v. Peperone
Carex arenaria
Carex
(Carice
Carthamus tinctorius
Carthamus
(Carthamo, o Zafferano salvatico
Cardamine pratensis
Cardamine
(v. Cardamina
Carduus marianus
Carduus mariae
(Cardo di S. Maria
eriophorus spurius

Carabus cryssocephalus
ferrugineus
Insecta antiodontalgica
(Insetti antiodontalgici
Caryophillus aromaticus
Caryophillus
(Garofano
Carum carvi
Carvi
(Carvi, o Comino Tedesco
Castor fiber
Castoreum
(Castoreo
Cassia fistula
Cassiae fistulae siliqua, et Pulpa
(Cassia in Baccellì, v. in canna
(Polpa di cassia
senna
Senna Orient. et Ital.
(Sena Alessandrina, e Italica
Ceratonia siliqua
Siliquae dulc. fruct.
(Carruba
Centaurea cyanus
Cyanus minor
(Ciano minore
montana
Cyanus maior
(Ciano maggiore
iacea
Iacea
(Iacea
calcitrapa
Carduus stellatus
(Cardo stellato
benedicta
Carduus benedict.
(Cardo bene letto, o santo
Certhia familiaris
Certhia
(Rampeghino
Cervus alces
Alcis ungula
(Unghia d' Alce, o della Gran bestia
capreolus
Capreolus
(Cavriolo
elephas
Cervus, et Cornu C. rasur. sal. ol. spir.
(Cervio, Corno raspato, e sale, olio e spirito di Corno di Cervio
Cherophillum sylvestre
Cicutaria
(Cicutaria
Chenopodium bonus Henricus
Bonus Henricus
(Spinace s lvatico
vulvaria
Atriplex foetida
(Vulvaria
botrytis
Botrys
(Botri

Chelidonium maius
Chelidonium maius
(Celidonia
Charadius pluvialis
Avis pluvialis
(Piviere
oedicnemus
Avis pluvialis maior
(Gran piviere
Chordia myxa
Sebesten fructus
(Sebesteni
Cicer arietinum
Ciceris legumen
(Cece
Cichorium endivia
Endivia
(Endivia, o Indivia
intybus
Cichoreum
(Gicoria, o Radicchio
Cicuta virosa
Cicuta aquatica
(Cicuta acquatica
Citinus hypocistis
Hypocistidis succus
(Ipocistide, e Ipocisto
Cistus creticus
Ladanum
Ladano
Cinchona officinalis
Chinaechinae cortex
(Chinachina

Citrus medica
Citrus limonia
(Cedro, Limone, Mela Rosa, Bergamotta, ec.
aurantia
Aurantium, Cortex, Aq. flor. seu Napha
(Arancio, scorza d'Arancio, e acq. Lansa
Clavaria coralloides
Coraloides
(Ditola v. Manette o Ditelle
Clematis recta
Flammula iovis
(Flammola di Giove
vitalba
Helleborus foetidus
(Elleboro fetido
Clupea sprattus
Clupea
(Sardella
encrasiculus
Alec
(Acciuga
harengus
Harengus
(Aringa
Coffea arabica
Coffea
(Caffè
Coccos butyracea, et nucifera
Coccos nuclei, et oleum
(Noccioli, e Olio di Cocco

Coluber berus
Vipera
(Vipera
milo
Smiroldus
(v. Smiroldo, o Milò
Coriandrum sativum
Coriandri semen
(Seme di Coriandolo
Cornus mascula
Cornus
(Cornio, o Corniolo
Corylus avellana
Avellana, et nuclei
(Avellana, e Nocciuòle
Convallaria poligonatum
Sigillum Salomonis
(Sigillo di Salomone
maialis
Lilium convallium
(Fiordaliso, o Mughetto
Colchicum autumnale
Colchicum
(Colchico
illiricum
Hermodactyli
(Ermodattili
Conferva helminthocorton
Helminthocorton
(Corallina Corsicana
Columba domestica
Columba
(Colombo, Piccione
oenas
Palumbus
(Colombo salvatico o Piccione torraiuolo
turtur, et risoria
Turtur
(Tortora comune, e Tortorella
Convolvulus ialappa
Ialappae radix, et resina
(Radice, e Resina di Sciarappa
scammonia
Scamonii gummi-resina
(Scamonea
turpethum
Turpethi radix
(Turbit
sepium
Convolvulus maior
(Convolvolo maggiore
soldanella
Soldanella
(Cavolo di mare
Cochlearia armoracea
Raphanus rustic.
(Peperella, o Barba forte
officinalis
Cochlearia
(Coclearia
Costus arabicus
Costus arabicus
(Costo arabico

Cocus ilicis
Grana Kermes
(Chermes , o Grana Kermes
cachti
Coccinella
(Cocciniglia
Conium maculatum
Cicuta officinalis
(Cicuta
Colymbus immer, urinator
(Sottacquino grosso, e picciolo
Corvus coron
Corvus
(Corvo
monedula
Monedula
(Taccola, Mulacc a
pica
Picca
(Gazza, Picca, o Berta
cornix
Cornix
(Cornacchia
glandarius
Pica glandaria
(Ghiandaja
caryocatactes
(Rompinoce
Copaifera officinalis
Copaive balsam.
(Balsamo Copaive
Cottus gobio
Gobius
(Ghiozzo
Cobitis barbatula
(v. Cobite barbatola

Colutea arborea
Colutea
(v. Colutea
Crocus officinalis
Crocus
Zafferano
Croton cascarilla
Cascarillae cortex
(Cascariglia
Crataegus azarolus
Crataegi fructus
(Lazzeruola , o Azzarola
Crysanthemum leucanthemum
Bellis maior
(Bellide maggiore
Cucurbita lagenaria
Cucurbita
(Cucuzza, o Zucca
citrullus
(Anguria, o Cocomero
Cucumis melo
Melo
(Melone o Popone
sativus
Cucumis sativus
(Cocomero vero v. Cetriolo
colocynthis
Colocynthis
(Coloquintida
Curcuma longa
Curcuma
(Curcuma, o Terra merita

Cuculus canorus
Cuculus
(Cuculo v. Cucco
Cupri oxyd. ammon.
Cuprum ammoniaeum
(Cupro ammoniacale
ammon. murias sub.
Ens veneris
(Ente di Venere
oxyd. viride
Aerugo cupri
(Verderame
huius oxymel
Unguentum Aegyptiacum
(Ung. Egiziaco
sulphas
Vitriolum coeruleum
(Vitriolo, o Solfato di rame
Cuminum ciminum
Cyminum
(Cimino domest.
Cupressus sempervirens
Cupressus
(Cipresso
Cuscuta europea
Cuscuta
(Cuscuta
epythymum
Epythymum
(Epitimo
Cynoglossum officinale
Cynoglossum
(Cinoglossa
Cyclamen europaeum
Arthanita
(Pan Porcino, o Ciclamino
Cynara scolymus
Cynara
(Carciofo
cardunculus
Cardunculus
(Cardone
Cynomorium coccineum
Fungus Melitensis
(Fungo di Malta
Cyprinus carpio
Carpo
(v. Carpena
tinca
Tinca
(Tinca
barbus
Barbus
(Barbio
rutilus, et leuciscus
(v. Pico, e Strigio
vairo, et agone
(v. Vairone, Agone
idus, capito, et albor
(v. Cavezzale, Cavedine, e Arborella

Daucus carota
Daucus sativ. et sylv.
(Carota, e Dauco sal. v. Bastonagia
Datura stramonium
Stramonium
(Stramonea

Delphinium staphisagria
Staphis agria
(Stafusaria
consolida
Consolida regalis
(Fior capuccio, o Spron da Cavaliere
Digitalis purpurea
Digitalis purpurea
(Digitale purpurea
lutea
Digitalis lutea
(Digitale lutea
Dictamnus albus
Fraxinella vel Dict. albus
Dittamo bianco
Dorstenia drakena
Contraierva
(Contraierva

Elephas maximus
Ebur, et Spodium
(Avorio raspato, e bruciato
Ether sulphuricus
Ether vitrioli
(Etere vetriolico, ora solforico
nitricus
Ether nitri
(Etere nitroso, o nitrico
muriaticus
Ether muriaticus
(Etere muriatico
aceticus
Ether aceti
(Etere acetoso, o acetico
alcoholizatus
Liq. anod. Mineralis
(Liquore anodino Min.
aquosus
Liq. anod. aquosus
(Liquore anod. Min. acquoso
Equisetum arvense
Equisetum minus
(Coda cavallina o Cauda equina
fluviatile
Equisetum maius
(Coda cavallina palustre
Emberiza hortulana
Miliaria
(Ortolano
citrinella
(Sivolo, o Squajardo
cia
(Zivolo de' prati
miliaria
(Strilozzo, o Predaro
Epidendrum vanilla
Vanillae siliqua
(Vaniglia
Equus caballus
Equus
(Cavallo
asinus
Asinus
(Asino

Erinaceus europaeus
Erinaceus
(Riccio
Eryngium campestre
Eryngium
(Iringo, o Caccatreppola
Erysimum officinale
Erysimum
(Erisamo
alliaria
Alliaria
(Alliaria
Ervum ervillia
Orobus
(Orobo
lens
Lens
(Lenticchia, o Lente
Esox lucius
Lucius
(Luccio
Eupatorium cannabinum
Eupatorium
(Eupatorio comune
Euphorbium officinarum
Euphorbii gummi-resina
(Eusorbio
latyris
Cataputia minor
(Catapuzza

Fagara octandra
Tachamachae gummi-resina
(Taccamacca

Fagus castanea
Castaneae fruct.
(Castagne
Falco melanaetus
Aquila
(Aquila comune
pygarus
Pygargus
(Falcone
milvus
Milvus
(Nibbio v. Pojana
gyrifalco
Falco
(Girifalco, o Gerefalco
buteo
Buteo
(Abuzzago v. Buzardo
palumbarius
Accipiter
(Sparviero
nisus
(Smeriglio, e Falchetto
tinnunculus
Tinnunculus
(Gheppio, Acertello, v. Gavinello
Festuca fluitans
Grana mannae
(v. Grana manna
Ferula ascafoetida
Assaefoetidae gummi resina
(Assa fetida
Fragaria vesca
Fragaria, et Fragae
(Fragaria, e Fragole v. Maggiostre

Felis catus
Felis
(Gatto
Ferri
Limatura
(Limatura di ferro
oxydum luteum
Robigo martis
(Ruggine di ferro
oxyd. nigrum
Eethiops martialis
(Etiope marziale
oxyd. carbonatum
Crocus martis
(Croco di marte
oxyd. Carb. fuscum
Crocus martis aperitivus
(Croco di mart. aperitivo
tartris cum potassa
Tinct. Mart. tart.
Globulus Martial.
(Tintura di ferro tartarizata, e
(Globo marziale
ammon. murias sub.
Ens martis, et
Flor. Sal. Amm. Mart.
(Ente di marte
(Fiori di Sale ammon. marziale
sulphas
Vitriolum viride, aut martis
(Vetrivolo verde, o Solfato di ferro

Ficus carica
Caricae fruct.
(Fichi
Formicae rufae
Formic. Acid., et Spir.
(Acido delle formiche, o formico puro, e alcoolizato
Fraxinus excelsior
Fraxinus
(Frassino
ornus
Manna Electa, et cannulata
(Manna scelta, e in cannoli
Fringilla coelebs
Fringilla
(Fringuello
spinus
Acanthis
(Lucherino
serinus
Fringilla viridis
(Verderino
linota
Linaria
(Fanello
montifringilla
Fringilla
(Montano
linaria
Linaria minor
(Fanellino v. Persichino
montana
Passer montanus
(Passera mattugina

Geum urbanum
Caryophyllata
(Gariofillata
rivale
Geum
(v. Geo
Glechoma hederacea
Hedera terrestris
(Ellera, o Edera terrestre
Globularia alypum
Alypum
(Alipio
Gladiolus communis
Gladiolus
(Ghiaggivolo
Glycyrrhiza glabra
Glycyrrhiza
(Regolizia, o Liquirizia
Gossypium herbaceum
Gossipium
(Bambagia, o Cotone
Gratiola officinalis
Gratiola
(Gratia Dei, v. Gratiola
Guaiacum officinale, et sanct.
Lignum sanctum, vel Guaiacum
(Legno santo, Guajacano, v. Guajaco
Guilandina moringa
Lignum nephriticum
Oleum Been
(Legno Palo, o Nefritico, e Olio di Ben
Gummi, vel gummi resinae ignot. gen. vel spec.
Ammoniacum
(Gomm' Ammoniaca, o Ammoniaco
Bdellium
(Bdelio
Carannae
(Caranna
Galda
(Gomma galda
Kikekunemalo
(Kikekunemalo
Kino
(Gomm' astringente, o Kino
Myrrhae, seu Myrrha
(Mirra
Sagapenum
(Sagapeno

Helix pomatia
Cochlea terrestris
(Chiocciola v. Lumaca
Herniaria glabra
Herniaria
(Erniaria
Helleborus foetidus
Helleborastrum
(Elleboro fetido
niger
Helleborus niger
(Elleboro nero

Hematoxylum campechense
Lignum campechense
(Legno Campece v. Campuzzo

Hibisus abelmoschus
Abelmoschi semina
(v. Grani moscati, o d' Abelmosco

Hirudo medicinalis
Hirudo, vel Sanguisuga
(Mignatta v. Sanguetta

Hirundo apus
Apus
(Rondone nero

riparia
Hirundo fluviatilis
(Dardanello acquatico

urbica
Hirundo urbica
(Dardanello

rustica
Hirundo
(Rondine

Hippopotamus amphibius
Hippopotami dens
(Dente d' Ippopotamo, o Caval marino

Holcus sorghum
Sorghum
(Olco, Saggina

Hordeum vulgare
Hordeum
(Orzo

Humulus lupulus
Lupulus
(Lupolo

Hyoxiamus niger
Hyosciamus
(Jusquiamo

Hyssopus officinalis
Hyssopus
(Issopo

Hydrargyrum
Mercurius
(Argento vivo, o Mercurio

gummosum
Mercur. gummos.
(Mercurio gommoso

saccharatum
Saccharum mercuriale
(Zuccaro mercuriale

Hydrargyri corros. murias
Mercur. sublim. corr.
(Mercur. sollimato

subl. dulc. murias
Mercurius dulcis, et Calomelanus
(Mercurio dolce, o Calomelano

alb. praecip. mur.
Merc. praecip. albus
(Precipitato bianco

nitras
Sal nitrosum merc.

(Sale nitroso mercuriale, o Nitrato di Mercurio
boras
Sal sedat. mercur.
(Sale sedativo, o Borate di mercurio
acetis
Mercurius acetatus
(Mercurio acetoso, o Acetato di merc.
tartris
Mercurius tartarisat.
(Mercur. tartarizato, o Tartrite di merc.
oxydum rub. ex acid. nitr
Mercur. praecip. rub.
(Praecipitato rosso
oxydum nigrum
Mercurius niger
(Precipitato nero
oxyd. praecip. viride
Merc. praecip. viridis
(Precipitato verde
oxyd. lut. ex acid. sulph.
Turpethum minerale
(Turpeto minerale
oxyd. ex igne rubrum
Mercurius praecip. per se
(Mercurio precip. per se
oxyd. ammoniacale
Merc. praecip. cinereus, vel solubilis
(Mercurio cinereo, e solubile
sulphuretum rubrum
Cinnabaris
(Cinnabro
sulphuretum nigrum
Aethiops mineral. sine igne
(Etiope minerale
sulph. oxyd. nigrum
Aethiops miner. ex igne
(Etiope minerale
stibiati sulphuretum
Aethiops antimonialis
(Etiope antimoniale

Hypericum perfoliatum
Hypericum
(Iperico, o Erba perforata

Iatropha curcas
Ricinus maior
(Ricino maggiore
elastica
Resina elastica
(Gomma, o Resina elastica

Ignatia amara
Faba S. Ignatii
(Fava di S. Ignatio

Illicium anisatum
Anisum stellatum
(Anicio stellato, o Badiano

Imperatoria ostruthium
Imperatoria
(Imperatoria

Inula helenium
Enula campana
(Enola, o Enula campana
dysenterica
Conyza media
(Coniza
Iris florentina
Iris florentina
(Iride Fiorenrina
germanica
Iris Germanica
(Iride Germanica
Isis nobilis
Coralium rubrum
(Corallo rosso
Iuglans regia
Iuglandis cortex, nuces, oleum
(Scorza, Noci, Ol. di Noce
Iunx torquilla
Iunx
(v. Torcicolo
Iuniperus lycia
Olibanum
(Incenso
sabina
Sabina
(Sabina baccifera
communis
Iuniperi lignum, baccae, resina, ol., vel butyr.
(Legno, Coccole, Resina, detta Sandracca, Olio, e burro di Ginepro

Kempheria rotunda, et *longa*
Zedoaria rotunda, et longa
(Zedoaria rotonda e lunga
Labri species
(v. Branzino?
(v. Gianchetto?
Lactuca sativa
Lactuca
(Lattuga
virosa
Lactuca sylvestris
(Lattuga salvatica
Lamium album
Archangelica
(Lamio, Galeopside, Ortica bianca
Laserpitium latifolium
Gentiana alba
(Genzianella
siler
Siler montanum
(Sesele montano
Lanio excubitor, et colurio
(Velia maggiore, e minore
Larus cinerarius
Larus
(Gabbiano, o Gabbianello
Lathyrus cicera
Lathyrus
(Cicherca
Laurus cinnamomum
Cinnamomi cortex
(Scorza di Cinnamomo, o di Cannella regina

Cassiae ligneae Cortex, et Flores
(Scorza, e Fiori di Cassia lignea
Pichuris nucl. e. ol.
cullilawan
Cullilavan
sassafras
Sassafras cortex, et lignum
(Scorza, e legno di Sassofrasso
nobilis
Lauri folia, baccae, et Ol. laurinum
(Foglie, e Orbacche di Alloro, o Lauro, e Ol. Laurino
camphora
Camphora
(Canfora

Lacerta agilis
Lacerta
(Lucertola
viridis
Lacerta viridis
(Ramarro

Lavendula spica
Lavendula
(Lavendula v. Lavanda

Leontodon taraxacum
Taraxacum
(Tarassaco, o Dente di Leone

Ledum palustre
Rosmarinus sylvestr.
(Ramerino salvatico

Lepidium sativum
Nasturtium hortense
(Nasturzio ortense

Lepus timidus
Lepus
(Lepre
cuniculus
Cuniculus
(Coniglio

Lichen islandicus
Lichen islandicus
(Lichene islandieo
caninus
Muscus caninus
(Mosco canino
pyxydatus
Pulmonaria arborea
(Polmonaria degl'alberi
saxatilis
Usnea
(Usnea

Ligna, et Cortices ignot. gen. vel spec.
Aloe lignum, seu Agallochum
('Legno Aloe
Angusturae cortex
(Angustura
Bela aye cortex
(Scorza di Bela aye
Poegerebae cortex
(Scorza di Poggereba

Ligusticum levisticum
Levisticum
(Levistico

Linum usitatissimum
Linum
(Lino
catharticum
Linum catharticum
(v. Lino salvatico, o catartico
Linnea borealis
Linnea
Lilium candidum
Lilium album
(Lirio
Limax ater
Limax terrestris
(Lumacone nero
rufus
Limax ruber
(Lumacone rossigno
Lolium temulentum
Lolium
(Loglio
Lobelia syphilitica
Lobelia syphilitica
(v. Lobelia antisifilitica
Lonicera diervilla
Diervilla
(v. Derviglia
Loxia curvirostra
(Becco in croce
chloris
(Verdone, o Amarotto
caccothraustes
(Frosone, o Frusone
pyrrula
(Ciuffolotto
Lucanus cervus
Scarabeus cornutus
(Cervo volante
Lumbricus terrestris
Lumbricus
(Lumbrico terrestre
Lupinus albus
Lupinus
(Lupino
Lycoperdon tuber
Tuber nigrum, et album
(Tartuffo nero, e bianco v. Triffola nera, e bianca
Lysimachia nummularia
Lysimachia
(Lisimachia volgare
Lythrum salicaria
Salicaria
(Lisimachia v. Salicaria

Malva rotundifolia
Malva
(Malva volgare
Matricaria chamomilla
Chamomilla
(Camomilla salvatica
parthenium
Matricaria
(Erba matricale, o Matricaria v. Crespola

Marubium vulgare
Marubium album
(Marrobio
Maranta galanga
Galanga
(Galanga
Madrepora oculata
Coralium album
(Corallo bianco
Malaleuca leucadendrum
Caieputi oleum
(v. Olio di Caje-
put
Magnesia
Magnesia alba cal-
cinata
(Magnesia
eius *carbonas*
Magnesia alba
(Magnesia bianca,
o Carbonato di
Magnesia
murias
Sal marin. magne-
siacum
(Muriato di Ma-
gnesia
sulphas depuratus
Sal amarum Epso-
mense
(Sale amaro, o
d' Epsom v. Sal
d' Inghilterra
Meloe vesicatoria
Cantharis
(Canterella v. Canta-
ride
maialis
Scarabeus maialis
proscarabeus
Proscarabeus
Melaeagris gallo pavo
Gallus indicus
(Gallo, Pollo, e
Gallina d' India
Melilotus officinalis
Melilotum
(Meliloto v. Tri-
bolo
Melissa officinalis
Melissa
(Melissa, Citraggi-
ne, o Cedronella
calamintha
Calamintha vulgaris
(Calamento
nepeta
Nepeta
(Nepitella
Menispermum cocculus
Cocculi indicae
nuces
(Coccole d' In-
dia
Mentha crispa
Mentha
(Menta crespa, o
riccia
pulegio
Pulegium
(Puleggio
piperita
Mentha piperitis
(Menta piperita

regulus
Regulus
(Fiorrancino
Luscinia
Luscinia
(Ussignuolo , o Rossignuolo
Mullus barbatus
Mullus barbatus
(Triglia
Mugil cephalus
Cephalus
(Muggine
Muscicapa atricapilla
(Aliuzzo nero
Muraena anguilla
Anguilla
(Anguilla
helena
Muraena
(Morena
Mustela vulgaris
Mustela
(Donnola v. Bennola
foina
Martes vulg.
(Faina, v. Fuino
lutra
Lutra
(Lontra v. Lodria
Mus porcellus
Porcellus indicus
(Porcellino d' India
Myagrum sativum
Myagri Sem. Oleum
(Seme, e Olio di Miagro
Myristica aromatica
Myristicae nux, et Macis
(Noce moscata, Macis
Myroxilum peruiferum
Balsamum Peruvianum
(Balsamo del Perù
Myrtus communis
Myrtus
(Mortella
caryophillata
Cassia caryophillata
(Canella garofolata
pimenta
Pimenta, vel Pip. Iamaicense
(v. Pepe della Giamaica, o Pimenta
Mytilus edulis
Mytilus
(Mitilo
margaritifera
Perlae
Matres perlarum
(Perle, Madreperle, o Conchiglie

Nerium antidysentericum
Nerium
(Nerio
Nepeta cataria
Nepeta cataria
(Nepeta gattaria, o Erba gatta

Nigella sativa
Nigella
(Nigella
Nicotiana tabacum
Nicotiana
(Erba regina, Tabacco
Numida meleagris
Meleagris, vel Avis numidica, aut africana
(Gallo, Gallina, e Pollo di Faraone

Ocimum basilicum
Basilicum
(Basilico
Olea fixa
Olea expressa
(Olj espressi, o fissi
Olara europaea
Olivae fruct. et Ol.
(Ulive, e Olio d'Uliva
Oniscus asellus
Millepedes, aut Aselli
(Millepiedi, Aselli, o Porcellini
Ononis spinosa, vel arvensis
Ononis
(Ononide
Onopordon acanthium
Carduus tomentosus
(Acanzia
Ophioglossum vulgatum
Lingua serpentis
(Lingua serpentina
serpentinum
Serpentinum lignum
(Legno serpentino
Oriolus galbula
Galbula avis
(Rigogolo v. Galbero
Origanum dictamnus
Dictamnus creticus
(Ditamo cretico
creticum
Origanum creticum
(Origano cretico
vulgare
Origanum vulgare
(Origano
maiorana
Maiorana
(Amaraco, o Erba persa v. Magiorana
Orchis mascula, et morio
Salep, et Satyrium
(Salep, e Testicolo di Cane
Oryza sativa
Oryza
(Riso
Osmunda lunaria
Lunaria
(Lunaria
regalis
Filix florida
(Osmunda reale
Ostrea edules
Ostrea
(Ostrica
Ovis aries
Aries, Pecora, Agnus
(Ariete, Pecora, Agnello

Oxalis acetosella
Acetosella, et Sal acetosellae
(Alleluja, Pancucula, v. Acetosella, Sale, o Acido ossalico

Panax quinquefolium
Ginseg
(Ginseg

Pancratium maritimum
Scilla parva
(Picciola Scilla

Papaver somniferum
Opium, et Papav. album
(Oppio, e Papav. domestico
rhoeas
Papaver erraticum
(Papavero salvatico, e Rosolacci

Pastinaca opoponax
Opoponax gummi-resina
(Opoponaco
sativa
Pastinaca
(Pastinaca domestica

Parus maior
(Parussola, o Paraciuola
coeruleus
(Parussola molinara
palustris
(Parussolina
atricapillus
(Parussolina civina
caudatus
(Scovazzino

Palma farinaria
Sagu grana
(Sagou, Sagù

Panicum italicum
Panicum
(Panico
miliaceum
Milium
(Miglio

Paris quadrifolia
Herba Paris
(Erba Paris

Parietaria officinalis
Parietaria
(Vetriola, o Parietaria

Pavo crissatus
Pavo
(Pavone

Penaea mucronata
Sarcocolla
(Sarcocolla

Peonia officinalis
Peónia
(Peonia

Peucedanum officinale
Peucedanum
(Peucedano

Perca fluviatilis
Perca
(Pesce persico comune
asper
Perca minor
(Pesce persico minore

Petromyzon fluviatilis
Lampetra maior
(Lampredone
branchialis
Lampetra
(Lampreda
Peziza auricula
Auricula iudae
(Fungo di Zambuco, Orecchio di Giuda
Phallus esculentus
Phallus
(v. Spongiola, o Spugniola
Phasianus gallus
Gallus gallinaceus, Gallina, et Capus
(Gallo, Gallina, e Cappone
colchicus
Phasianus
(Faggiano comune
Phaseolus vulgaris
Phaseolus
(Fagiuolo
Phalaena mori
Sericum crudum, et tostum
(Seta cruda, e tosta
Phellandrium aquaticum
Foeniculum aquaticum
(Finocch. palustre
Phoenis dactylifera
Dactyli
(Dattili, o Datteri

Physeter macrocephalus
Sperma ceti
(Spermaceti
Physalis alkekengi
Alkekengi
(Alkechengi
Phyllantus emblica
Mirobalani emblicae
(Mirabolani emblici
Picus viridis
Picus viridis
(Picchio verde
martius
Picus
(Picchio, o Culrosso
maior
Picus maior
(Gran Picchio
Pimpinella anisum
Anisum vulgare
(Anice
saxifraga
Pimpinella alba
(Sassifraga
Pisum sativum
Pisum
(Pisello v. Erbione
Piper nigrum
Piper nigrum
(Pepe tondo
longum
Piper longum
(Pepe lungo
cubeba
Cubeba
(Cubebe

Pistacia vera
Pistaceae nuclei
(Pistacchi
terebinthus
Terebinthina cypria
(Trementina di Cipro
lentiscus
Lentisci lignum, et Mastix
(Legno di Lentisco, e resina detta Mastice)
Pinus sylvestris
Pinus sylvestris, et Resina liquida, et solida
(Pino salvatico, e Resina liquida, e solida
pinea
Pinus sativa, et Pineae
(Pino domestico, e Pignoli, o Pinocchi
picea
Pinus picea, Pix, et Colophonia
(Picea, Pece, e Pece greca
larix
Larix, et Terebinthina
(Larice, e Trementina di Venezia
abies
Abies, thus, lacryma, et resina communis
(Abete, incenso, e lagrima d' Abete, e Resina comune

Plantago latifolia
Plantago maior
(Piantagine maggiore
lanceolata
Plantago minor
(Piantagine minore
psyllium
Psyllii semen
(Seme di Psilio
Pleuronectes rhombus
Rombus
(Rombo
solea
Solea
(Sfoglia
Plumbago europaea
Dentaria
(Dentaria
Plumbi acetis
Saccharum, aut Sal Saturni
(Zuccaro o Sale di Saturno
concentratum
Extractum Satur. Goulard.
(Estratto di Saturno
cum alum. aq. solut.
Lac virginale
(Latte virginale
oxydum semivitreum
Lythargirium
(Litargirio
oxyd. album
Cerussa
(Cerusa
oxyd. rubrum
Minium
(Minio

oxyd. ciner.
Calx cinerea Saturni
(Solforeto di Piombo

Polypodium vulgare
Polypodium
(Polipodio
filix mas
Filix mas
(Felce maschio

Polytrichum commune
Adiantum aureum
(Adianto aureo

Polyganum fagopyrum
Frumentum saracenicum
(Fromento saracinesco, o nero v. Frajna
bistorta
Bistorta
(v. Bistorta
hydropiper
Persicaria urens
(Persicaria urente
avicularis
Centumnodia
(v. Lingua di Passera

Polygala senega
Polygala Virginiana, aut Seneka
(Poligala di Virginia
vulgaris, et amara
Polygala vulgaris, et amara
(Poligala volgare, e amara

Portulaca oleracea
Portulaca
(Porcellana v. Portulaca

Potentilla anserina
Argentina
(Argentina
reptans
Pentaphyllum
(Cinquefolie

Poterium sanguisorba
Pimpinella rubra
(Salbastrella

Potassae acetis
Terra fol. Tartari
(Terra fogliata di Tart., o Tartrite di Potassa
carbonas
Sal alk. fix. veget.
(Carbonato di Potassa
carbonas liquid.
Oleum tartari
(Olio di tartaro
citras soluta
Mixtura Riverii
(Citrato di Potassa sciolto
nitras
Nitrum
(Nitro, o Nitrato di Potassa
prussias
Sapo prussicus
(Sapone Prussiano, o Prussiato di Poassa

sulphas
Sal. Polychrest, et Tartr. vitriol.
(Sale policresto, e Tartaro vitriolato
(Solfato di Potassa
tartris
Tartarus tartarisat. solub.
(Tartaro tartarizato solubile, o Tartrito di Potassa
tartris acidulus
Cremor tartari
(Cremore di Tartaro, o Tartrito acidulo di Potassa
Potassa fusa
Lapis causticus
(Pietra caustica
fluida
Lixiv. caust. alcalic. veg.
(Lissivio caustico
Populus nigra
Populus
(Pioppo
Primula veris
Primula veris
(Fior di Primavera
Prunella vulgaris
Prunella
(Prunella, o Laurentina
Prunus spinosa
Acacia germanica
(Pruno salvatico
domestica
Pruni fructus
(Prugne, e Susine
laurocerasus
Laurocerasus
(Lauroceraso
cerasus dulcis, et acid.
Cerasi dulcis, et acid. fructus
(Cirigie, Ciliegie, o Cerase, le Visciole, le Marchiane, le Agriotte, le Amarine ec. v. Cerese, Vissole, Graffioni, Marene, e Marenoni ec.
armeniaca
Mala Armeniaca
(Albicocche, e Meliache
(v. Arbicocchi, e Mognaghe
padus
Padi cortex
Pterocarpus draco
Sanguis draconis
(Sangue di Drago
santalinus
Santalum rubrum
(Santalo rosso
Pteris aquilina
Filix femina
(Felce femina
Pulmonaria maculata
Pulmonaria
(Polmonaria

Punica granatum
Mala Punica, vel Granata, Balaustria, et Malincornium
(Mele granate, fiori, e corteccia di Melograno, o Malicorio

Pyrus malum
Poma
(Mele dolci, Mele appie, appiuole, gialle, rosse, ec.
v. Pomi dolci, Appi, gialli, rossi ec.

communis
Pyra
(Pera, v. Peri

cydonia
Mala cotonea, aut cydonia, Cydoniorum Miva, et Conserva
(Mele cotogne, Miva di Cotogna, e Cotognato

Quassia amara
Quassia
(Quassia

simaruba
Simaruba
(Simaruba

Quarzum vitreum
Lapis lazuli
(Lapis lazzoli
Lapides pretiosi, vel Fragmenta
Granati
(di Granato
Hyacinthi
(di Giacinto
Sardi
(di Sardo
Smaragdi
(di Smeraldo
Sapphiri
(di Zaffiro

Quercus robur
Roboris cortex, et glandes
(Scorza di Rovere, e Ghiande

cerris Cynips
Gallae
(Galle di Turchia, e d'Istria

Radices ignot. gen., vel spec.
Radix Calagualae
(Calaguala
Cassumuniar
(Radice di Bengala, o Cassumuniar
Calumbae, vel Columbi
(Radice di Columbo
Lopeziana
(Radice di Lopez

Rana esculenta
Rana
(Rana, o Ranocchio

Ranunculus sceleratus, et acris
Ranunculus palustris, et pratensis
(Ranuncolo palustre, e campest.

Raja
Raja piscis
(Razza
Raphanus sativus
Raphanus sativus, niger, rotundus, radicula
(Ravanello, Radice, Ravano, Rafano, o Ramolaccio
Rallus crex
Crex
(Rè di Quaglie
aquaticus
Gallinula
(Gallinella, o Gallinella palustre
porzana
Gherardina
(Sutro, o Girardina
Ramnus catharticus
Spina cervina
(Spino Cervino
zizyphus
Iuiubae
(Giuggiole, o Zizzole, v. Zenzorini, o Zanzavarini
Rheum palmatum
Rhabarbarum
(Rabarbaro, Riobarbaro, o Rabarbero
Rhaponticum
(Rapontico, o Reupontico
Rhododendron crysanthemum
Rhododendron
(v. Rododendro
Rhus coriaria
Rhus coriaria, vel Sumach.
(Rhu, o Sommaceo
Ribes rubrum
Ribesii fructus
(Uva dei Frati
Ricinus communis
Ricini Sem. et Oleum
(Seme, e Olio di Ricino
Rosa gallica
Rosa rubra
(Rosa domestica, o Rosa di Provenza
sylvestris
Rosa sylvestris, vel Cynosbatos
(Rosa canina, Cynorrhodon, Cynosbaton, Rovo canino
centifolia
Rosa damascena
(Rosa damaseena
Rosmarinus officinalis
Rosmarinus
(Ramerino, o Rosmarino
Rubus idaeus
Rubi idaei fructus
(Lamponi, o frutti di Rovo ideo, v. Frambos
fruticosus
Rubi morae
(Frutti di Rovo, o More

Rubia tinctorum
Rubia tinctorum
(Rubia , o Robbia
Rumex acetosa
Acetósa
(Acetosa
alpinus, et patientia
Rhabarbarum Monachorum
(Rabarbaro alpino, o de' Monaci
acutus
Lapathum acutum
(Lapato, o Lapatio acuto, o Rombice
aquaticus
Hydrolapatum
(Idrolapato, o Romice acquatico
Ruscus aculeatus
Ruscus
(Brusco, o Pungi Topi
hypoglossum
Hypoglossum
(Bislingua, o Bonifacia
Ruta graveolens
Ruta
(Ruta

Saccharum officinale
Saccharum
(Zuccaro, o Zucchero
Salix alba
Salix vulgaris alba
(Salcio bianco
Salsola soda
Kali
(Erba cali, o Cali
Salmo salar
Salmo
(Salmone
trutta
Trocta
(Trotta nostrale
thymallus
(Temolo
lacustris
(Trotta Svizzera
carpio, et umbla
(Carpioni del Lago di Garda
Sambucus nigra
Sambucus
(Sambuco
ebulus
Ebulus
(Ebulo
Santalum album
Santalum album, et citrinum
(Santalo bianco, e giallegiante
Santolina chamaecyparissus
Abrotanum femin.
(Abrotano femina
Sanicula europaea
Sanicula
(Sanicola
Saponaria officinalis
Saponaria
(Saponaria
Salvia officinalis
Salvia
(Salvia

sclarea
Sclarea
(Salvia salvatica, o
Schiarea
horminus
Horminum
(Ormino
Satureia hortensis
Satureia
(Santoreggia, o Cunila
Scabiosa arvensis
Scabiosa
(Scabiosa
succisa
Succisa
(Morso del Diavolo
Scandix cerefolium
Cerefolium
(Cerfoglio
Sciurus vulgaris
Sciurus
(Scojattolo
glis
Glis
(Ghiro
Scomber scomber
Scomber
(Sgombro
thunnus
Thynnus
(Tonno
Scorpius europaeus
Scorpionis oleum
(Olio di Scorpione
Scolopax rusticola
Scolopax
(Beccaccia
gallinago
Scolopax minor
(Beccaccino, o Pizzardella
gallinula
Scolopax minimus
(Beccadino, o Beccasino minore
elottis
(Gambettone
arcuata, et phaeopus
(Chiurlo maggiore, e minore
Scorzonera humilis
Scorzonera sylv. et sativa
(Scorzonera salvatica, e domestica
hyspanica
Scorzonera hyspanica
(Scorzonera di Spagna
Scilla maritima
Scilla
(Squilla, o Scilla
Scutellaria galericulata
Tertianaria
(v. Terzianaria
Scrophularia aquatica
Scrophularia
(Scrofolaria
Sedum telephium
Telephium
(Telefio, o Fava inversa

album
Sedum minus
(Sempervivo minore, o Erba Pignola
Sesamum osientale
Sesamum
(Sesamo
Sempervivum tectorum
Sedum maius
(Sempervivo maggiore
Secale cereale
Secalis
(Segala
cornutum
Secale cornutum
(Grano cornuto
Sepia officinalis
Sepiae ossa
(Ossa di Sepia
loligo
Loligo
(Calamajo
Sitta europaea
Sitta
(Pecciotto, o Rampegotto
Sinapis nigra et alba,
Sinapis
(Senape
Sison ammi
Ammi verum
(Ammi
Sium ninsi
Ninsi
(Ninseg
Sisarum
Sisarum
(Sisaro
Smilax china
China dulcis, aut nodosa
(Cina, o China radice
sarsaparilla
Sarsaparilla
(Salsapariglia
aspera
Smilax aspera
(Smilace
Soda fusa
Causticum salinum
(Caustico minerale, o Soda fusa
fluida
Lixivium Caust. Alk. min.
(Lissivio alcalico minerale
cum oleo fixo
Sapo alcalicus
(Sapone alcalino
eius *carbonas*
Alkali fixum minerale
(Alkali minerale, o Carbonato di Soda
murias
Sal comune
(Sal comune, o Muriato di Soda
sulphas
Sal mirab. Glauber.
(Sale mirabile di Glauber, o Solfato di Soda
phosphas
Alcali min. phosphoratum
(Alcali min. fosforato, Fosfato di Soda

tartris

Sal Segnette, aut Rupellanus

(Sale di Segnette, o della Rocella, Tartrite di Soda

Solidago virga aurea

Virga aurea

(Verga aurea

Solanum tuberosum

Solani tubera

(Pomi di terra

melongena

Melongena

(Pomo d' oro, v. Marigiano

dulcamara

Dulcamara

(Amara dolce, o Dulcamara

nigrum

Solanum nigrum

(Solatro ortense

sorbus aucuparia

Sorbus

(Sorbo

Sonchus oleraceus

Sonchus

(Sonco

Spirea filipendula

Saxifraga rubra

(Filipendola

Sparthium scoparium

Genista vulgaris

(Sparthio

Spongia officinalis

Spongia

(Spugna

Spilanthus acmella

Acmella

(Acmella

Spinacea oleracea

Spinacea

(Spinace

Spigelia merilandica

Spigelia

(Spigelia del Mariland-

Squalus carcharius

Canis marinus

(Pesce Cane

zygaena

Zygaena

(Pesce martello

Stannum

Praeparatum, et granulatum

(Stagno preparato, e granolloso

Stibii

Regulus

(Regolo d' antimonio, o Stibio

sulph. aurant. oxyd.

Sulphur Antim. aurat.

(Zolfo dorato d' Antimonio

sulph. oxyd. rubrum

Kermes minerale

(Chermes minerale

oxyd. ex acid. Muriat.

Pulvis Algarotti

(Polvere d' Algarot

oxyd. sulph. semivitr.

Crocus metallorum

(Croco de' Metalli

oxyd. sulphurao.
Hepar Antimonii
(Fegato d'Antimonio
oxyd. sulph. vitreum
Vitrum Antimonii
(Vetro d'Antimonio
oxyd. sulph. vitr. Ceratum
Vitr. Cerat. Antimonii
(Vetro Cerato d'Antim.
oxyd. purum subl.
Flores regul. Antimon. nivei
(Fiori, o Neve d'Antimonio
oxyd. alb. ex nitr. acido
Antimonium diaphoreticum ablutum, et non ablutum
(Antimonio diaforetico lavato, e non lavato
murias sublimatus
Butyrum Antimonii
(Burro d'Antimonio
tartritis potassae
Tartarus emeticus
(Tartaro emetico
sulphuretum
Antimonium crudum
(Antimonio crudo, o Solforeto di stibio

Sturnus vulgaris
Sturnus
(Storno
cinclus
Cinclus
(Merla pescatrice, o acquatica

Strix passerina
Noctua
(Civetta
scops
Bubo
(Guffo
ulula
Ulula
(Civettone, o Caccoveggia
aluco
Aluco
(Allocchо

Styrax officinalis
Styrax
(Storace
benzoe
Benzoinum
(Belzuino, o Assa odorata

Strychnos nux vomica
Nux vomica
(Noce vomica
colubrina
Colubrinum lignum
(Legno Colubrino

Sus scrofa
Sus, maialis, porcellus
(Porco, majale, e porcello

Succinum electricum
Succinum
(Succino, Ambra gialla

Sulphur sublimatum
Flores sulphuris
(Fiori di Zolfo

eius *sulphuretum*
Hepar sulphuris
(Fegato di Zolfo
Swietenia Mahagoni
Mahagoni cortex
Symphitum officinale
Consolida maior
(Sinfito
Sysimbrium uasturt. aquat.
Nasturtium aquaticum
(Crescione
sophia
Sophia Chirurgorum
(Nasturzio salvatico

Tamarindus indica
Tamarindus
(Tamarindo
Tamariscus gallica
Tamariscus
(Tamarigio salvatico
Tanacetum vulgare
Tanacetum
(Tanaceto
balsamita
Balsamita
(Erba S. Maria, o Menta Greca
Taxus baccata
Taxus baccata
(Tasso
Testudo orbicularis
Testudo
(Tartarugga, o Testuggine
Tetrao perdix
Perdix
(Pernice, o Starna
coturnix
Coturnix
(Quaglia
urogallus
Urogallus
(Gallo di Montagna o Gallo Cedrone, o maggiore
francolinus
Attagena
(Francolino
ruffus
Perdix rubra
(Cotorna, o Pernice rossa
Teucrium scordium
Scordium
(Scordio
Chamedrys
Chamedryos
(Querciola, Calamandrina, o Camedrio
Chamepitys
(Ajuia, Iva Artetica, o Moscata
creticum
Polium creticum
(Polio cretico
montanum
Polium montanum
(Polio montano

marum
Marum syriacum
(Maro siriaco
Theobroma Cacao
Cacao ,Oleum, et Cioccolata
(Cacao, Burro, e Cioccolata, o Cioccolate
Thea viridis, et bohea
Thea orientalis
(Tè, o Thè
Thlaspi arvensis
Thlaspi
(Thlaspi
bursa pastoris
Bursa pastoris
(v. Erba Cancro
Thymus vulgaris
Thymus
(Thimo
serpillum
Serpillum
(Serpillo salvatico
Tilia europaea
Tilia
(Tilia
Toluifera balsamum
Balsamum Tolutanum
(Balsamo del Tolù
Tormentilla erecta
Tormentilla
(Tormentilla
Tordilium officinale
Seseli creticum
(Sesele cretico
Trichechus manatus
Manati lapis
(Lapide manato
Tragopogon pratense
Tragopogon
(Barba di Becco, o Sassefrica
Trigonella foenum graecum
Foenum graecum
(Fien greco
Tringa vanellus
(Pavoncella
cinclus
(Allodola d'acqua
ocrophus
(Cul bianco
Trigla hyrundo
Hirundo piscis
(Pesce rondanino
Triticum hybernum, et aestivum
Triticum
(Grano, o Fromento
repens
Gramen
(Gramigna, Caprinella, o Dente canino
Turdus musicus
Turdus
(Tordo
iliacus
Turdus
(Tordino
merula
Merula
(Merlo

pilaris
(Dressa, o Dresso
saxatilis
(Codirosso di monte
viscivorus
(Viscardo
Tussilago farfara
Farfara
(Unghia di Cavallo, o Farfaro
petasites
Petasites
(Petasite
Vacinium vitis idaea
Vitis idaea
(Mirtillo rosso
oxyccocum
Oxycoccum
(Ossicocco
myrtillus
Myrtillus
(Mirtillo
Valantia cruciata
Cruciata
(Crociata
Valeriana officinalis
Valeriana sylvestr.
(Valeriana volgare
phù
Phù
(Valeriana maggiore
celtica
Spica, aut Valeriana celtica
(Spica, o Valeriana celtica

Verbena officinalis
Verbena
(Verbena, v. Erba di S. Giovanni
Verbascum thapsi
Verbascum
(Tassobarbasso, v. Verbasco
Veratrum album
Helleborus albus
(Elleboro bianco
sabadilla
Sabadilla
(Sabadiglia
Veronica officinalis
Veronica
(Veronica
beccabunga
Beccabunga
(Anagallide acquatica v. Favacino
Vicia sativa
Vicia
(Veccia
faba
Faba
(Fava, Bagiana, e Favafranta
Vintera aromasica
Vinteranus Cortex
(Scorza Vinterana, o Cannella bianca
Viola odorata
Viola
(Viola
ipecacuanha
Ipecacuanha
(Ipecacuana